
















ALOYSII LOLLINI
EPISTOLÆ MISCELLANEÆ

ALOYSII LOLLINI
PATRITII VENETI,

Et Belluni Antistitis viri præclariss.

EPISTOLÆ MISCELLANEÆ.

Opus rerum varietate, & sententiarum eruditione periucundum, & humanarum litterarum studiosis vtilissimum.

ILLVSTRISSIMO D.

IVLIO CONTARENO
Eiusdem Ciuitat. Prætor.

A COLLEGIO IVRISP. DICATVM





Belluni Typis, Francisci Vieceri. M DC XXXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMO D. D.

IVLIO CONTARENO

Belluni Prætor.

Prestantiss. Collegium iusp. eiusdem Ciuit. S. D.

MAgnos magna decent. Opus hoc Epistolare ALOYSIJ Lollini Patritij Veneti, & Belluni olim Antistitis Viri eruditissimi quis litterarum politiorum studiosus magnum ac numeris omnibus absolutum non dixerit? Te verò, præstantiss. CONTARENE, quis tuorum maiorum, & gentilitiæ Nobilitatis cognitor, tuiq; ingenij spectator, Te inquam, & honore, & Virtute, quæ duo præcipue magnum reddunt Hominem, atq; præclarum, Magnum, imo maximum non fatebitur? Quem propterea magis decebat opus, quàm te ipsum, qui inter magnos maiorem te iactare potes? Verum quia laudare aliquem à Familia, vel à Genere Parentes eius, & Progenitores est potius laudare, quam illum, vel laudare, quia Diues, hoc magis fortune, quam Virtuti debetur, & sic de alijs huiusmodi bonis extrisicis censendum at è contra ipsum Virum laudas, quia bonis est moribus ornatus, ac disciplinis eruditus, cum hæc nec à Patre hæreditaria, nec casu pendula, nec ætate mutabilia, nec cum corpore caduca sint; Te idcirco à Virtutis bono, tam quam tui proprio bono magnum iuremerito appellabimus. Quod quàm verum sit, facta, non ficta, sed vera prorsus indicant clarissimè, quæ si singula enumerando prosequi tentemus.

Ante diem clauso componet Vesper olympo.

Hoc propterea tantum breuitatis causa probationi sufficiat. Quia scilicet ex ea prodis Rep quæ Romane illius quondam sapientiss. in regendo æmulatur formam. In qua, sicuti duo inter cætera exthant templa: Honoris scilicet vnum, & Virtutis alterum, adeo sibi coniuncta, vt honoris templum ingredi volenti per Virtutis alterum

terum transeundum esset: ita & Tu Vir præstantissime ad parandam tibi gloriam vnicam Virtutis viam necessariam statuisti. Quod quidem inter cætera tui Nominis præconia presentibus, & posteris testatum relinquet Belluni Prætura, vberrimæ tuæ gloriæ primitiæ, qua tàm præclare es functus, vt, quod Principibus de Rep. benemerentibus Roma olim acclamabat, idem tibi sit semper acclamaturum Bellunum: Augusto felicior melior Traiano. Hanc ipsam viam, & cæteri omnes, qui Reip. honoribus decorari exoptant, sibi proponant, necesse est. Hisce insignibus labore varijs ætatem illam, quam pleriq; luxu, & otio traducunt, Tu gloriæ cupidus, & maiorum incitamento ornasti. Tu virtutis alis euectus celeri cursu gloriæ metam breui continges, & præmaturos colliges laborum fructus, quorum non postremus erit huiusce operis, quod tibi dicamus deuotissimi, patrocinium, sicuti nec parum gloriæ fuit Alexandro Aristotelis operum dedicatio. Opus & ipsum ex te vno, tamquam altero in arte Roscio, magis, quàm ex mille æstimationem recipiet, quoniam, vt ait Sen. non numerari, sed æstimari debent iudicia. Collegium denique Nostrum non paruum suæ in te summæ obseruantiæ, & tuorum erga se meritorum testimonium ex hac dedicatione dedisse putabit, cum sic Authoris dignitati satis consultum, & opus ab Inuidorum morsibus tutum fore sibi visum fuerit. Sistimus ergo tamquam ad Aram tui Nominis hanc animorum Nostrorum deditionis arrham. Et tu interim vale presidium, & dulce decus Nostrum, diutissime. Vale.

In Lau-



In laudem Authoris.

Hinc Latij flores, priscorum hinc Attica dicta
Excerpes, Lector, scripta Loliana legens.

Hinc latices puros suges, & rosida mella
Ipso Nectareo dulcia fonte magis.

Sed si, quid sapiant, optas, te gurgite mergas,
Sic gustus felix, sic erit aquæ sitis.

In Eundem.

Nuncia Fama leues properans hùc dirige pennas:
En tibi, quod referas, grande paratur opus.

Gloria Lollini totum iam complet Olympum,
Fac, modò qui prodit, splendeat vsq; liber.

Namque, plagas latè, est dignus, qui lustret Eoas,
Hesperias, & quæ Sole cadente rubent.

Sic, quamuis alijs nomen des ipsa, futurum
Est tamen & nomen clarius inde tuum.

In Laudem.

ILLVSTRISSIMI D.
IVLII CONTARENI
Operis Patroni.

INdicus vt fului solum fert stemma lapillus
Auri conspicuum, quo mage fulget opus;

Sic gemmæ huic raræ immortali nomine iuncto,
Contarene, tuo, splendet vtrumq; magis.

In Eundem.

ÆTernum viuas superum Lolline per æuum
Glorius, & felix orbe in vtroq; modo.

Immortale tuum nam reddit nomen Iulus
Nominæ cum scriptis æq; perene suo.

Incerti Auth.

In laudem Operis.

AVrea fatidicæ diuinum pectus in omne
Mentis inexhausto flumine dicta refert.

Despicit & Numen detritum vulgus inerti
Propensi virus corporis ore vomnes.

Scilicet hoc decus est; nam quos non nouit iniqua
Non colit æternos impia turba Deos.

Pauli Aur.

AD



AD LECTOREM.



EN tibi (CANDIDE LECTOR) Aloysij Lollini Patritij Veneti Bellunensium Antistitis, quas cum insignioribus sui sæculi eruditione viris per litteras habuit, familiares collocutiones. Epistolarum nomen, quo liber inscribitur, ne tibi suspectum videatur, quominus introspicias, si quid supra illud, quod tot volumina præseferunt, in illo inuenias. Nomen fortaße iddem aspiciens inscriptum, si adhibuerit librum versare, discrimen aliquod ab alijs afferre iudicabis. Lege perlecturus, mihi persuadeo, si, quæ in hoc libro sunt doctrinæ lenimenta, libaueris. Fætus hi Auctori superstites, & procuratori suo post tot calamitates propriæ innixi virtuti, quam a calamo detulerunt, videndi mundi Theatrum inuisere audent summo cum applausu Literatorum. Non mea indigent, qui sim, testatrice syngrapha, propria ad immortalitatem aura producti. Hoc vnum adprecor, ne curæ mihi demandatæ mea officiat incuria, dum multis impedior aliunde molestijs. Quæ multa, vt agnoscere poßum, irrepsere errata, docti corriget Lectoris oculus in libro isto, qui non alterius subijcietur iudicio. Index appositus & Epistolas singillatim demonstrat, & quas in libris interseruntur disceptatiunculas, vel lusus: non omnia sub Indice continentur, eruditio enim, qua sunt Epistolæ refertæ, non id permisit. Quod si quis epistolicam velit istam dißertationem calculo submittere, ipse, in calce opere videbis, auctor secum, vt Pelias hastam, quauirtute præditam affert. Vale amice Lector, eiusdemq; Auctoris fælíciores partus sub melioribus auspicijs expecta.



INDEX.

Parer-

LIBER TERTIVS.

LIBER QVARTVS.

FINIS.

1636.

1636. à 30. Giugno.

Gli Eccellentiss. SS. Rifformatori dello Studio di Padoua, veduta le sottoscrittioni fatte nel Libro del Reu. P. Inquisitore di Belluno, & la fede del Reuerendiss. P. M. Fulgentio de Serui, che nella Raccolta delle Epistole, con alcune Additioni latine in fol. scritte dell'Illustriss. Monsig. Aluise Lollino, non si contiene alcuna cosa contra la Santa Fede Cattolica, Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza della Stampa.

{ *Zuanne Nani P. Riff.*

{ *Angel. Cont. Cau. Riff.*

Ger. Cauaf. Secr.

Francisc. Emo Nod. del Mag. cor. B.

ALOY-



ALOYSII LOLLINI
EPISTOLARVM MISCELLANEARVM
LIBER PRIMVS.

DONATO MAVROCENO *Senatori Amplissimo.*


Pus Mauroceni nostri, musteum quidem illud, vt tu vocas, sed quod saporis suauitate multorum opimiana, cæcubaq; anteeat, mihi à te missum auidè exhausi, miratus, Viro eius ætatis, dignitatisq; seueriora studia professo tantum leporis, atq; elegantiæ suppetere; quantum vix in eorum scriptionibus inuenias, quibus hæc vna cura pectora solicitat, vt eloquentiæ floribus ornentur. quid quæris? rem sanè arduam, & mortalium plerisq; inconcessam videtur ingenij præstantiâ assecutus, vt in assiduâ rerum publicarum procuratione, quibus illi tempus omne teritur, amæniora ista haud dedidicerit, quæ vmbram, & vacuum ab interuentoribus otium maximè requirunt. Nec minor medius fidius festiuitas in Nicolai Contareni Philosophiæ cognominis epistolâ, quæ mihi pro speculo, si nescis, fuit, in quo hominis virtutem cernerem suis se ipsam bonis oblectantem; cætera verò omnia, quarum nunc passim cupidine flagratur, floccifacientem. Equidem sic censeo Virum hunc à Deo immortali cœlitùs demissum, ne quæ de aureo illo sæculo, Saturniæq; vitæ ratione memorantur, fabulas esse meras crederemus, istiusmodi exemplo destituti; quo vtinam tam diu nobis frui liceat, quàm omnium interest surculum aliquem extare veteris sententiæ, atq; probitatis. Sed ne ego læuus, qui

eorum Epistolis, dignis sanè, quæ Romæ olim in concione legerentur, semel atq; iterum perlectis, Romanè non malè scribere me putem semilatinus ipse, & cui propositum fuerat non alio sermone in his ad te exarandis vti, quàm quem nobis populus, loquendi magister optimus præscribit. Hîc igitur ineptire desinam, si priùs te certiorem fecero valetudine me vti satis commodâ; otium verò, si quod fortè obtigit, lectione Historiæ fouere, quâ nihil habere Philologiam ad obfirmandum animum aduersùs ludibria rerum humanarum aptius si dixero, minimè hercule verebor, ne sententiam tibi meam non sim probaturus. Vale.

ANDREÆ MAVROCENO *Senatori.*

AVt ego nihil planè noui literarum, aut lucubrationes tuæ, quas ad me vtriusq; nostrûm amantissimus Donatus Maurocenus misit, sunt eiusmodi, vt vel Romæ pro rostris sub ipso linguæ latinæ flore legi potuissent, ne dum in hoc Noricarum hirundinum Musæo, vbi raro admodum aures demulcent acroamata id genus. desine igitur posthac ingenij tui vberes prouentus arctiùs premendo literariam annonam flagellare, quod auari solent; aut meam, vlliusúe alterius omnino, licèt acerbioris critici censuram pertimescere: cùm tu ea scribas, quæ vel Momi ipsius calculum possunt extorquere. Sapienter tu quidem, vt omnia, qui senectutem, cuius vix primum limen attigisti, foues tuam eleganti pulcherrimarum rerum scriptione, neq; nos inconsultè prorsus, cùm te, tuaq; exempla quamuis non æquis passibus subsequimur. nam quid, rogo te, habet hæc ætas nostra, quod ærumnarum, quæ ipsi vernaculæ sunt, Iliadi opponat, si literas, & eruditum istud otium excipimus? parciùs quidem Vobis Reipublicæ columinibus, nec nisi per interualla solemnium feriarum vsurpatum, vsurpatum tamen magnâ cum voluptate, atq; fructu: mihi autem in hac terrarum solitu-

dine

dine etiam persamiliare, & (si castrense verbum hoc potissimùm in tumultu belli minùs aspernaris) iam contubernale censeo. Igitur pergamus, neq; vel transuersum quidem vnguem deflectamus de viâ, quam magna illa nomina triuere, quorum tu in extremâ Epistolâ tuâ meministi. Indicem Neratianæ Bibliothecæ ad me istinc transmissum cum gemitu sanè lego, dum rerum humanarum ludibria menti obuersantur. en in quo Viri magni, florentisq; eloquentiæ studia euigilauere: vt esset, quod Celtæ, Britanniq; terrarum vltimi licitarentur, istincq; longè gẽtium nauibus aueherent. Ibunt, heu dolor, Scripta.
Virum, tabulæq;, & Graia gaza per vndas.
Equidẽ sic ista indignatio me pupugit, vt poetam repentè faceret, Iambos hos suppeditans malè tornatos illos quidẽ, & qui se festinanter effusos facilè cuiuis probauerint, ne dũ tibi Musarum candido alumno. Verùm heus Tu Icona mihi Christophori Valerij, vide, ne diutiùs debeas. importunus esse soleo eiusmodi nominum exactor, cùm dies ex die frustrando ducitur, nec promissa extant. Vale Amice magne, & Venetæ historiæ, quà factis, quà stylo consule. Belluni è statiuis postridie Calendarum Septembrium ad lychnuchum, cuius iam beneficio paulisper studia procudimus per calores Sirij neglecta.

DE BIBLIOTHECA NERATIANA à Britannis empta.

Diues supellex, merx Camœnarum artibus
Optanda sacris; quam remotis Græciæ
Oris ab vsq; vectam in ædes intulit
olim superbas; patriam vrbem ut munère
Bearet amplo, sidus aureum fori,
Idem ac Sacerdos Cynthij Neratius:
Ergo ad Britannos ibis, orbis exules
Amœnioris? ergo amata littora

Jam derelinques, fluctibus mare horridum
Visura uastis, sarcinas heu nauticas
Inter? frementi nec reflatu te Africus
Eò reducet, unde solvis omine
Læuo? sinistri nam quid ira Cælitum
Hoc maius ultrix inferet cultoribus
Pindi? sophorumue agmini, quos Adria
Clara, aut feraci continet sinu Ausonis?

ANDREÆ MAVROCENO *Senatori.*

ICona Valerianam summâ abs te Rhetorum arte picturatam simul ac perspexi, ita sum miratus, vt idem de ea planè senserim, quod de Phidiæ statuâ antiquitas, quam ob id canona appellatam ferunt, quod eadem æmulari studia volentibus regulæ esset loco. egregium te artificem reddit Vir amplissime non tam vberrima dicendi copia, flagrantissimusq; in defunctum amor, quàm ciuilium perfecta notitia virtutum, quarum vt species in alijs ad viuum exprimas, non aliunde exempla tibi sunt petenda, cœtusq; cogendus formosarum Virginum, quod Zeuxin in effingenda Agrigentinis Iunone Laciniâ fecisse legimus, sed in te ipsum ingenij reflectenda acies, earum omnium spirans simulacrum. quod vtinam ob oculos sibi aliquando poneret Veneta iuuentus, spem sanè præclaram foueremus melioris frugis, quàm quę hodie tanto in squalore optimarũ artium nobis expectatur. Omen auræ precor hinc longè differant. veruntamen in ea tempora incidimus, vt nobis in mentem subuereri veniat, ne auis Phænice rarior, excultus studijs ciuis sit istic futurus. adeò velis, remisq; in alia omnia incumbitur; quæ sicuti eruditioni maximè aduersantur, ita supellectilem librariam scrutariorum mercibus viliorem reddunt. & verò quid lautorum istorum dignius fastidio, quàm membranæ situ & carie exesæ, ignotorumq; characterum lituris oblitæ, quæ sibi vel conspectu ipso ignauiam exprobrent, conclauium verò forulis sint

lis sint impedimento, quò minùs, quæ vulgaris vsus exigit, excipiant. neq; ideo censeo literas nobis dediscendas fore, quibus nos à teneris assuefecimus, quæq; huiusmodi temporum ærumnas leniunt potissimùm, præsidijs altiùs petitis, quàm quò vllius ambitio virtute destituta aspirare possit. Donatum Mauroceuum Virum præstantissimum Cretæ prætorem designatum ita gaudeo, vt medio de fonte voluptatis nescio quid subamari mihi surgat, cùm nauigationis, ac pelagi pericula mecum cogitanti, tum peregrinationem multò longiorem, quàm quæ à senescentibus nobis æquo animo perferri queat, quibus triennium illud, quod Præturæ datur, sæculare spatium videbitur. Gratulor tamen meis popularibus Venetum Minoa, qui ius ipsis dicat, post veterem illum eorum ciuem nuper obtigisse. Quod reliquum est, te etiam, atq; etiam rogamus, vt valetudini tuæ, quæ cum Reipublicæ bono coniuncta est, maiorem rationem habeas, eiq; accuratiùs inseruias, quàm soles. nihil hoc nobis gratius efficies, quibus tua salus perinde, ac nostra in optatis est. nosq; cùm per occupationes publicas licuerit, saltem per Epistolam inuisas tui cupidissimos. assentari cuiquam nec scio, nec me indocilem fuisse ad hanc artem vehementer doleo: tuæ tamen litteræ ita me delectant amoris in me tui, eruditionis, sapientiæ plenissimæ, vt senium videar exuere, dum eas lego. Vale decus nostrum, & carmen quod his adiunxi de Valeriana effigie, si vacat, perlege. breuitate sua, puto, impetrabit, vt ne ineptissimum tibi videatur, & si id mihi ne illa quidem satis persuadet; adeo sum in fætus naturâ † ἄστοργος. † Beneuolentiæ expers.

DE IMAGINE CHRISTOPHORI VALERII

Ab Andrea Mauroceno descripta.

Non hanc colore Zeuxis; ære aut Phidias
Imaginem effinxit: Stylo

Sed Maurocenus aureo. hinc iniurias
Contemnet æui, sæculis
cessura nullis: sed per ora ciuium
Latura laudatum Virum;
cui sæua mors nil abstulit, ni obnoxium
Mortalitati quod fuit.
Vitam perennem nominis sed reddidit
Illi sodalis optimus.

ANDREÆ MAVROCENO *Senatori.*

CElebritatem sanè mirificam mihi, meæq; huic solitudini Maurocene, Senatûs columen, conciliat tuarum litterarum lepos, ac humanitas, quas & si rarò admodum accipio, nec nisi longo inter se temporis interuallo dissitas ita tamen earum afficior suauitate, ac planè perfundor, vt nihil prorsus aspiciam porrectiore fronte: & genialibus in delitijs esse videar tantisper saltem, dum eas perlego, & crebrâ iteratione longiores reddo, quàm tui characteris Laconismus patitur; cui succenserem equidem, nisi menti agminatim occurrerent occupationes, quibus destineris. quò fit, vt & tuarum intermissionem excusem litterarum, & simul me ipse tacitè obiurgem, qui eam à te vbertatem in scribendo exigam, quam improbæ frontis esset flagitare vel ab otioso. quid facias? amantium iste mos est, seu crimen potiùs, quos desiderium adamatarum malè habet, nisi id, vt ille ait in Comœdiâ, cera, & linum, litteræq; interpretes subinde leniant. quamuis ego potiore sim conditione, qui & fructu epistolarum tuarum fruar aliquando, & memoriâ officiorum recreer assiduè, quæ mihi monitoris est loco, vt me tibi plurimum debere fatear; nam vt satisfaciam, quî possim, qui totus in tuo ære sim, & pariandi non facultas modò, sed spes quoq; desit. Verùm ista sicuti mihi memoratu lepida, ac iucunda sunt, ita tu qui gratuitò beneficus haberis, fortasè submolestè feres à me solemniori formulâ referri,

ferri. Venio igitur ad tuas litteras, quæ ſanè ſunt Rhetorum, adeò in eis & venuſtatis abundè eſt, & illius ſalis, quem Thetis ſecum ad Pellæum cum dote detulit. vel illud quale eſt, quod veluti in tabellâ vtriusq; noſtrûm vitam ita lineis planè Apellęis exprimis, vt nihil videri queat picturatius, ne porticu quidem Stoicâ exceptâ, quam ob id † ποικίλην Græcia vocauit nisi quod tu Polygnotum imitatus, cui id ab Ariſtotele laudi tribuitur, credo, in Pöeticis, quòd homines, non quâ eſſent formâ præditi, dipingeret; ſed auguſtiore; eis in me effingendo coloribus es vſus non tam ab artis, quàm ab amoris myrothecio deſumptis, qui me multo, quàm ſum, referant ornatiorem alijs præſertim; nam mihi etiam ſi ſuaſeris, minùs perſuadeas, vt, quæ tu ſuppetente copiam facundiâ peramanter ſuggeris, ea agnoſcam ipſe ſubinaniter, ac ſi cenſus mihi meus menti excidiſſet, ſupellexq; literaria opinione hominum exilior. Sed quid refert, Lynceis ne oculis me cernas, an ſpecillis teleſcopijs adhibitis, quæ obiectorum formas ſexcentuplicant, modò Amor huiuſmodi hyperbolas miniſtret Sophiſta mirus, & cuius ego verbis, & ſi minùs credo, valde tamen capior. Vna mehercule in tam luculentâ, & omni vrbanitatis genere refertâ epiſtolâ tuâ Nicolai fratris mentio vehementer perculit, non quòd eius recordatione indelecter, quâ nihil ſanè carius, atq; pretioſius in theſauris memoriæ aſſeruo; ſed quia viri planè probi, & omnium virtutum laude cumulatiſſimi exceſſus nulli, poſtquam à te diſceſſero, flebilior, quàm mihi, quem ille ſui cupidiſſimum plurimùm dilexerat, nunquam ſine ſuſpirio occurrit, quod tamen affectus neſcioquis excipit † γλυκύπικρος: dum cogito præclarè cum illo actum, qui nunc è Cælo, vbi æuum beatus agit famâ ſui fruens, nos in hac luce tenebris multis circunfusâ, tot fortunæ nimbis, tot curarum fluctibus iactari videt, & precibus, quæ pietas eius eſt, apud Deum adiuuat. Claudam epiſtolam penè ex tempore his ferijs Natalitijs dictatam non leui tran-

† à varia pictura ſic dicta.

† dulcea marus.

flatitię

ſtatitiæ commendationis corollario, ſed quod volumen maius Anticatone Cæſaris requireret, ſi otium foret, & tibi vacaret longioribus litteris obtundi. Alexandro Synclitico Cyprio à primis vſq; adoleſcentiæ annis vtor perfamiliariter, homine eruditè docto, & cui ſupra exactam iuris vtriuſq; ſcientiam, in quâ ille ſic excellit, vt primores Themidis Antiſtites in certamen prouocet, triplex accedit ſertum Philoſophiæ, Theologiæ, ac Mathematicarum doctrinarum, lemniſciq; præterea ex amænioribus literis Hetruſcis, Latinis, Cecropijs contexti. Nam quid ego ſuauitatem morum, ſtirpiſq; antiquæ decõra, liberorum cohortem in re haud amplâ copioſiorem, opeſq; excidio patriæ accisas memorem? quæ per ſe ſingula ope, ac fauore bonorum omnium digna arbitrarer, niſi ea ſummi Viri virtus obumbraret, iuriſq; non iurulenti illius, atque ſordidi, ſed omnibus abſoluti numeris cognitio. Hunc igitur cùm ego pergrauatè ferrem tamdiu apud vos latêre, modeſtiæ ſuæ nube tectum; ſuccurrendum vnâ, & eâdem operâ amico cenſui, & Patauini Gymnaſij celebritati, quod quàm iſtiuſmodi hominum arctior annona premat, nemo profectò te nouit meliùs, qui illius curæ admotus, omnem lapidem moues, vt partum olim apud omnes decus ac dignationem retinere poſſit. quod ſanè futurum tibi polliceri audeo, meq; ſponſorem do, ſeu mauis prædem, ſi Alexandri noſtri ratio habebitur in iſtâ tot competitorum cathedrariâ prenſatione, quos ille ad vnum omnes (nec me fallit amor) albis, quod aiunt, equis anteibit, modò ei aſpiret tuæ gratiæ Fauonius, quo illi non ſecus ac olim candidatis Cæſaris omnia ex voto confidimus ceſſura. Putidiorem me fortaſſe reddet apud te effuſum in amicum ſtudium, longiori oratione declaratum, quem tibi ſic commendo Vir Ampliſſime, vt de meliore notâ equidem non poſſim; ſic meo teſtimonio exorno, vt nihil amori tribuam, plurimum iudicio; ſi quem mihi locum inter †ἑλλανοδίκαις dicundæ de ijs rebus ſententiæ concedis,

† Iudices certaminum.

quæ

quæ mihi vt non omnino ignotæ forent, improbo labore ab ineunte ætate ſum adnixus. Hominem certè tui memorem merendo feceris, pietate, gratitudine, ſtudijs prçclarum; me verò tui amantiſſimum ſummo beneficij vinculo obſtrinxeris, qui eius ornamentis perinde ac ſi in me collata fuerint, afficior. Vale literarum, literatorũq; Patrone magne, & nos ama. Belluni v. Cal. Ianuar. MDCXVI.

EIDEM.

NOn id equidem ago Vir ampliſſime, vt gratias in anteceſſum tibi agam pro iſtâ tuâ tam propenſa in Syncliticum meum voluntate voluntate autem? imò ope, atq; operâ in eius petitionem peramanter abs te, atq; effusè admodum impensâ. Erit ſanè tempus, nec addubito, cùm huiuſmodi formulà ſcriptionis tecum vtar opportuniùs, grauioribusq; Muſis gratulabor, quibus iucunda fore arbitror qualiacunq; doctiſſimi Viri honeſtamēta præſertim abs te, qui es illis à theſauris, curata. Nunc litteras me tantùm tuas accepiſſe nuncio, à Dauilâ noſtro miſſas, non delatas. puduit enim, credo, virum militarem viæ, quæ ad excubias ducit, contra caſtrenſem ritum diuerticula conquirere: itaq; rectà, ac citatis equis abijt ad Oritanam illam ſuam ſtationem, epiſtolâ ad nos datâ ex itinere, quâ ſpem facit ſe affuturum breui. Mirificè homine delector, germano Palladis alumno, ſed armatæ, qualis in arce Athenis Atticis olim colebatur. Ab illa ſanè habet, vt armis ſapientiæ ſtudia admiſceat, *& permutata meditetur arundine carmen*. Quod & Achilles ad Troiam feciſſe memoratur, cuius etiam citharæ Homerus meminit; puto, ne temerè nobis perſuaderi ſineremus militiæ munus vſq; adeo incultum eſſe, ac planè centauricum, vt nullo queat cultu miteſcere humanioris diſciplinæ. Tales mores Arimaſpi, atq; Thraces ex-

colant, aut vtrisq; longè præstantes diritate, ac sæuitia Liburni. A calendis Iani, cuius belliferratis postibus obditum iam pessulum per vos oportuit, te publicas curas vrgere gauderem equidem, nisi valetudini subuererer tuæ. cuius rationes negliguntur, dum Patriæ maximè consulitur: vt animus, cuius origo cœlestis est, & vires origini non impares, alacrior à labore surgat, at corpusculi semper affecti, sæpe ægri non eadem conditio habetur. quod ne oneri deniq; succumbat, accurandum tibi eo quoq; erit diligentiùs, vt, quod libens facis, diu facias. Hîc ominis boni caussâ calamum adhuc scripturientem reprimo, simul ne longioribus litteris legendis occupationes interiungam tuas; neu te ad rependendas mihi in scribendo vices inuitare videar. Nõ obtusa adeò gestamus pectora, vt abs te officia ista mutua amœbęa flagitemus, quæ vix à vacuis, & otio diffluentibus præstari solent. totum id arbitrio tuo, seu mauis commodo relinquimus, modò, si rescribere non vacat, redamare libeat. Vale amicorum coryphæe magne, & ad clauum sedens inter tot decumanos fluctus, qui insomnem Palinurum poscunt, rectum cursum tene. Nos votis, quando aliud non possumus fauemus, & tibi, vrbi, Reip. fausta omnia à Deo adprecamur. Belluni xj. Calend. Februarij 1617.

Obsignaturus epistolam litteris meorum certior sum factio in isto vestro amplissimo Collegio rem agi, quæ mea, totiusq; Cleri Bellunensis vehementer interest. Te igitur, tuamq; fidem posco, atq; pietatem, supplicem in modum, vt caussæ nostræ, si meretur, aut quia meretur, faueas. Erit certè iustitiæ tuæ ac benignitatis nos per summam iniuriam vexatos subleuare, præsertim cùm nullum inde publici ærarij detrimentum, nulla vectigalium imminutio immineat. Quin, quod mirere magis, immunitas hæc nostra transactione primum cum municipij huius Decurionibus coalitâ, triplici Senatus decreto roboratur. Hoc

mihi

mihi gratius facere nihil potes. iterum vale Patriæ, ac ſæculi tui ſidus fulgentiſſimum.

EIDEM.

SEmiſomni mihi, nec adhuc ſopore oculis abſterſo litteræ tuæ à tabellario publico ſunt redditæ, qui Bellunum tantùm, vt egrederetur, ingreſſus, non intermiſſo itinere Feltriam petebat. His ego ſum litteris variè affectus. Erat.n non idem omnino earum argumentum; ſed quale ſaturæ legis, multiforme, lætaq; ſimul, & triſtia complexum, quæ eo tamen minus triſtia ſunt viſa, quòd ſtyli tui nectare temperabantur: cui vernaculum eſt non iniucundum ſaporem indere vel acerbis rebus, ne id tantum poſſe mel arundinaceum ſe iactet. Dolui caſum vrbis florentiſſimæ non tàm diſertè, quàm miſerabiliter à Ioanne Prȩuotio deſcriptum, Hortiq; omnium, quos horæ educant, cultiſſimi calamitatem ſum collacrymatus. O manes Guillandiniani, quàm vobiſcum eſt præclarè actum, qui commodùm ante ſepulchro conditi, regni veſtri excidium minimè vidiſtis, cui ſupereſſe quâ non morte grauius fuiſſet? Adijcis recenſum ſacroſancti Theſauri nuper in Marcianæ ædis gazophilacio reperti: credo, vt meo mærorē animo abigeres tam ingentis nuncio lætitię, cuius ſanè ergò tibi † εὐαγγέλιον debemus meritiſſimo. Nam quod nos fœlices otij, & curarum vocas in poſtremâ tuarum litterarum parte, maximè vellemus, ita foret, nec præter communia iſta temporum incommoda, domeſtica quoq; ſupereſſent, quæ nos angunt. Lis eadem illa rediuiua, quam per ampliſſimum Collegium Veſtrum, te potiſſimum patrono, ac ſuffragatore penitùs extinctam, ac planè funeratam ſperabamus. Hæc mea mens non minus conſtans, quàm pia, cuius te mihi ſponſorem opto, &, quę tua eſt humanitas, polliceor. Poſt dictatam hanc epiſtolam Ioannis

† Pręmiũ lęti nũcij.

nis Primicerij libellum peruoluemus tui in nos amoris † μνημόσυνον futurum, nostræ vero Bibliothecæ, quam ornandam nobis omni codicum genere statuimus,† κειμήλιον. Plurimum te hoc etiam nomine amamus Vir amplissime, tibiq; fausta omnia precamur. Vale, nosq; tuis amantissimis litteris beare perge. Belluni.

† Pignus.

† Pretiosum munus.

EIDEM.

MEninum nostrum vixisse cum gemitu equidem, & mœrore audio. dignus sanè fuit, qui Phænicis ætate frueretur æui sui Phænix: etsi, quod ad nominis claritatem pertinet, viuit adhuc famæ, viuetq; donec honor Musis, quarum ille fauore vates melioris sæculi æquabat, editis post fata quoq; virtutis monumentis; hactenus amicis dolendus, quòd Nobis iucundissimum fructum suæ consuetudinis moriens subtraxit, atq; voluptatem, quam ex quotidianâ eius ingenij fœturâ excipiebamus. Parere. n. & parturire semper aliquid solebat Vir vegeti vigoris, & vsq; ad vltimam senectutem integer. Nam quòd ad genus obitus spectat: lene illi, & somno obtigit simillimum, quale sibi Iulius Cæsar votis exoptabat, quod nec corpus cruciatu, nec domesticos sollicitudine affligeret diuturniore. Pari fato defunctus memoratur Philemon vetus pöeta, Menandri æmulus. is enim, dum lectulo incumbens confictum à se argumentum fabulæ meditaretur, repentinò extinctus, vitę mimum peregit, adhuc digitis volumini implexis. Hôc noster melius, quòd in extremo mortalitatis exodio, cum omnium rerum securus, atq; immemor iaceret, pietatis oblitus non est visus, ob id nobis quoq; nullo vnquam tempore obliuiscendus. Posterioris epistolæ tuę argumentum lætius, omnem nobis mæstitudinis nebulam excussit. Erat enim Paschalibus ferijs conueniens, hilare, festiuum, &, licet conscriptum sermone metri legibus soluto, modulationi ta-

ni tamen, atq; hymno propius. Id nos (ſumus enim ad imitationem ingenio procliues) impulit, vt deſurgentem tumulo Salutificatorem noſtrum verſibus, vtinam ne omnino Mæuianis caneremus: quos tibi Muſarum noſtrarum Palęmoni damus recenſendos; ſupplicemq; in modum Deum adprecamur, vt te principem locum inter amicos obtinentem, quorum iam maxima pars vt vides, ad beatos ire properauit, quàmdiutiſſimè nobis, fratri vnanimi, patriæ conſeruet. Reſcriptum huiuſce Prætoris ad litteras Ampliſſimi Collegij in rem noſtram datas, tabellarius iſte, puto, deferet cauſę Cleri finem allaturum, ſi preces veritati niti videbuntur, videbuntur autem, niſi mihi opinio, imò ipſa ratio imponit. Erit igitur conſtantiæ, fideiq; tuę nos ſemel in clientelam receptos auctoritate, & gratiâ, quibus vales plurimum, fulcire; quod non minus ad euincendos aduerſariorum conatus multiplices optamus, quàm ſperamus, & cauſſę noſtræ æquitate freti, & virtute tua. Vale.

CHRISTVS TVMVLO DESVRGENS.

En erit, vt noſtrum pertingat numine pectus
Clio? reſurgentem queam
Quo celebrare Ducem, ſtygij qui regna tyranni
Clauſtris refractis terruit,
Quique pijs adyta excelſi reſerauit Olympi
Nulli ante mortali obuia.
Ille quidem tumulo fruſtrà quæſitus aperto,
Eoa Titan sydera
Dum fugat, Oceanique caput clarum exerit vndis,
Lætum reuiſit æthera,
Purpureo latos humeros indutus amictu,
Ouante pompa, fulgido
Ore micans, dextraque ferens victricia ſigna
Crucis triumphalis; neci

Qua

Qua data Mors: populos latè hæc vltura nocentes,
Furebat infrenis prius.
Aspice vt auricomos submittat Dedala flores
Vestigijs Tellus? rosa
Surgit, vbi ille pedem fixit, maris æquora fluctus
Ponunt; Fauoni lenia
Flabra auibus suadunt cantus, gratantur eunti
Auræ renidentes cupit
Immortale genu circum dare brachia, casto
Afflata amore Magdalis.
Pectora solliciti gregis exultantia terror
Retentat inter gaudia,
Dum sperare timet, nimiùm quod deperit; audet
Votis nec ipsemet fidem
Certam adhibere suis. adeò vsque incredula res est
Spes, mentis humanæ modum
Quæ super egreditur. tactus deposcit inertem
Opem vacillans, nec pudor
Afficit errantem. tenues numphasma per auras
Lapsum videntum lumina,
Addubitant, deludat. iter vel cùm arripit, hospes
Suis viator creditur.
Donec ad appositi peruentum est fragmina panis,
Quo symbolo error illicò
Ex oculis ereptus. obit pia munera sacri
Doctoris vt semper: scios
Reddit inerrantis sophiæ, fontesq; recludit
Legum vetustarum, polo
Delapsæ quæ sensa tegunt cœlestia, Patris
Natum voluntate inclytum
Ad terras venisse sua, quò morte salutem
Orbi referret perdito;
Et sibi iam reduci deuicto ex hoste, trophæi
Decus perennis. Excipit

Hæc

Hæc auida aure ſtupens cętus miſteria, aperto
Pendens ab ore, gaudium
Emicat, atq; alacres pulſa formidine mentes
Implet. reguſtant cognita
Alloquia, ac lacrymis miſcent ſolatia obortis;
Satiare nec ſe ipſos queunt
Conſpectu, cupidiſq; adeò ſermonibus, vltro,
citroq; læti quos ſerunt.
Ipſe iterat mandata, fidem depoſcit, amores,
Ouile, cõmendat ſuos,
Extremumq; abiturus olympi ad limina donum,
Pacem relinquit auream.
Hanc legat, tabuliſq; memor teſtatur in imis,
Ne qua eximat menti dies.

EIDEM.

NÆ tu amice magne, multò illis præſtas, qui nobilia funera ex Aegyptiâ diſciplinâ aſphalto, & cedriâ pollincta, odoribus liquidis ita condiebant, vt diu iniuriæ temporis reſiſterent, marmora tandem ipſa exedentis. Nam eorum omnis cura circa corpus fuit, quod ſui natura fluxum, &, poſtquam anima exceſſit, brutum perhibetur. Tu nedum enixè ſtudes, verùm præſtas opere, ne cuius partam labore gloriam, quam ſemel ſtylo ſit complexus, vlla vnquam deleat obliuio. Macte ingenij virtute, qui & ingentibus factis hiſtoriæ cumprimis conſulis, & hiſtoriam ipſe ſcribis luculenter. Legimus non ita pridem præclarum illud tuum de Chriſtophoro Valerio iudicium, & ipſum perbeatum iure iudicauimus, quòd eum laudatorem nactus ſit, qui eius eximias virtutes æquare dicendo vnus poſſit. Nunc elogium ad regulam Tullianam efformatum, quo Pompeij Iuſtiniani funus luctuoſum Reip. proſequeris, in ore ac manibus verſatur; efficitq; vt Viri fortiſſimi

casum æquiùs feramus, cuius tu egregia decora perennitati temporum commendas, atq; famæ rerum. quam nisi ille pectore toto auidè expetiuisset, vitæq; adeò ipsi prætulisset rerum optatissimæ, non ita periculis belli caput obiectasset, animo præsagiens mortem per pulchra facinora quæsitam initium esse vitæ potioris, ac planè æternæ apud gratos, beneficiorumq; minimè immemores: qui à florentis facundiæ scriptoribus admoniti, quibus debere plurimum fatentur, eos sileri indictos, atq; illaudatos numquam patiuntur. Et verò si Musæ Iouis, ac Mnemosynes proles, ingentes virtute Viros illacrymabiles longâ vrgeri nocte non permittunt, quis erit tam illis auersis genitus, qui Iustiniano deneget prœconium siue numeris vinctum, siue solutum; nam id quoq; Musis adtribuit Herodotus historiæ suæ libris illarum nominibus dicatis. Noctes illi in excubijs insomnes actæ: labor in castris, in acie assiduus: ipsum deniq; mori, neq; semel, sed per interualla nunc pede, nunc brachio suorum victoriæ impenso hac mercede placet. Verùm hæc tu præstantiùs. Nos, quibus non licet esse tam disertis, idem hoc perbreui carmine conamur haud secus, quàm psittaci verba humana solent. Carmini elogium geminum addidimus eiusdem sanè furfuris, ne farinæ dicam: nisi tibi aliter videbitur, quem & ingenij cotem, & scriptorum meorum regulam agnosco. Vale. Belluni. Cal. Decemb. MDCXVI.

POMPEI IVSTINIANI INVICTI DVCIS Epitaphium.

Pugnas vt acres, præliares plurimas
Pugnauit Heroum genus
Iustinianus, glande ahena corruit
Traiectus, alta quam uapor
Explosit è turre igneus. belli heu iaces
Extincte fulmen, fulmine.

NON

NON TE SEMEL AGGRESSA STRAVIT MORS

POMPEI,

MARTI FOEDERATA.

MVLTO MAIOR ERAS,

QVAM VNICO VT ICTV VINCERERIS.

DOLIS EST REPETITIS VSA;

QVI ENIM VI APERTA POSSET?

PEDEM PRIMVM AD OSTENDAM PERCVLIT:

BRACHIVM DEINDE:

POSTREMO IN CAMPIS IVLIIS

TORMENTARIA GLANDE ILIA TRAIECIT.

QVERCVS NON OPEROSIORE

MOLIMINE PROCVMBIT.



I, LICET GENEROSA ANIMA, I, LICET.

MVNVS ABVNDE DVCIS,

CASTRORVM MAGISTRI

MILITIS EXPLESTI.

PRÆMIA TE MERITIS TVIS DIGNA MANENT

DECVS IMMORTALE, NOMENQVE

QVOD E FVNERE IN DIES MAIVS SVRGET POSTERITATI FIDEM

ET QVIDEM HAVD DVBIAM

FACTVRVM

SVPERESSE VIRIS ÆVI NOSTRI BELLICAM VIRTVTEM

MODO HONOS, QVO ILLA ALITVR,

NON DESIT.



EIDEM.

OTium, cuius nos hîc quidem laxiori annonâ fruimur, tibi suspicabamur planè defuisse, cùm nihil ad litteras nostras responderes, quibus has tamen addere est visum, non tuarum quidem efflagitatrices (non ita penitùs depuduere, vt partem aliquam vel exiguam abs te importunè exacturæ sint illius temporis, quod omne curis publicis impenditur) verùm vt planè cognoscas nos mutuis his in scribendo vicibus minimè retardari, quin arrepto calamo, cùm sedat occasio, si non aures, at oculos saltem tuos teneamus aspectabili hoc genere sermonis: nam digitalem illum, quo Ioannes Picus sæculi sui Phœnix in dissertationibus olim vtebatur, nec callemus; nec, si ignotus non foret, vsui foret scilicet absenti. Dabitur fortasse, nec dum enim omnium dierum Soles occiderunt, te coram aggrediminùs occupatum, vocesq; audire, & reddere alternis; qui fructus est amicitiæ vberrimus, & illis maximè optandus, quos inter terrarum spatia intericcta, marisq; Fruamur interea litterarum bono, quas ego de memoriâ vtcunq; meritas (sunt enim, qui illius damno à Theute Ægyptio adinuentas putant) omni vel hanc potissimùm ob caussam suspicione criminis absoluo, quòd longo interuallo dissitos veluti Abaris sagittâ, aut Mercurij talaribus per aëra delatos inuicem coniungunt. Professorijs Patauinæ Academiæ cathedris nondum per vos Triumuiros prouisum equidem non miror; angor magis animi, cùm video Martem, relictâ orbis sui apside (exortos enim nouimus qui id quoq; se nuper Astronomicis dioptris obseruasse narrant) bonarum artium studijs frigidam suffundere, sicut oleum incendijs bellorum. Et verò, si Ciceronis ætate, iuuentus, vti primùm discus increpuerat, philosophorum scholas deserebat; si populus frequens Ambrosium, diuinum illum Virum de superiore loco disserentem in ec-

clesiâ destituit, vt sistris laboranti Lunæ opem ferret, quis hominibus nostris non ignoscat, si belli tempestate, quod ficus Indicę ritu se se ipsum ferit, castra sequi malint, quàm consertis manibus in exedris per otium verbigerari? † Tropica hæc facit temporum calamitas, quæ vtinam ne diutiùs Italiæ incumbat, quàm vellemus feriasq; nonmodo, verùm etiam iustitium litteris indîcat. Audio Neratianam bibliothecam venum iri, si emptorem cupidum inuenerit; quo nuncio nihil arbitror acerbius illius Dominum apud Elysios laturum, nec sanè iniuriâ. Eam ille à suis gratiam inierat, quos amplarum non tam hæredes opum, quàm sui nominis gloriâ reliquit, vt non pati ægerrimè deberent eius eruditionis, ac industriæ in ædibus monumentum aliquod extare. præsertim cùm supersit nepos indolis haud pænitendæ, quem per patrui vestigia ad virtutem ingredi quidni honestissimę familiæ decorum foret? verùm de ijs ipsi viderint. Nos quercu, vt est in prouerbio, cadente, surculorum nõnihil colligemus ad nostram literariam struem instruendam. Vides vt subinde aliud ex alio; ne ad te inanes litteræ nostræ perferantur? sic omnino euenit, cùm scripturienti superest voluntas; argumentum restrictè admodum suppeditat vastitas locorum, qualis ista est, quam inhabitamus. Vbi nec dum obsessum fuisse à Græcis Ilium percrebuit, adeò serò bellorum ista Panica cognoscimus. atq; vtinam ne serò quidem. Quid n. quæso in se habent boni, vt permutatis id perferri equis sit operæ pretium? diu est, cùm hanc animi curiositatem mei ab huiusmodi rebus, variæ lectionis suauitate quadam nescio an deceptus, certè captus, in philologiam, & amæna Musarum transtuli, ita tamen vt per interualla secretioris sapientiæ adyta reuisam? Finem huius † Rhapsodiæ faciam, si prius Syncliticum nostrum de meliore notâ tibi commendauero.

Vale Vir Amplissime.

† Mutationes.

† Centoni.

EIDEM.

FEstinatione tabellarij est factum, vt epistola tua litteras priores meas anteuerterit, quarum his exemplar curaui adiungendum, tum quia non æquo animo ferebam lucubratiunculam perire nostram, tum vt oculatâ fide planè perspiceres nihil à me quæsitum minùs, quàm abs te prouocari ad scribendum Viro maximis in rebus occupato, & cui non iniucundam fore litterarum nostrarum crebritatem antea cognoram. Mouet mihi saliuam sympòsium Mauroceni nostri, dum cogito, quàm lautè Vir ille, quibusq; literariorum embammatum scitamentis conuiuas suos soleat accipere, tui præsertim, Grylliq; similes, quem ego lusciniam potiùs vocauero, si cantus eius rationem habeam. O mensas dipnosophistis ipsis inuidendas, mihi verò si isthic fuissem, etiam inuocato adeundas Homerici Menelai more. Sum enim, vt te non fugit, auidè istiusmodi epulorum appetens, vbi vnâ, eâdemq; operâ Musis, & Genio litatur; quem ego, iam diu est, cùm restrictè nimis, ac auarè habeo in tantâ literarum, ac literatorum vastitate. Nusquam sanè poteras festiuissimum dierum, Bacchanalia agere minus bacchanaliter, aut magis ex sententiâ iucundè. & verò nisi intentum rebus publicis animi tui arcum relaxes aliquando gratâ vice liberioris cum sodalibus collocutionis, quî durare poterit? Floralia spectasse Cato memoratur deposito illius grauitatis supercilio, quo subnixa aliquandiu res Romana stetit. Scipio cum Lælio suo in Lucrino littore conchas ociosus legit, quorum tu virtutes æmularis. Nam Agesilai arundo, quâ inequitabat, sacratisq; grandæui ad ludum Canonis fidicinis itatio cui iam non dicta? vnus ego omnium ad lusus, & naturâ, & vitæ instituto non aptissimus, quod puer edidici, senex non dedisco leui tactu clauicymbala percurrere, quod etiam nunc facere non piget, arbitris exclusis, ne palam

inepti-

ineptire videar. Verùm lepida iſta memoratu temporum, in quæ incidimus, reſpuit triſtities. Miſerè me diſcruciat huiuſce Cleri diuexatio; nam ſuppetiæ à Decemuiris Senatus exoratæ nihil valuere apud iſtum, qui vicariam nunc nauat operam Prætori hinc abſenti, eſtq; noſtro ordini infenſior; negat inter Martiales lituos iura exaudiri, quamuis intentis vocibus inclament, imo quiritentur. Res igitur integra ad te, tuumq; iſtud ampliſſimum Collegium delata, fauore, gratiâ, æquitate, conſilio tuo veluti ſacrâ anchorâ innititur, poſtquam remigio, remulco, helcyarijs nihil in tam difficili nauigatione eſt adhuc peractum. Vnus tu omnium & optimè noſti, & potes maximè, & conaris validè, pietati, ac religioni, ne cauſsâ omnino cadat, opem ferre. Nos interea ad quæcunq; ferenda obfirmamus animum exemplis maribus condocefacti externarum iacturam opum, virtuti plerunq; materiam præbere proprias opes expromendi. Et ſi noſtrorum me potiùs ſortis ſubit miſeratio, quibus ne vltro quidem in Principem ſuum eſſe liberales per iniuriam alienam licet: non enim huiuſmodi compendia ærario publico, cui omnes, vt qui maximè, conſultum cupimus, ſed priuatis decurionum commodis quæruntur. Sed hæc fortaſſe miſerabiliùs, quàm Philoſophiæ ſincerioris deceat alumnos, cui nos indecores eſſe non debemus. Facis ſanè pergratum, cùm de Synclitico noſtro tam præclarè, & amanter loqueris, & ſentis. Pectus tuum iſtud ad promiſſa conſtans, fidesq; niue Noricâ candidior nobis perſuadet, vt ſperemus fore breui, vt nominis doctiſſimi Viri ſpecimen tuis ſub auſpicijs famæ celebritati inauguretur. Pátere quæſo vnice doctrinarum vltro in exilium iturientium aſſertor (neq; enim Domitiani edictum ampliùs morantur) bracteolam hanc ad ſertum tot tuarum laudum accedere. Nullo hercle potiori beneficio Muſas tibi, earumq; cultores arctiùs obſtinxeris. Paulum Seruium, cuius non me fugit iudicij ſubtilitas, tecum

ſtudio

ſtudio certare in iſto homine ornando volupe eſt. Epiſtolæ carmen ſuperaddimus, vt videas, quàm nos importuno fauore inter tot curas Muſæ proſequantur. In eo nihil eſſe arbitramur; quod exactioris iudicij Criticis placere queat præter tuum nomen, quod vtinam ne ſit τὸ ἐν φακῇ μῦρον Græcorum diuerbio iactatum. Vale Vir ampliſſimâ iſtâ tuâ dignitate, maximâq; de te hominum opinione longe maior.

† In lēte vnguētū.

In ipſo tabellarij profectionis punctiſtitio meorum litteris eſt ad me perlatum Collegas tuos, Viros ampliſſimos te potiſſimùm ſuffragatore, precibus huius Cleri annuiſſe, quo ego quidem nuncio ita ſum affectus, vt ſummam animi lætitiam mei ampliorem haud paulo reddiderit tam aperta declaratio tuæ in nos propenſæ voluntatis, cui ſi non officijs, quibus abs te vincimur, pietate ſaltem, ſtudio, gratâ beneficij recordatione, quam nulla vnquam delere poterit obliuio, ſatisfacere conabimur, precibusq; præterea ad Deum fuſis, vt te tam ſalutare rebus noſtris ſidus quàm diutiſſimè terras illuſtrare velit lucis tuæ face. Iterum, atq; iterum vale. Belluni Pridie Nonas Martias, MDCXVII.

EIDEM.

SYncliticì mei litteris certior ſum factus, quàm eum nuper & allocutus fueris humaniter, & eius ſpem amantiſſimis pollicitationibus erexeris calamitate publicâ literatorum, contemptuq; in eos ſæculi deiectam. Igitur qui tibi, niſi fallor, primus ingenium illius, mores, multiplicemq; eruditionem commendaſſem, meq; pro eo prædem ſolemni formulâ dediſſem communi ſtudiorum expectationi, mei eſſe muneris putaui non tam illius virtuti, quæ tuo maximè beneficio cum fortunâ in gratiam eſſet reditura, quàm tibi ipſi gratulari, cui vni

conti-

contigit, vt non minùs doctrinarũ omnium dictator, quàm doctorum virorum Mæcenas habereris apud tuos. Rara sanè laus, & nullius non præconio dicenda, hominem natum Deum esse homini liberalem, munificum, &, vt Homerus superos indigitat † δοτῆρα ἐάων. Perge porrò Amice magne in Synclitico ornando bonos, doctosq; omnes, & Musas adeò ipsas demereri, quarum ille maxima est cura. Et quia de eo homine promouendo agitur non ad Stoicorum paradoxa, quibus aurâ, & mazâ vescens prædiues est, sed ad munus Pontificij iuris profitendum, vnum omnium amplissimum, atq; honestissimum, summopere vobis Academię triumuiris erit peruidendum, vt honori honorarium consentiat; ne virtus titulis tantùm onerata algeat, cui vos Peripatetici (& summâ sanè cum ratione), opus quoq; esse opibus decernitis; ne ipsi id planè eueniat, quod Poësi in Platonicâ Republicâ, quæ sertis priùs redimita publicè exploditur. Absq; fortunæ nouercantis iniuriâ fuisset, quæ nobilissimi viri Patriam euertit, is extitit Syncliticæ gentis splendor, tantæ, tamq; vetustæ opes, vt prærogatiua vestri iudicij contentus contemnere cætera potuerit, quæ nunc cohortis liberorum patri, extorri, facultatibus modico, & cuì duris in rebus industria ad hanc vsq; diem census loco fuit, sunt necessariò circumspicienda, hoc præsertim tempore, cùm nouum molitur vitæ iter, quod sine exprompto, atq; luculento viatico peragi non potest. Paranda multo instructior bibliotheca, quam immortale esse penus animorum quis te magis nouit? laxiores conducendæ ædes; togæ subinde, & quidem tempestiuè permutandæ, quales tantum dignationis ambitum addeceant, ne vulgus falso iactare opulentiam leges criminetur, quæ professores suos in defloccato pallio circumire sinant Sophistarum ritu. Verùm hæc fortasse à me morosius, qui sciam te ita omni ex parte tuis cultoribus prospicere, quos semel susceperis ornandos, vt

† Datorē bonorum.

nihil omnino prætermittas, quod facere ad literariam αὐτάρκειαν† videatur. Satis mihi sit tuam in fidem atq; clientelam tradidisse Virum, qui sæculi sui eruditione minimè contentus, adiumenta sibi ex accuratâ veterum omnegenus auctorum lectione conquisiuit, quo posset de se merentes immortalis famæ præconio remunerari. Vale Vir amplissime, & Spartam, quam Diuum munere es nactus, vti facis, orna.

† Frugalitatē fortisque cōditionem adeò sufficientem, vt nihil aliunde sit desiderādum.

Belluni. iij. Idus Maij. MDCXVII.

DONATO MAVROCENO. *Senatori Amplissimo.*

PRouentum hoc anno pöetarum vberrimum futurum diuinat animus, non ex Virgiliarum ortu, cuius iudicio Thales oliuationis copiam prænouit, sed ex hoc potissimùm, quod carmen Musatus noster octogenarius vates modulatus fuerit sanè perelegans. In cuius commendationem, & egregium distichum conscripsit Andreas Maurocenus Senator grauis, laticlauius, & nos iampridem rude ab Apolline donati, nescio quid effudimus versiculorum, ingenij autoris sui senium testantium: nam illud quale est? Meninum capillo, barbaq; cycneum, adhuc Phœbo digna parere, parturireq;? tibi prognosticum istud nunciamus mi Donate, qui Musarum annonam curas, vt nouis pöetarum fœtibus apothecas pares, vnde eos depromas postmodum, eruditorum auribus alendis: quarum ego iudicium, quod superbissimum esse perhibent, reformidarem, nisi tu spem faceres, posse illud gratiâ tuâ deliniri. Mitto igitur ad te, quæ proximis his hibernis noctibus nescio an somniasse me dicam veriùs, an euigilasse. Nondum enim constitutum habeo, quomodo ea vocem, tu nomen impones pro arbitrio, valebisq; studiorum bono. Belluni Cal. Dec. MDCXII.

Legi camœnis editum fauentibus
carmen Menini nuperum, quo nomini
Mansura nectit serta facundus tuo
Donate amice docte. nunc sententiam
Rogas? rogari me haud diu sinam. chelys
Flacci canora quo placet. cupidinis
Quo stat magister Teius, quod Pindari
Ad astra nomen euehit: totum id tuo
Vati secundus contulit Phœbi fauor,
Liuore lęuo vel fatente, & diuitis
Mirante venę flumen exundans, sales
Et melle multo perlitos, pomeria
Vrbana natos intra. inire gratiam
Famæ perennis qui volet, præconio
Hunc ille cantus efferat, vagi minas
Exinde Lethes negligat; volubiles
Lapsusque edacis temporis, per omnia
Iturus ingens sæcula, & solis vias,
Annis senescens vsque præuirentibus.

EIDEM.

LAborum meorum primitias amori tuo iure debeo, Donate virorum optime, quas non agri, non hortorum (quorum hic bona ignoramus sed syluestris aucupij nobis cura gignit, Aquilonijs flatibus adiuta. neq; enim ante inalpina auium hæc nobilitas montium cacumina relinquens in casses incidit, quàm algore niuium afflata. Boreæ igitur tibi est litandum, si huiusmodi prædâ delectaris. Sed vnde istud inquies? quibus tu de pastore technis in aucupem repentè nobis euasisti? mirari desine. Finitimæ sunt hæ artes, & sibi fæderatæ inuicem; neq; nos ij sumus, quibus Socraticis legibus parêre vacet, quibus ille cauet, vt ciues sui nondum, quod sciam

in lucem editi, quam quisq; nouit artem, in hac se exerceat, reliquarum expers. Tu interea amici xeniolo contentus, maiora expectato, vbi dies acriùs inceperint hyemare. Vale, & nos ama.

Belluni. Idibus. Nouembris. MDCXIIII.

Qui nos perpetuo niuis rigore
Damnat Iuppiter: hic misertus idem
Sortis tam miseræ, genus volucrum
Omne nobilium dedit rependens
Tot incommoda dote singulari.
Qua non Phasidos vnda, non Caystri,
Non terra Africa psittacis canora,
Non Thrax, non Geta, non Syrus superbit,
Non infectus Arabs colore noctis,
Nidi conscius alitis perennis,
Quæ per sæcula nasciturq; obitq;
Vicissim, cineri suo superstes.
Quæ ne ficta putes licentiori
Musa, vt assolet, elegante pluma
Gallum mittimus; vndecim sodales
Qui solus poterit voraciores
Explere. huic comes addita est coturnix
Non vna altilis. exuit libenter
Namq; ipsa ingenium ferox, nec ori
Admotas refugit manus. opimum
Turdum adiungimus: æquiore iure
Prælatum altibus, potentiorum
Nigræ quos epulis parant culinæ.
Plura si cupis, ipse nos reuise;
Aues, frigora abunde polluemur.

EIDEM.

ACcepi abs te carmen aureolum, planèq; dignum, quod Musæ Musato nostro, hoc est suis delitijs dictarint. Pro quo (nam te eodem muneris genere non remunerari subagreste sum ratus) nescio quid versiculorum Apolline nullo editorum mitto. Quos vbi legeris, non dubito quin Glauci commercia animo sint tibi occursura. quid facias? melioris metalli vena apud nos non colitur. æramenta mera sunt, si cum tuis donis conferantur, in quibus tamen apparet amoris mei in auctorem carminis character: rudis ille quidem, sed altè adeò impressus, vt nullâ inde vi abradi possit. Deambulationes istas in scholis tuas tibi subinuideo, vbi doctas audire, & reddere voces datur; vbi certamen non armis cernitur, sed syllogismis amentatis inuicem contortis. fælix otij, ac curarum, modò bona tibi tua ne ignota sint. At nos hîc longa eruditionis obliuia potamus, vrbanitatemq; omnem seriò dedidiscimus immenso terrarum, montiumq; spatio à Musis dissiti, nisi quantum tuæ litteræ barbariem nobis tantisper ex animo detergunt, dum leguntur. Vale igitur, & ad nos vel hoc nomine crebriùs rescribe.

IO: FRANCISCO MVSATO.

Carmen adhuc felix oti meditaris, & artes
Retractas natu grandis Apollineas.
Digne senex reduci florentis vere iuuentæ,
Nam tibi vis vegeti suppetit ingenij.
Viue diu sacris nimiùm dilecte Camœnis:
Et cycnum cantu, canitieque refer.

EIDEM PROCONSVLI CRETÆ *designato*. S. P.

VEntis iter tuum remorantibus gratias haberem, nisi & exoptati reditûs gaudia differret serior profectio, & illi cogitationibus tuis veluti reflarent, quibus me aduersùm ire, quamuis votis meis valde aduersentur, concordiæ nostræ conuenire non puto. Mihi igitur ipse imperabo potiùs, vt id non omnino nolim, quod te maximè velle habeo perspectum, ne tua commoda meis rationibus metiri videar. Deum interea adprecor, vt, posteaquàm te mihi trieteride fermè totâ carendum est, quod de consuetudine, alloquio, iucundissimoq; conspectu demitur, id omne cum fœnore addatur auditioni, quâ de tuâ maximâ virtute, regendiq; populos arte fiam certior. Cui sanè quidem arti tantum ego tribuo, vt non eam Romanis rerum Dominis, quem admodum apud Elysios Anchises, sed Dijs ipsis immortalibus adiudicem, cæteras ab humano otio adinuentas putem, & quidem plerunq; haud magni pretij. Nisi tu fortè Myrmecidis studium, aut Elephantidis, aut rixosas quorundam de literarijs minutilogijs argutationes tanti facis, vt non earum tibi malis ignorationem. Eâ es in Republicâ eductus, vbi parendo imperare discitur: his assuetus studijs à puero, vnde iura tamquã à fontibus petuntur; ijs domi muneribus defunctus, quę tibi rudiméti loco esse potuere, ad sũmi Magistratûs personã omnibus numeris perfectã exprimédã. Prouincia quin ipsa etiã quæ sortitò obtigit, huiusmodi omni æuo fuit, vt tibi tametsi impigrè currenti tuâ sponte calcar addere debeat ad decus, dum tecum ipse cogitas ius te ijs in regionibus dicturum, quæ luminis in oras olim edidere Minoa, atq; Rhadamantum, illos capitales etiam nunc, si poëtis credimus, Manium Duumuiros, quorum supercilium tartara tremiscunt. Cupresseta Gnossiorum quoties videbis, animo succurret Clinias cum Socrate ibi de legibus colloquens in vmbrâ, quam latè opaci nemoris arbores diffundunt.

dunt. Verrem medius fidius Siciliæ labem æqui admonerent topica istiusmodi recordationis adiumenta, ne dum te mystam Themidis, Politicâ arte expolitum. Inter eas Rerumpub. formas, quas lumen illud vestrum Aristoteles æmulari volentibus proponit, nullam facilè inuenies, quæ minori cum exceptione laudari queat, quàm Cretensis, adeò moribus constabat, vt illa ferebat ætas, honestissimis, & belli, pacisq; tempori percommodis. Huic non consultum velle, præceptionum præstantissimarum auctarijs, eorum fuerit, qui omnis antiquitatis rudes vetera datâ operâ obscurant, ne se degeneres arguant à maiorum laude. Tu, cui vernaculum est tuorum nonmodò spem, verùm etiam expectationem omnium euentu vincere, dabis quidem operam (neq; enim me fallit tui ille cursus animi immensis gloriæ spacijs æqualis) vt magna illa prioris æui exempla, tuis egregijs factis comparata fidem apud incredulos inueniant, quibus quicquid ipsi conari nequeunt, fabulæ est loco. Sine omnium in ore sint Heroes illi veteres, Ioue ciue digni, modò ne tu illis successisse, vt diurnæ luci tenebræ, sed vt Sol sublustri auroræ lumini, dicaris. Pristinæ gentis laudi, veluti generoso stipiti, nobilissimæ coloniæ surculum insertum si accuratè, vt speramus, excolueris, nihil sanè neq; tibi ad immortalis gloriæ præconium nec illis ad prouentum deerit lætioris frugis. Absque Præsidum nonnullorum desidiâ foret, atq; auaritiâ, non aliunde maiora belli præsidia iuxtà ac ornamenta pacis haberetis. Classis est instruenda? quâ plurimùm vos pollere fama refert, & verò non mendax: nullibi remigum, aut nautarum delectus lectior iubetur. Miles duris in rebus conscribendus, armis assuetus? illinc euocatis sagittarios, qui Pandarum illum Phryga arte vincant, robore autem Myrmidonas. Indidem commeatum simul, & copias educitis: Vrbem vestram omni specie rerum, quibus vsus cultusq; humanus indiget, collocupletatis.

tis. Sed quid ego Vrbem vestram dico? quasi vllus sit iam terrarum angulus tam longè à nostris finibus summotus, quem Bacchus, non Semeles ille filius (huius enim Indica expeditio tantùm memoratur) sed Creticus iste vester non lustrarit, secumq; nominis decus Veneti inuexerit? cuius sub auspicijs maria enauigans, feras gentes perdomat. Quod armipotentes non magis, quàm vinipotentes ab extremis hominum Morinis, Britannisq; obiectu Oceani diremptis auditis, huius muneris est. Hoc conciliante gratiam Sarmatis, Thracibus, Getis innotescitis, quibus reliqua Italia inaudita, ac indicta est. Et verò si Regum Regi Xersi non alia fuisse caussa narratur Atticæ armis inuadendæ, quàm ne alibi, quàm in sua ditione non obscuræ dignationis ficus, quos illa educat ora, nascerentur: quantò magis vobis erit Maiorum vestrorum virtuti gratulandum, qui sui iuris insulam fecerunt centum vrbium altricem, tot regum, atq; heroum domicilium, & quæ, ne quis eam falsò iactare criminetur Iouis incunabula, plenis vindemijs nectar adhuc fundit, Deorum non tam cænis, quàm mortalium, quà se pontus, terraq; porrigit, largè suffecturum. Errauit, non inficiamur, prima illa ætas Iouem, cuius in vertice Idæo tumulum vidisset, hominum, Diûumq; parentem stultè indigitando: verùm in eo ratio aliqua, seu excusatio erroris constitit, quod quem summum primum inter numina putabat, eidem Patriam tribuebat, omnium, quas Sol circumspicit, pulcherrimam, atq; beatissimam: cuius nunc tu spei sua regna recturus cùm admouearis, summâ tibi ope erit adnitendum, vt rem meram reddas, quicquid aut illa de te expectat, aut nos spondemus, quod minimè vulgare, aut tralatitium futurum est. id eueniet (modus enim epistolæ ponendus) si præceptorum, qui de gerendo magistratu conscripsere, suntq; à te perlecti accuratiùs, delineamentis colores ipse veluti pictor optimus induxeris, memoriâ subinde repetens munus, atq; adeo no-
men

men ipſum Harmoſtarum. Hi erant magiſtratûs genus ad prouincias regendas à Lacedæmonijs ſummo cum imperio tranſmitti ſolitum, quibus curæ eſſet ita ciuium animos muſicum in modum temperare, vt omnia inter ſe mirabili compage concinnata reſponderent mutuo. Conciliatores, puto, Liuio vocantur: ſuntq; Cretanis meis popularibus maximè optandi ob diſſimilium ordinum diſcrimen, quod ſicuti ex arte harmonicâ compoſitum, concentum abſolutum reddet, ita ſibi relictum, ac neglectum in in contraria ſtudia ſcindetur, ſibi ipſi impacatum Rectori contumax. Verùm hæc tu meliùs, cui ad clauum ex longâ meditatione accedenti nihil nouum accidet, aut inopinum. Nos votis, quod ſenum eſt præcipuè, fauebimus, vt prouinciâ, ex tui animi ſententiâ, adminiſtratâ, Tuos lętus hilares reuiſas. Vale noſter nunc Amor, moxq; longum deſiderium futurus. Belluni. x. Cal. Iunias. MDCXVII.

HENRICO PVTEANO. S.

PVteane mi iucundiſſime ſalue. Demulſit me Palladis tuæ cantus, deuinxit officij humanitas, varietas verò eruditionis ita cæpit, vt mihi amorem, admirationem, opinionem deniq; de te mirum in modum auxerit. quid .n. ni mihi † ἄκουσμα θαυμάσιον vix egreſſum ex ephæbis iuuenẽ, ſpretis voluptatibus, quibus ius dare ætas illa ſolet, impendio multis profuturo negotium poſteritatis agere? res ignotas, indictas alijs pari doctrinâ, atq; elegantiâ complecti? Verùm de Libro tuo plura, cùm illum per otium retractauero; nunc Syncliticum noſtrum, quem ego tui in me amoris habeo interpretem, tibi viciſſim ſponſorem do effuſiſſimi mei erga te ſtudij, atq; voluntatis. Illum tibi vt appelles, liberum relinquo; ſed conditionem peto, vt me amicum probum magis, quam doctum, aut eloquentẽ exiſtimes. In altero .n. te decipiam nunquã; in altero tibi impoſturã facies, me inuito. Vale. Belluni. jx. Ianua. MDC.

† Auditio admiranda.

EIDEM. S.

MEarum litterarum casum, quæ nescio vbi loci positæ, nunquam deinde sunt in terris visæ, tui equidem caussâ permolestè tuli. Venit enim in mentem subuereri, ne eodem planè fato, quo olim Romanæ vrbis parens, fuerint defunctæ. nisi quod hunc Patrum, illas famulorum manibus discerptas suspicor. Quod nisi aliquis Iulius Proculus dolori meo intercesserit, qui eas rectà in Iouis scrinia delatas referat, ego istis continuò mastigijs apud Tribunos vapulares diem dicam. Nam quòd ad desiderij tui delenimentum attinet, puer ab epistolis noster ipsas illas tibi nullo auro repensas, neq; enim de Hectoris corpore nunc agitur, rediuiuas reddet. De Analectis morem tibi gessi, perquisiui accuratè, inueni, his adscribi iussi. Ea tibi fidem haud dubiam, ni fallor, facient, penitissimum hunc Italiæ angulum, perpetuaq; consputum niue, vbi ego nunc statiua habeo, Romanos rerum dominos incoluisse. Vale mi iucundissime Puteane.

ROBERTO *Cardinali Bellarmino*.

NOn sum mihi adeò ignotus, Cardinalis munere isto tuo, famâq; amplissimi nominis dignissime, vt admodum referre putem, vernaculâ ne linguâ in epistolis ad te dandis vtar, an latinâ, in vtrâq; iuxtà planè hospes, & qui possim peregrinitatis vel ab anu olitoriâ facilè coargui. neq; adeò committam, vt ad te vulgari sermone scripta perferatur qualiscunq; hæc significatio pietatis, obseruantiæq; in te meæ non vulgaris. Infantiam in me reprehendas potiùs quàm audaciam, quasi minore te cultu prosequar, quàm coli res augustæ solent, & propè diuinæ. Harum quidem in censu te reponit præcellens illa tua sapientia, doctrina, vitæ innocentia, eâ ipsâ dignitatis purpurâ,

quà.

quà meritò refulges, ſanè maior, cui cùm eiuſmodi humanitas accedat, vt vel ab alijs tuis virtutibus ſeiuncta mirificos in te hominum amores excitatura videatur, barbarus planè ſim, te niſi ſuſpiciam, venererq; vnicè, præſertim tanto tibi beneficio obſtrictus, quanti apud me eſt effuſus autoritatis tuæ in me fauor, atq; animi propenſio; nam ne iudicij dicam, partim conſcientiâ propriæ inſcitiæ deterreor, partim eruditionis tuæ cogitatione tot editis operis admirandi voluminibus nulli non teſtatæ. Sic enim ipſe mecum aliquando. En quò Virum id ætatis, dignitatisq; perduxit gloriæ de literis partæ amplitudo, amorq; in eadem ſequentes ſtudia, quæ ipſi tam egregiè ceſſerunt: tempus, quod nunquam illi vacat aut à ſententiæ in grauiſſimis rebus dictione, aut à commentatione, aut à ſcribendo, quę perditorum turbulentam contumaciam reuincant maximè, in meis lucubrationibus communi excuſſis monetâ perlegendis terit, & tantum ſe ſe demittit, vt de me, meorumq; ſtudiorum ratione, meos ſciſcitetur: quid agam: quo ſtylum ſcriptionis genere exerceam: cuiuſmodi lectionibus otium oblectem; quod Episcopo † ἐπισκοποῦντι perexiguum contingere omnino, atq; penè nullum ipſe eſt expertus. Macte immortalitate digne Heros, & nos ad eius radices ſpeculæ adhæreſcentes, cuius tu iam cacumen tenes, exemplo, facilitateq; iſtâ tuâ excita; quæ te & communi omnium præconio in cœlum euehit maturiùs, & mihi pro ſponſore eſt, vt impunè tibi literarum Dictatori, cuiq; ab omnibus ingenij faſces ſubmittuntur, per epiſtolam importunus obſtrepam. Nam ex quo me Vir ornatiſſimus Athenarum Antiſtes certiorem fecit, te carminibus noſtris, ſeu potiùs carminum argumento non indelectatum, nihil habui antiquius, quàm illud noſtrum, quod erat, limâ expolire, qualecunq; erat, vt aliquid in me eſſet, quod tibi, cui probari valde cuperem, non improbaretur. Vt alia igitur omittam, à me non vno ſtyli genere

† Inſpicientis, i. muneris ſui exercitio incūbenti.

conſcripta, è lituris, in tuæ ſpem gratiæ hæc pauca exemi: (nam de mendis ſine Theſeo qûi poſſem?) quæ cenſuræ tuæ libens, volensq; nolenti licet animo ſubmitterem, non quòd, vt iuſſa tua capeſſam, monitore egeam, quibus nihil eſt mihi magis in optatis; ſed quia in mentem venit ſubuereri, ne noſtra diligentiùs tractata autoris prodant imperitiam: quam tamen obſequij ſtudio defenſam, obnoxiam minùs fore cenſeo vitio ſubinanitatis, atq; † φιλαυτίας. A cuius ſuſpicione procul vt abeſſem, ſummâ ope caui ingenij mei fætus arctâ nimis, ac planè illiberali cuſtodiâ hactenus cöercens. iure an ſecus tui erit iudicij decernere, meq; inter eos recenſere, qui ſe ſe, & ſua omnia in tuam fidem, atq; clientelam dedunt demiſſimè. Valè ſacri Senatûs decus, & veræ Religionis tela omnia contra munimentum.

† *Amoris ſui ipſius.*

IACOBO BAROCIO *Patritio Veneto S.*

Licet ne te paucis affari mi Iacobe? dum ferijs hiſce Natalitijs optimis dierum, forum veſtrum ſilet: an etiam nunc limen tuum obſidet nullo poſtico fallendus cliens? experiar, an huic epiſtolæ vaciuas aurium ædes præbeas? quid contrahis frontem? de Laconum proſapiâ prognata eſt: aditum ſibi niſi breuitate promerebitur, ſaltem extorquebit. Quòd ſi fruſtrà conatus ceſſerit, munuſculo aliquo rem aggredietur. Validiſſimum hoc teli genus eſſe dicunt effringendis Mercurialium patronorum foribus; nam tuæ muſis, earumq; alumnis vltrò patent. Munus quale ſit rogas? Aues in iſtarum alpium faſtigijs deceptę: & hyemis rigorem penſantes ſuis delitijs. Quid.n. aliud erigendæ orexis cauſsâ ex hac locorum ſolitudine mitti vobis debuit, quos Venetum ſaturat manna? hæc liberiùs iocati ſumus, vt ſcias nos, & valere, & pijs per hos dies laboribus perfunctos, nunc memoriâ tui, Donatiq; noſtri oblectare animum. Vale, & ampliſſimo Equiti Petro Duodo,

Duodo, Cæſareo exlegato de reditu in patriam gratulare meis verbis. Virum amo, & quia multiplici præſtat eruditione, & quia vel vnus, vel cum paucis heroum noſtrorum veterum gloriæ ſubcreſcit. Belluni iij. Cal. Ianuarij.

EIDEM.

COmplures me tibi dies futurum Venetijs pollicitus, ſubito conſilio, ſi modò conſilium vocari debet, quod ſubitum eſt; nec edictâ cuiquam profectionis die, neq; conclamatis quidem, vt dici ſolet, vaſis, iter, ſeu potiùs fugam clancularíam arripui. Cauſsa mutatę ſententiæ, ſi quæris, æſtus fuit inſolens, qui me plus nimio torruerat. Cùm enim diu his in locis, quibus nihil alſius, nihil pruinoſius, commoratus eſſem, frigoriq; perferendo, quod huius noſtræ regionis quaſi proprium peculium eſt, aſſueuiſſem, putabam aduersùs caloris iura decennij præſcriptione me præmuniuiſſe. Nihil mihi negotij cum eo per id tempus fuerat; vix eius longo poſt tempore viſi memoria hærebat animo, iam tunc non niſi rigentem Boream, hybernasq; niues meditanti. Deſcendi itaq; ſecurus animi ad veſtra iſta æſtuaria, ne nominis quidem omine deterritus, æſtuante Sole, Sirio arua exurente; nec me, qui tam diu fueram in ludo, turdi ipſi admonere erroris potuere, quos agminatim conuolare paulò ante diſceſſum videram ad montes. Alpium iſtarum alumnum agnouiſſes, ita ocreis pedes, penulâ humeros munieram; nihil metuens minùs, quàm diſcrimen illud, in quod volens ipſe, videnſq; incidi. Nam vt Venetam illam Neptuniam planitiem appulimus, & multo culice perſtrepentes lacus, non aliter exarſi, mi Iacobe, quàm ſi de Ryphæis montibus in extrema Lybiæ delatus eſſem; vbi abſq; igne culinario, & lignis pulmenta ſolo Solis vapore excoquunt atricolores illi Eremicolæ. Videbuntur hæc mira, nec factura fidem

his, qui amore Vrbis illius inclytæ tenentur, quos inter me quoq; numeres licebit, modò abſentem eſſe ſinas, donec deferuet æſtas: non enim vrbis vitium eſt, quod nunc damnamus, ſed noſtrum potiùs, qui vel modici caloris iniuriam pati dedidicimus. Scilicet nonnihil eſt inalpinis in locis immorari, vbi

Quicquid flat Boreas, quicquid cadit æthere, nix eſt;

Vbi omnis ignotus calor, præterquàm Vulcanius; vbi municipes ne dum culex vexat, ſed ne muſca quidem, quamuis à Domitiani ſtylo nihil ſibi timens. Quem n apud nos huiuſmodi aucupium oblectet? Nam illud quale eſt? quod ſudor neminem hîc occupat niſi morientem, & is quidem frigidus, ne quid ei cum iſto veſtro, ſi nomen exceperis, conuenire putes. Patere igitur, mi Iacobe, vt, vbi tot annis hyemis pertulimus incommoda, ibidem nos tueamur ab iniuriâ æſtatis. Neq; enim nobis cum Aſcrâ, Heſiodi patriâ res eſt, quæ æſtate candet, friget hyeme, ſed cum ea regione, quæ Tiburtinæ (ignoſcant mihi Horatiani manes) vix concedat. Non hic aqua aliunde vecta venalitia, &, vt Plautus ait, lutum cæno mixtum, ſed cuius rigorem vos Neronianæ coctæ aſſueti minimè ferretis. Niues nobis non cryptę penè rancidas, ac veteraſcentes alienis menſibus aſſeruant, ſed montes ipſi non longè poſiti intactas, & in quibus pręcipua eſt gratia, quòd minimè heſternum obolent. Nam, ſi neſcis, ne canicularibus quidem niuibus caremus, ita nuncupatis, quod montes iſtos illinant ſub cane. Nam cuius vos exorientis rabiem tantum exhorretis, nos ne morſiunculas quidem molles experimur. Omitto dicere de ſomno, qui iſtîc, vt Pontius olim Scipioni de accipenſere dixiſſe fertur, paucorum hominum eſt, illorum nempe, qui aut mandragoram ebiberint, aut ita laxè habitant domi, vt cubile aliquod habeant interius. Nam quorum ædes celebriores inſularum margines prætexunt, his quidem oculis dare licet epulas interdiu, dormire

mire non itidem licet, ni somni commeatu se onerauerint dapsiliter. Apud nos contrâ est: somnus, & is quidem non spatijs intersectus, sed perpetuus perinde inuisit tabernas pauperum, ac diuitum domos, lethum consanguineum suum imitatus. Non est, cur eum blandimentis captes, vltro aduenit, Homerici Menelai more, cœnatisq; iuxta, atq; in cœnatis præsto est. Accedit, vt mirere magis, quòd culcitra, & cubicularis reliqua supellex, quæ vobis per hos menses non minùs solet esse oneri, quàm ignauo militi lorica, hîc soporem etiam conciliat magis. Habes excusationem, cur (quod plerunq; debitores solent, postquam decoxere) ego, ne caloribus planè decoquerer, solum ex improuiso verterim; hanc te non illibenti animo admissurum puto, si me ex habitu noui ingenij, quod indui, postquam hic procudere ætatem cœpi, non ex more veteri spectabis. Erit certè humanitatis tuæ veniam, quam ægro vltrò concessisses, ęgrotare timenti impertire. Vale.

EIDEM.

COEnis tuis, mi Iacobe, omni genere lautitiarum differtissimis, Perdicam Macedonis Alexandri comitem; Turditaniæ legatos; & ipsos matris Deum Sacerdotes vna cum Medeæ ciuibus interesse, satis quidem scio: neq; ideo continere me possum, quò minùs, dum Noricas has niues incolo, hoc præsertim tempore, inalpinarum nescioquid auicularum ad te mittam: vt initium Brumæ aduentantis, quam tibi faustam, lætamq; auguror, non clauo, cuius pangendi causâ Dictatorem olim creari solitum accepimus, sed amici munusculo anniuersario designes. meiq; renoues memoriam doctissimis dipnosophistis, conuiuis tuis. Quorum ego linguis vel inter sacra mensæ nomine cieri, genus quoddam eius immortalitatis censeo, quam Musæ suis cultoribus rependunt. Vale Venetorum diser-

disertiſſime; & nos, quos tui memores merendo facis, amore mutuo proſequere.

HIERONYMO EMO *Viro Perilluſtri.*

REdditæ mihi fuerunt litteræ tuę, breues illę quidem, ſi diuturnam earum reſpicias intermiſſionem, eleganter tamen ſcriptæ, atq; peramanter. In ijs longo ex interuallo tuum effuſum in me ſtudium agnoui, cui ſic gratâ animi recordatione, atq; obſeruantiâ reſpondeo, vt nihil minus in mentem mihi veniat, quàm abs te vinci in amore, ſubuereri. Fortuna tantùm, quod dolenter refero, conſuetudinem iucundiſſimam futuram inuidet, &, vt nunc ſe res habent, inuidebit, adeò iſtic plena omnia bellici tumultus: hoſte nobis contermino: vrbe nullis ſubſidijs munitâ, quibus vis arcetur; me verò ob ætatem, vitæq; inſtitutum ita non aptiſſimo ad panicos hos terrores perferendos, vt vbiuis potius, quàm hîc eſſe malim: iamq;, quò me proripiam, receſſum aliquem tutum circumſpicio, vbi nec claſſici ſonum, nec Martis fremitum audire queam. Verùm hæc ne memoratu quidem ſunt ſatis lepida. Amemus igitur nos inuicem, & præteritorum memoriâ, quę lęta, ex animiq; ſententiâ fluxerunt, triſtitiam præſentium temporum ſolemur, Deum adprecantes, vt vel inter arma nos ſaltem non impacatos nobis ipſis reddat. Vale amicorum optime, & me, vt facis, ama. Belluni.

ATHANASIO THALAMINO *Bellunenſi Monaco Cartuſiano.*

PResbyteri titulo auctum te gaudeo, vel ob id potiſſimùm, quòd Deo nunc propiore fruens eum nobis reddes precibus placabiliorem. Et ſi tibi in ipſo etiam flore iuuenantis æui, quantum memoriâ repetimus, maturitas inerat ſenilis, ſubſecuti prænuncia profectùs, qui noſtra quoque vota anteuertit. frugi te ſperabamus, ex-

perimur

perimur optimum, in dies acriorem fautorem apud communem Herum habituri, macte istâ nouâ accessione dignitatis. Sic homini in terris cœlestûm vitam æmulari datur. Donatus tuus, imò noster vestigia tua ponè legens, vno te gradu minor, Diaconi munus exorditur non indiligenter, Sacerdos post sesquianni spatium futurus, si candidato Cæsaris superni, vita suppetat ad plura in eius castris stipendia merenda. Multum illum multis nominibus amamus: quorum illud non inter postrema, quòd nobis quotidie se magis, atq; magis probat tuâ disciplinâ, & cognatione minimè indignum. Ioannes ei succrescit frater à me non ita pridem in collegium clericorum cooptatus indolis erectæ, & quæ sibi suo merito Præsulem conciliet. Multus de te sermo mihi nuper cum Vedanæ cœnobij præfecto tui studioso, mei amantissimo, eodemq; Musarum alumno, Deo dicatarum, pudoricolarum, quarum cantibus argumentum Trias alma præbet, cæteraq: mysteria nostrę pietatis. Is mihi tui desiderium lenire solet colloquijs omnium horarum. quid quæris? bella modò abessent, tuq; adesses, cætera contenti essemus nostrâ sorte. Verùm neq, tu quidem mi Athanasi abes, si nos amas, absentesq; cogitatione animi prosequeris: nec vlla terrere eos bella possunt, qui pacem sibi à Sospitatore nostro imis in ceris legatam summâ ope colunt. Vale in Domino Iesu, & contubernales tuos silenti affatu saluta, quo vos inuicem alloqui soletis.

EIDEM.

IAmne raròquidem abs te mihi litteræ redduntur, quibus tuã longè hinc gentium absentiam solari possim, spemq; eam in posterum fouere, quam de te conceperam fore, vt oris silentium rependeres crebrâ litterarum missione, nisi fortè vobis digitalis ista quoq; locutio vetatur, quâ vsum

olim

olim in disputando Picum Mirandulæ Dominum accepimus; estq; instituto vestro summè consentanea, quippe quæ compressis labris, valloq; immoto dentium peragitur. Verùm hæc per iocum, quo veluti sale familiaris epistola condiri solet vel ab austerioris ingenij scriptoribus. Illud serium, quamquam ad te perferatur seriùs, Donatum tuum sanctioribus sacris inauguratum Hypodiaconi nunc munere fungi: nam Subdiaconi nomen aures quî ferant elegantioribus studijs excultæ? quod è dictione latinâ, atq; Atticâ conflatur † hybridis in modum. Huic ego tui memoriâ admonitus, quem in sinu fero, ita faueo, vt omnem lapidem mouere non desistam, ne indoli suæ, nostræq; decoquat expectationi. A quo nos timore procul esse iubet, maioremq; promissis in diem fidem facit profectu non omnino pœnitendo. Nos hic frequenter inuisit præfectus Vedanæ Bellus, Musis, vt mihi videtur non ignotus; quarum ille fauore carmen, licet vulgari sermone, non vulgare tamen meditatur de Triade, reliquisq; mysterijs nostræ pietatis. Quid quæris? summopere me hominis & docti, & pij consuetudo iucundissima delectat, eoq; magis, quòd de te loquitur, & sentit peramanter; quem ego & probari ab omnibus tui ordinis, & diligi ab eruditioribus; & strenuè in castris Domini rem gerere vehementer cupio. Vale, & me de meliore notâ communi Hero, sanctisq; cœlestis palatij aulicis commenda. Belluni. xj Cal. Iunias.

† hybridæ suos semiferę ex placido, & fero natę.

HENRICO DAVILÆ *Viro Perillustri. S.*

CONtubernio vtetur nepos viri non indocti, & qui ei exemplo suo prælucere queat ad asperam illam viam ineundam, quam, quia tandem aliquando ad virtutem duceret, planæ, ac rotabili prætulit Hercules Proditius. Vnâ, ac eâdem operâ frugalitatem, ac literas edíscet: has ab ore præceptoris, illam ex diætâ, quam plusquam Spar-

tanam

tanã esse aiunt, qui nouere. Iure non modo nigro, verùm etiam pane epulum instruitur, macello, foròue cætario nihil debiturum, & in quo raro aliud opsonium apponi solet, præter Socraticum illud, quod non ære impenso, sed inambulando comparatur; quo ille vehementer delectari fertur, qui nec domi asturconem alat, & iter quotidie benè longum terat ex suscepto rusticani Curionis munere. Citra tripatinum certè prandium consistet, nec patruo tibi erit subuerendum, ne quid nepos fraudis in Oppias leges sumptuarias committat, dum stipendia sub huius disciplinæ auspicijs merebit, vel pendet potiùs; nusquam .n. cariùs esurire emitur. Veniat igitur alacris, labore duce, comite industriâ, & tantisper dum philologiæ tyrocinio imbuitur, vetustæ delicias patriæ, atq; familiæ dediscat. Castra ex hac duriori bonæ mentis palæstrâ sequi si voluerit, delicatiora ei multò videbuntur, quàm olim Phæacum conuiuia Vlyssi. Ego pensum ab eo interdum exigam, vt tibi, & Reipublicæ ipsi gratum faciam; cuius equidem interesse censeo Dauilas non vnum tantum in æuum propagari. Vale Vir fortissime, & nos tui cupidos, vti facis, ama. Belluni. Pridie Cal Februar. MDCXVII.

EIDEM.

ETsi cum eo interpretibus litteris sermonem serere, quem coram loqui tibi liceat, si velis, nondum vsu passim est receptum, tua tamen vestigia legenti, nec autoritas deerit, nec ratio. Octauianus certè Augustus cum Liuiâ suâ per codicillos sæpiùs agebat, quamuis earundem gynecœum ædium, quas ille inhabitabat, hæc incoleret. Nec vlla lex, quod sciam, iubet, vt epistola amicos longè dissitos respiciat tantummodo, propinquos, & penè in conspectu positos affatu dedignetur suo. Meninum amanter tu quidem, neq; ideo minùs verè laudas, dignus ob

istam tuam pietatem, qui & ab optimo quoq; adameris, & à laudatis viris lauderis ob virtutem, cuius munere belli, pacisq; artibus excellis. Mihi impar planè nunc animo facultas est. Nam si qua ante in me fuit, ita deflendis amicorum casibus planè exaruit, vt dolere potiùs, quàm aliquid tale meditari vacet, quod eorum nomini, famæq; consulat. Vobis igitur lampada libens volens trado, qui me ætate subsequimini, eruditione longè anteitis. Ingenij ego vestri posthac admirator fuero, non æmulus. Quòd ad Maurocenum nostrum attinet, ita tu ipsius facundiam commendas, vt expromas tuam. Nec sanè demiror, sic enim naturâ comparatum est, vt non nisi disertè vir florentis eloquentiæ pro dignitate laudari queat. Vnus ille, facessat inuidia, Venetam maiestatem sustinet consilio, probitate, literis, eisdemq; reconditis, varijs, politioribus: quarum perquam raros salutatores vel è limine hodie inuenias. Epistolam iampridem ad te conscriptam, nec transmissam his adiungi volui, ne aut lucubratiuncula periret nostra, aut parùm à me tuum accuratum negotium arbitrareris. hanc, si vacat, leges, valebisq; vt Martis alumnum in procinctu decet, validissimè.

Belluni. Idibus Aprilis. MDCXVII.

EIDEM.

REmunerarer lubẽs te Vir fortissimè mutuâ gratię depẽsione, si vel ingeniũ copiam, vel hilarius argumentum tempora suggererent; quæ tamen non ita animum auocant ab amœnitatibus Musarum, vt non vacet admirari scriptorum tuorum elegantiam. quæris? Epistola teres, ac festiua est, Venerisq; illius transmarinæ plena, tuæ patriæ indigenæ. Elogium luculentum sanè, nec vllius præconio, vel censura egens. Macte istâ tuâ virtute, quæ tibi cum admodum paucis eorum communis est, qui castra hodie

die sequuntur, suntq; ex periurio, aleâ, atq; vtinam non ignauâ ferociâ cofic̃ti. Nos hîc belli † Panicis terremur, tot nimbi circumundiq; æthera cinxere, noctem, hiememq; Italię ferentes, nisi quis ex machinâ Deus malaciem reducat, tempestatemq; serenet iamiam ingruentem. Quod quo minùs speramus (& verò ne meremur quidem) eo exoptamus vehementiùs; nec clam vobis bellatoribus vota hæc concipimus. Audiat vel ipse Gradiuus pater, nihil auidiùs auemus, quàm vt in vomeres omnium vestrûm gladij conflentur. Etsi ne in pace quidem, quæ tua doctrina est, vitęq; studium mansuetioris, tibi defuturum est, quod agas; modò Niliaca papyrus, arundoq; non illa lethalis, sed scriptoria ne desit, quam etiam inter arma, lituiq; strepitum strenuè exerces. Vale amicorum optime; & vince; † Τοῦτο γαρ τοῦ πολέμου ἆθλον. Epigrammata hæc leges, quæ nihil aliud agenti nuper exciderunt suntq; tempori non † ἀπροσδιονυσα.

† Vanis terroribus à Pane Deo, qui eos immittere antmis subito credebatur.

† Hoc .n. be'li premium

† Absurda

DE BELLO LIBVRNICO.

Belli pauore congelata concidit
Vis mentis. imis alget in præcordijs
Sanguis. senecta quem priùs rigens mihi
Afflauit; inde militaris diritas
Trucis Liburni; qui parùm putans Scythas
Aequare sæuis ausibus; vincit feras
Jmmanitate: sanguinem humanum hauriens,
Adhuc tremiscens, uiuidum cor deuorans,
Hircana qualis Tygris, aut lupus ferox,
Quem silua Daunia educat, stimulat fames
Diuturna. ne mihi accidat ludibrium
Fieri cohortis barbaræ. uolens minùs
Cyclopis antrum adibo: Scyllam & naufragus
Adnauerim, atrox nauitis monstrum. procul

Auerte cœlitum ò Pater pestem hanc sacris,
Precor piorum moenibus. piacula
Ni sat parentum luimus. ictu fulminis
cito trisulci promerentes, si placet,
Nos tange. tela haud sic pauescimus tua,
Uti ferocis arma gentis horrida.

CONSILIVM DE LIBVRNICO Tumultu.

Apta rogas quæ, Valla, putem me dicere paucis
Illyricas contra tela securiculas?
Quod petis, expediam. Primum est procul esse. secundum
Præcipitem subitò corripuisse fugam.

De eodem Ænigma.

Contra Liburnas quod secures autumem
Telum potentius rogas?
Paucis docebo: quod caput fuci breue,
Caudamq; bulgæ præferat.

❧

caluere, Bruma dum rigebat, maximè
Res in Liburnis. nunc tepet
Dum uer, putaram quod minùs, frigent uice
Grata: pauorijs parciùs
Sæuì tumultus iam quatit præcordia.
Sic lympha, quæ per horridam
Hyemem calescit in profunda origine
Fontis perennis; frigida
Est ualde, latrans cælo ab alto dum canis
Diffundit æstus feruidos.

HENRICVS CATARINVS *Dauila*.

ALOYSIO LOLLINO.

REmunerasti me quidem, Illustriss. Præsul, è Musarum thesauris quàm amplissime, qui pro rudi vno, impolitoq; Scripto, duo illa ad me miseris Epigrammata, quibus nil grauius, nil acutius, nil exornatius totum pangere potest Helicona. Vterer sępius hac arte: & vili impenso ære è tuis scrinijs clarissimas gemmas commercarer, nisi quęstûs nimiùm auidus videri dubitarem, & iniquo fœnore vsurę crimen subire. Etsi tu quidẽ, & ad scribẽdũ, & ad mittẽda, quæ scripserim cohortaris, qui res nostras eximijs ornas laudibus, & ijs te valde delectari iterum iam affirmas Quamuis enim Platonis sententia sit, † τυφλοῦται τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον: tuam nihilominus sapientiam, à vulgari hac consuetudine longiùs segregatam, nullis affectibus obcęcari, vel impediri puto. Scribam igitur, sed dissimulanter, vt supercilium effugiam censuræ militaris. multi enim, qui crassâ ignorantiæ caligine perfusi, splendorem, & suauitatem hominis aspernantur; nos castrenses philologos, veluti nugis deditos asperiùs reprehendunt, & tamquam lyram in seuerum conuiuium inducamus, Spartiatę illius verba identidẽ inflatis buccis vsurpant, † καὶ οὐ λακωνικὸν εἶναι τὸ φλυαρεῖν opponere non desistunt. sed garriant illi: nos certe à Musarum consuetudine non segregabunt Vota vestra, quibus Iani templum, patentibus valuis, aditis, vt quàm celerrimè pacis serenitatem reducat, lubens ego quidem audio, quin & vnà meas ipsius precationes adiungo. Aueant illi bellorum colluuiones, qui tyranorum, arma sequuntur, quibus idem finis est & stipendiorum, & belli: Nos sapientissimę, atq; gratissimæ inseruimus Reipublicę, quę nouit etiam in pace post pericula periculorum reminisci, & iusta beneficentiâ præteritos suorum labores

† *Excęcatur amãs circa rem amatam.*

† *Et non Laconicũ esse nugari.*

compensare. Viuant tantummodo Mauroceni nostri; &, vt faciunt, Reipublicę gubernacula moderari pergant, nobis certè his authoribus te intercessore nihil est defuturum. Vale Vir sapientissime, & tua constantia belli terrores à te longiùs remoue. Cadubrij Idibus Maij. MDCXVII.

HIERONYMO ALEANDRO *Viro doctissimo S. P. D.*

INgenij acumen tibi, beataq; omnigenæ eruditionis, dicendiq; copia abs te nuper Hieronyme Aleander in Heliacâ tabulâ, & quidem Apelleis lineis expressa, meum legentis animum non tam mirificâ affecit voluptate, quàm admiratione defixum tenuit, dum mecum ipse cogitarem, vnde tibi aulæ alumno, in ciuilibusq; negotijs occupatissimo tanta notitia vix nomine notorum autorum Græcorum omnis æui, atq; Romanorum, qui de arcanis sapientiæ, de Philologiâ, alijsq; præclaris artibus scripsere, quarum perquàm raros amatores hodie videmus: vnde tantum otij, vt de suscepto munere pulchri quidem illo, sed assidui laboris pleno ita in hæc diuerticula deflectas politiorum literarum vt † ἔργῳ pariter hac † παρέργοις studium sufficiat, cursus vero animi etiam supersit ad quicquid naturâ nesciri non recusat, mente consectandum. Eximia sanè verò laus, tibiq; cũ admodũ paucis (& si vereor, ne absq; fascini periculo) communis. Quotus n quisq; amœniora ista, saltem quia rariùs oculis obseruantur, suspicit? nisi fortè istic apud vos doctrinarum est vberior annona, quàm in reliquâ Italiâ, vbi literæ id genus, & difficilius reperiuntur, quàm lac gallinaceum; & nimio plus squallent, quàm in Aristophanis fabulâ Patrocles. Bella causarer, quibus Musas proscribere semper moris fuit, nisi vsu edoctus essem diuturno, festæ pacis bona ad segne otium, ac penè † ἀγράμματον nos redigere quò magis equidem tuæ isti crescenti laudi, Virtutiq; faueo, teq; qui mihi auunculi tui amplissimi Viri Archie-

† Operi
† Operis auctorijs
† Illiteratum

Archiepiſcopi Amalthei, quem vnicè obſeruo, cauſsâ eras omnino diligendus, nunc meritò quidem tuo etiam amplector, adamoq; plurimum, fore animo præſagiens, vt magno mihi ſit decori, ac iucunditati amicitiæ fœdus inter nos nuper inſtitutæ. quam ego ſic omni operâ, ſtudioq; pro virili excolam, vt timor non ſit, ne te pœniteat priorem mecum officio certaſſe. Vale vir doctiſſime, & negotium poſteritatis procurare, vti facis, perge. Commodùm epiſtolam dictaram, cùm in manus mihi Carmen tuum incidit, quo Georgij Contareni obitum repentinum defles. 'O fletum luſciniȩ queſtubus ſuauiorem. Ecquinam tandem cantus erunt tui, ſi lamenta tam dulciter aures permulcent? Simonidi, niſi fallor, vni tribuit vetuſtas, vt cœteris diſertiùs lacrimaretur. Nos tibi præconium hoc deberi quamuis fateamur, lætiora tamen argumenta exoptamus, vt exultans non minùs, quàm exundans fluat Muſæ tuæ vena, & amni puriſſimo ſimillima; cui hoc quoq; acceptum ferimus imprimis, quod parciùs poſthac inimitabili verſuum tuorum cothurno, atq; elegantiâ deterriti inter vos olores obſtrepemus. Etiam, atq; etiam vale. Belluni in ſtatiuis v. Cal. Maias. MDCXVII.

HIERONYMVS ALEANDER

ALOYSIO LOLLINO.

HOc habet Aula, quod Africa, vt facilè noui aliquid ferat. Mirari tu quidem videris Antiſtes optime, & doctiſſime, quo pacto aulicus homo ad politiores literas diuertere, Muſarumq; hortamenta ſurdeſcentibus Aulæ ſtrepitu auribus poſſit percipere. at pro monſtro mihi eſt, Vaticanum vinum (hoc nomine libellum meum appello) delicatiſſimo tuo palatui ſapere adeò potuiſſe, vt laudes à te Viro laudatiſſimo elicuerit. Non illum ego in tantam ſpem genueram. etenim ſtudia hæc amplector, ſi quando

fas eſt

fas est à molestissimis negotijs animum subducere, vt veluti Mercurij ope † Φάρμακον ἐσθλὸν adhibeam aduersùs Circes veneficia. quis enim tutum se præstet ab ijs, quibus Aula scatet, adulationum præstigijs, atq; ambitionis † περιμήκει ῥάβδῳ absque huiusmodi munimento? nam propè est, vt hominem exuere credam, qui literas aspernatur ab humanitate dictas. Atq; ea quidem consilij mei fuit ratio. verùm tu ad altiorem spem vocas; vt scilicet mihi persuadeã, doctissimo cuiq; probatũ iri meos huiuscemodi quamuis tenuis ingenij fœtus, quicquid futurum sit, habendam mihi esse gratiam video audaciæ meæ, qui non dubitauerim in manus eruditas rudem libellum tradere. Retinebat antea nescioquod modestię frenum, ne te † ποιμένα λαῶν ac seria tractantem nugis interpellarem, nunc inanem illum timorem palàm arguit singularis tua humanitas. ac cum & tui amoris compotem me factum videam, & epistolam à te elegantissimam, quasi idoneum pignus acceperim, quid ni fictum Solem Tabulę à me explanatę maioribus pollere viribus affirmem, quàm verum illum lucis fontem, à quo aurum, gemmasq; prouenire aiunt? tuus enim amor omni mihi auro carior. tuę litterę quibusvis gemmis preciosiores. At tu, vt arctioribus etiã me vinculis oneres, commendationem perquam amplam meorum carminum addis. quid agis Vir præstantissime? Tú ne, quem Musæ vltra commendationem omnium protulerunt, in alienas laudes totus abis? sed vt video, tuâ ex ista delenificâ linguâ promanare nihil potest, quod non melleum sit, quod non amorem conciliet: vt etiam Iambos ipsos, rabie solitos armari, Cœlitum laudes canere docueris. quorum quidem Iamborum cùm nonnullos legendi facultatem mihi olim fecerit auunculus meus Archiepiscopus Athenarum, qui te mirificè amat, colitq;, reliquorum etiam sitim vehementem accendit. At tu quid tamdiu prolatâ editione tantum bonum inuides & Christianę, & litterarię Reipublicę? Id

† Medicamentum efficax.

† Oblonga virga viscata.

† Pastorẽ populorũ.

velim

velim cogites Præsul amplissime, meq; in tuam clientelam susceptum amare pergas, & tueri. Vale Romæ.

ANTONIO QVÆRENGO *Referendario Apostolico Viro Clariss.*

NOn vna iam, alteráue trieteris, aut lustrum abijt, sed quantum Metonis annus in se iterum reuolutus æui continebat, cùm ego tibi & Sapientiæ, & Musarum munere percelebri, eisdem tum primùm ipse admotus sacris studiorum, quibus tu eminebas plurimum, in Patauino Gymnasio innotui; nam tu mihi multo ante dictus, cognitusq; fueras, famâ ad Cretas vsq; vbi tunc degebam, & regna Iouis incunabulis inclyta nomen perferente, iam tum literarum monumentis editis præclarum. Ex eo te nunquam tempore non modo admirari destiti, crescentiq; tuæ in dies laudi fauere; verùm etiam pristinæ necessitudinis consuetudinem cupidè appetere, non illam quidem dissensione animorum, quos nexus Gordiano arctior inuicem constringit, sed interuallis potiùs locorum, diuersisq; vitæ vtriusq; nostrûm rationibus diu interiunctam. Tibi enim vrbem colere placuerat, & in istâ luce hominum versari, vbi virtutes tuæ magis refulgerent; me studium quietis, secretiq; amor ab ineunte vsq; ætate ceperat, ingenij viribus diffisum; munus verò pascendi gregis licentiam deinceps etiam compescuit liberioris commeatûs. quòd sanè munus quàm sit statarium, nec te puto fugit, & ego, diu est, cùm experior, quitrientem fermè ætatis hîc contriuerim procul ab omni commercio literariæ vrbanitatis, & Musarum: nisi quantum amicorum litteræ secum ad me deferunt hinc inde, librariorum operâ exscriptum. Cuiusmodi Carmen tuum fuit de sacrâ Cobellutij Viri magni purpurâ, quo sanè ego carmine ita sum affectus (erat enim & argumenti sublime granditate, & beatâ quadam venæ vbertate profluens) vt subitò tui alloquendi desiderio exar-

ferim, tibiq; nominis istam claritatem gratulandi, donec literis honor erit permansurum. Quod facere hâc epistolâ quasi parùm foret, Carmen, post tuum perlectum (vide frontem) addidi, quod tibi sat scio præ tui pulchritudine, atq; venustate Spinturnicium Plautinum visum iri Videatur sanè, modo significationem aliquam amoris in te mei, atq; obseruantiæ præseferat, quam neq; longinquitas vlla, nec diutinum silentium abolere queat. Nunc ego te vehementer rogo Vir doctissime, non vt paria in amore facias; vnde.n. nobis tanta morum suauitas, tam omnium digna studio elegantia, atq; eruditio? quæ amoris illicia censentur; at saltem nostri memoriam aliquando recolas, nosq; quod potes immortalitati vel breui trium verborum amebęâ schedulâ commendes. Auidè id nimium auemus: sicuti cætera omnia, quæ magna apud plerosq; æquo etiam remissiùs. Vale sæculi tui Phænix, & posteritatis negotium, vti facis, sedulò accura.

ANTONIVS QVÆRENGVS *Patauinus.*

ALOYSIO LOLLINO.

Spectarant Lolline meum, nisi dona fateri
Ingratum diuina pudet, felicibus ortum
Sidera luminibus: nomenq; insigne, decusq;
Aeternum; Aonias colerem si sedulus artes;
Vos inter celebres animæ sperare iubebar.
Atq; equidem, primę inciperem cum flore iuuentæ
Spargere purpureas flaua lanugine malas;
Pressa terens veterum pedibus vestigia Vatum
Institeram non segnis iter, quod tramite celso
Castalij nitidas fontis perducit ad vndas.
Sed tua præsertim miros adiecit eunti
Laus animos, quarti vix dum quem lumina lustri

Ingres-

Ingressum volueri aspiciens praecedere cursu
Vrgebam vigiles noctemq; , diemq; labores
Nobilis inuidiae stimulis ; iamq; ardua Cyrrhae
Per iuga , lauriger i nemoris viridante sub umbra,
Nunc dulcem numeris Musam meditatus Etruscis,
Nunc Latijs mulcens intentas auribus auras ,
Insanos iuuenum questus solabar amantum.
At malus interea patrijs ab sedibus error
Spes vulgi miseras , & inania vota sequutum
collibus impositam septem me abduxit ad vrbem.
Hic vbi perpetuis aulae iactatus ab vndis
Saeui inter fera monstra maris , scopulosque latentes
Pieridum sacras eieci è pectore curas.
Quosq; plagis superum, cùm vitae incessit in auras,
Sidereos puri mens hauserat aetheris ignes
Fallacis malesanus amor restinxit honoris,
Et vanis melior consumpta laboribus aetas.
Quòd si praeteritae interdum felicia vitae
Otia nequicquam memorans antiqua relabor
Ad studia, & doctos inuito ad plectra Camaenas,
Iratae incomptas voces, incompta merenti
Auersis dictant animis modulamina uati.
Sint quaecunq; tamen , si tu , quo uindice nostris
Prisca redit triplicis linguae facundia saeclis,
Haud prorsus temnenda putas , ingentibus ausis
Testentur summum , quo te ueneramur, honorem,
Eque tuo ducant aeternam nomine laudem.

ANTONIO QVAERENGO

ALOYSIVS LOLLINVS.

Dat tibi cicneam clarius Quaerenge senectam,
carminibus quae laeta pijs demulceat aures
Romulidum procerum , rapidas Anienis ad undas
Dum recolis sacras studijs , tua Numina , Musas

Nobilibus, famamq; immensum extendis in æuum;
Laudis honore nouo semper florentis. Ephæbos
Nos idem qui iunxit amor, docta otia Athenis
Dum simul Euganeis terimus; manet vsq;, nec annis
Carpitur, inuictum quibus est nil: nec quin nobis
castra habitanda nimis metitur dissita sortis
Amborum, uitæq; autor. tibi Roma theatrum
contigit emeritum ingenio condigna ferente
Plausibus Ausonijs inuenta, & Principis aures,
curarum moles inter cui dulce camœnas
Hospitio acceptas blandè appellare. recessu
Me regio secreta tenet, quà Noricus oras
Italicas latè limes disterminat, agnos
Seruantem uigili Pastoris munere: fontes
Ne rigui, neu prata ullo florentia desint
Tempore. dissimili in studio par fibula nectit
Pectora, nec patitur Lethes obliuia sanctæ
Fæderi amicitiæ officere. es tu semper in ore,
Inque oculis. dirimant diuortia longa uiarum
Telluris, pelagiq;: animi modò cursibus ingens
Præpetibus non obstet iter. dicto ocyus Vrbem
His repeto, & te inuiso non uisus. amanti
Prona uia est, quacunq; leues direxerit alas,
Siue Quirinalis petat alta palatia cliui,
Seu Vaticanis importas molibus arces
Pontificum Sedem amplificam, quò quicquid in orbe est
confluit eximij. Virtus, Doctrina beatæ
Interiora domus aßeruant limina: nomen
His venens dat quisq; suum, penetralibus ante
Exceptus quam pulchri intret templa aurea honoris.
Hic te Principibus permixtum cernimus, ore
Doctiloquo Graiorum artes, Latiæque Mineruæ
Pandere opes, mirosq; animis ingentibus ignes
Subdere ad egregiæ felicia præmia laudis.

ANTONIVS QVÆRENGVS
ALOYSIO LOLLINO.

Insignes candore niues, quibus improba longa
Aetatis me aspersit hiems, fortasse merentur,
Vt mihi cygneam tribuas Lolline senectam.
Sed nitor excelsæ te purus mentis, & omni
Labe carens probitas, haustæq; è fontibus undæ
Permessi, & faciles in dulcia carmina Musæ
Ante alios tanto dignum testantur honore.
Me uerò immeritis posthac ne laudibus ornes:
Sat fuerit Cyrrhæ magnos uos inter olores
Euganeæ raucam siluæ appellare cicadam.
Nec tamen hinc decus exiguum mihi surgere credes,
Si memor in mentem reuoces quæ maxima quondam
Audijt ingentem Platani felicis ad umbram
Formosus reserata sibi mysteria Phædrus.
Scilicet ut mundi per sæcula læta recentis
Eximia uirtute Viri de sanguine claro
Tettigis Aonias sic dilexere sorores,
Vt seu nox tenebris orbem uelaret opacis,
Seu terras nitido radiaret lumine Titan
Perpetuis tererent hilares in cantibus horas.
Jamque cibi immemores prorsus, blandæque quietis
Aegra dabant duro per siluas membra cubili,
Pieridum cùm grata cohors miserata iacentes
Exuit antiqua forma, rurisque canoras
Fecit aues, certaq; sibi sub lege sacrauit,
Omnis vt oblitæ somni, victùsque per agros
Errantes de more agerent; noctemque diemq;
Mulcerent numeris indeficientibus auras,
Dein facilis post sortem obitus sublimia Pindi

Ad iuga fælices animi, laticesque uolarent
castalios, coleretque pius quam quisque camœnam
In terris uates fido sermone referrent
Promeritos placido ut spectarent numine diuæ.

NICOLAO CONTARENO *Philosopho. S.*

LEnis me aura Fauonij admonet, Contarene Virorum optime, vt memoriâ Patauinos hortos, tua regna repetam. Nam tui, qui mihi semper hæres in medullis, vt recorder, perquam profectò absurdum fuerit, ac superuacaneum. Florere illos videre videor, odorisq; sui suauitatem latè adeò difflare, vt mihi vel procul absenti olfactum mirificè afficiant ad istas Floræ delitias sagaciorem. Et verò qui alienis quoq; mensibus vernare soleant, quale nunc eos spectaculum præbere animis, oculisq; par est, cùm gratâ vice veris hyems acris soluitur; ager his etiam in regionibus, atq; prata rident, vbi cœlum tristius hilaritatem soli ad regionem contrahit? Nec tibi ab oculis tantum, naribusq; fœlici aures vacant perceptione miræ voluptatis, quam auicularum cantus à naturâ musicos modos edoctarum affert. Vndiq; tu quidem delinificis sensuum gaudijs perfunderis, sed non ita tamen, vt animi bonis suis perfruentis lætitiæ quicquam anteponas. Ad eam philosophiam, cuius tu cognomento, communi consensione ciuium vocaris, sanè pertinet proprio quæq; pretio metiri, sensilesq; istas non omnino insinceras voluptates pro commeatu habere ad Sapientiæ viam ineundam. Non adeò cornea fibra fuit veteribus illis Sophiæ cultoribus, vt non amœna conquisierint locorum, vbi cœtus agerent procul à Curiæ curis, à fori strepitu. Academia, ne quem nomen fallat, hærediolum Platonis extitit platanis opacum, arbusculisq; id genus alijs, quæ vmbræ caussâ seruntur. Hanc ad sua vsq; tempora durasse tradit non admodum antiquus autor Suidas, illius sectæ æmulis excultam, adauctamq;, vt villico ex fructi-

bus perceptis ad millenos nummos aureos, & eo ampliùs redderet quotannis Platonico sodalitio alendo. Nec verò mihi fit credibile Lycæi ambulacra, vbi sidus illud nostrum Aristoteles, vbi Theofrastus, diuinâ vir facundiâ, totq; hos subsecuti Sapientiæ proceres spatiabantur, merâ mapalia fuisse; sed (permitte quæso, vt in epistolari sympulo dithyrambicos fluctus parumper excitem) viteas præuiridanti lacunari porticus frondeis parietibus innixas, quæ ex artis topiariæ commensu vmbracula aduersùs æstiuos radios prætexerent. Nam Epicuri secessus quidni horti suburbani fuerint? qui, famæ crimen est, quòd malè nunc audiunt, non mehercule minus, quàm Siculæ mensæ, aut Apitianæ. Profectò, si verùm amamus, haud meritò; cùm inde frugalitatis vel Stoici exempla; dominus verò ipse prę ter olitorias dapes, nil nisi † εὐθυμίαν peteret omni, quod te non fugit, condimento, atq; embammate mellitiorem. Hęc nos pluribus fortasse sumus prosecuti, quod quàmplurimos Acrisios inueniri nouimus, &si patres Danäes non sint, qui philosophos omnes ex sui semisse feros quosdam homines, & agrestes putant; & quibus nauteam rosæ ipsæ oleant. contra est. pulchritudinem in omni rerum genere, nullo infectam næuo assectantes illi vel id ægrè ferunt, quòd oblectamentis odoramentorum infamiæ nonnihil à nequitiâ asotorum affricetur. † ex toto mortalium asse vix sextulam decuties doctorum hominum; qui bonâ fide dignationi nominis respondeant, quos ego tantum abest, vt non plurimi faciendos putem, vt Regibus ipsis, si fas est dicere, ac regnis eorum omnibus anteferam, non equidem studio partium accensus (quippe mihi conscius plurimùm me ab isto genere laudis abesse) sed veritatis, cuius sunt ad persuadendum vires maximæ, admonitu. Addam dramati dignum episodium, me ab inuidentiæ vitio intactum ad hanc vsq; diem, tibi vni, tuisq; istis fortunis inuidere ob eam in primis caussam, quòd fortunæ vicibus non

† Iucũditatẽ Cic. animi tã quam trã quillitatẽ.

† Indiscretos temerarios

† Luxu, et ganea studio perditorum

sint obnoxiæ. Equidem, qui nonnullos sic admiror, vt eorum industriam à me summopere probatam æmulari nolim, etiam si queam; secundo fauore aulæ velificari periculosæ plenum aleæ existimo: tuum istud otium liberale, ac planè beatum circumspicio identidem, ad quod me quoque cotidiano valetudinis conuicio euocari sentio; hoc præsertim tempore, quo & ego summis in grege pascendo laboribus perfunctus portum mihi maturè esse occupandum reor, vbi conquiescam; & tu amicâ ope sodalis indiges, cui ioca, seria impertiare. Nam Donatus noster, delitium illud Musarum, à Patauinę stationis littore abreptus nescio quo fato longum iter Cretam, Iouis incunabulis claram meditatur, eius iter Carmine prosequimur; quod his adiungere voluimus, vt videas eò nos mentē inflectere, quo amici vergunt. Octauianum, diuinum illum virum, bellorum æstus impulit ad Gallos Andabatarum more inter se pugnantes. Andreas, hi namq; amicorum familiam ducebant, quo in fretu iactetur, mecum vides; & (quę tua pietas est) eius vicem doles, corpusculi semper affecti vires penè obruentis tantâ mole rerum, ac curarum. Horum tu qui consuetudine careas exoptatissimâ, quidni tacitis votis consortem aliquem studiorum tibi dari cupias, ac tranquillitatis, quam mediâ in rerum hyeme plusquam Halcyoniam tu te tibi paras? Igitur me ipsum non desino acriùs vrgere, vt eò ambabus alis conuolem tandem aliquando, vbi animus absentis iamdiu est, cùm hæret clauo cupidinis affixus. Interea tu Vir doctissime tuis bonis fruere absq; vllo fascini periculo, cuius timor qui nunc esse potest ab alia omnia agentibus, & ad pulcherrimam virtutis formam planè cœcis? Vale.

AD DONATVM MAVROCENVM

In Cretensem Coloniam cum Imperio proficiscentem.

En tibi Creta parens redeunt Minoia regna,
Et Rhadamantæi gloria iudicij.
Nec sola, innumera verùm comitante caterua
Vndiq; virtutum, Pieridum, Charitum:
Pręcipuus quas Vrbis honos, colum eanque Senatus
Maurocenus agit littore ab Adriaco.
O mihi pręteritam reuocent si fata iuuentam,
Quàm cupidè hanc vellem subsequi & ipse viam:
Longa nimis, varijsque maris subiecta periclis
Sit licèt, & nostris dissita littoribus:
Vt tecum decora alta Viri mirarer, & ipsis
Aspicerem præsens gaudia tanta oculis.
Sed quia posse negant vires, mens quod cupit vsq;
Feruida: deponi nec facile est senium:
Aeolides quamuis florentes Aesonus annos
Colchidis assueta sumpserit arte nurus.
I fælix mea cura; animæ pars maxima nostræ,
Et famam æterni nominis inde refer.
Tempus erit cùm te factis ingentibus auctum,
Excipiet Venetùm Curia summa Patrum,
Ornabitque caput meritis venerabile sertis,
Vt niteat, rutilus dum rotat astra polus.

SCIPIONI COBELLVTIO *Pontifici Maximo à Secretis.*

MIrari te scribis Vir Doctissime, quæ tanta me Romæ ceperit obliuio, vt omnem ex animo cogitationem eius reuisendæ penitùs abiecerim. Dicam equidem verè, &, quod † Orobium decet hominem, simplici- † *Monticolam.*

ter. Nemo me Vrbis rerum, quas Sol intuetur, pulcherrimę cupidior; nemo amplitudinis eius viuit studiosior. Sed euenit nouo quodam modo, vt quę res me exstimulare ad reditum vel maximè debuerant, eæ præcipue in caussâ forent, ne redirem. Nam ex quo primùm huius exigui Gregis cura mihi credita est, existimaui munus id statarium esse, quod susciperem; imò (si per dicendi magistros licet) sedentarium. Itaq; postquam hîc consedi, omnes euagandi caussas circuncidere aggressus; nulla passa est se vinci ægriùs, quàm quæ desiderium illius Vrbis, atq; vrbanitatis prætexebat. neq; id immeritò. Hærebat infixa pectore Maiestas, Sanctitasq; loci; vbi quàcunq; ingredimur, in aliquam historiam Martyrum, Pietatis nostræ vestigium ponimus: præterea Pontificis humano generi Pręfecti, Superis pęnè æqualis Auctoritas: propensa in me voluntas tot orbis Procerum: delitiæ meæ, omni antiquorum codicum genere refertissimę Bibliothecæ: suauissima colloquia, atq; ambulationes cum amicis; quorum te agmen ducere si dixero, non id auribus tuis, sed eruditioni, sed morum suauitati datum, velim, putes. Verùm ad extremum omnia peruicit pertinacis animi decretum: ita tamen vicit, vt Vrbis amor non extinctus prorsùs, sed quasi inducto cinere sopitus manserit, eò flagrantiùs ad ipsius conspectum exarsurus, quo & nunc illic omnia multis partibus pulchriora sunt sub tanto Principe; & tu Romanæ Curiæ Sydus, desiderij potior pars mei, postquam copia tibi data est ingenij tui lumen latiùs spargendi, clarior refulges. Subuerebar itaq; ne (quod Lotophagorum hospitibus aiunt euenire) si iterum lucem istam diuitis spei plenam hausissem, extremum vale dicendum mihi esset Ithacæ huic meæ montibus suffixę: nec carebat ratione timor. In ipso limine senectutis constiti iampridem: longâ experiētiâ ipse mihi notus sū intus, & in cute; quā sim mollissimi affectûs vel hînc perdidici; quòd in reuisēdis amicis voluptate

tate perfundor summâ, quam mox discessûs cogitatio infuscat; abeundi verò tempus vsq; adeò in angorem vertit, vt multo satius fuerit non reuisisse, quàm ab eorum complexibus diuelli tam molestè ferre, & breuis allocutionis fructum diuturnâ luere desiderij acerbitate. Quid facias? Æquiore mihi animo toleranda est ista naturæ meæ imbecillitas; quòd & moris non improbi sit index, & occasionem optatissimam præbuerit (vt est solers in comminiscendis artibus egestas) rationis ineundæ, quâ vel longè dissitorum amicorum possim perfrui consuetudine. Hanc, cuiusmodi sit, explicare paucis quid vetat? per epistolam pręsertim; cui ruborem parœmia adimit. Præcipuum caput est (quando & hæc ars scitis suis constat) amicos per ceram, & linum, litterasq; interpretes, quantùm possumus, crebrò salutare; eiusmodiq; vti adminiculo aduersùs silentium, quo nihil est amicitijs hostilius, nil perniciosius, nihil Ioui Philio inuisum magìs, quem non aliam ob causam potissimùm humano generi dedisse litteras crediderim, quàm vt earum beneficio absentes longè gentium sodales pręsentes nobis redderentur. Huic est remedio finitimum, charorum dicta, facta, collocutiones tradere memoriæ, quæ illa obsignata ita in thesauris adseruet suis, vt ad repetentis nutum in numerato reddat bonâ fide. Tempus autem erit reposcendi, cùm otium ab interuentoribus liberum contingit: ipsiq; nobis relicti perlepido aliquo spectaculo oblectare animum auemus; tunc enim licebit Memoriâ, ac Phantasiâ, veluti Ædili gemino rem suppeditante, prosopopeias mirificas effingere, factisq; experiri, quàm sit pernix, omniq; quadrigâ citior humanę mentis cogitatio; quæ ad punctum temporis modò nos Venetijs, modò Romę sistit. Mihi certè sæpè vsu uenit, vt non Abaris sagittâ, non Gygis annulo, sed sola huius artis ope ad vos transuolem; tecum de communibus studijs sermonem' seram; Tibi non tam de Dignitatis incremento gratuler,

quàm de istâ tuâ singulari fide, probitate, in excolendis amicitijs constantiâ: Burgium verò nostrum, quòd ad amicorum litteras obstinatè sileat, obiurgem etiam familiariùs: &, quod magìs mirere, hęc sic perago, vt, quod difficillimum istîc habetur, amicos magnos adeam, interpellem pro arbitrio non intempestiuus: rubore saluo, incolumiq; verecundiâ nemini aliud agenti obstrepam, nullius otium quasi Dauus alter interturbem. Non is ego sum, cui crabrones irritasse placeat, neq; ideò nubecula supercilij Stoici me terret, quod sublaturum esse ętatis nostræ Cleanthē, aut Epictetum aliquem sat scio, si hæc resciuerit, quæ illorum dogmata conuellunt. Ain' tandem, inquient, adire Summates Viros tot negotijs districtos, quod nos præcipuum fauentis Fortunę donum, alienum certè beneficium vocamus. tu inter ea recensere audacter audes, quæ sunt in nostrâ potestate? & euersorem porticûs taciti feremus? Adijciant his vel atrociora: gentis irasci facilis stomachum non curo; modò mihi maneat honos artis tam admirabilis inuentę, quàm eos me docturum etiam polliceor, quos malè habet à Potentiorum liminibus, quæ plerunq; importuni obsident, arceri; tantùm præceptori minam soluere meminerint. Verùm admonet me charta, ne sim longior. Vellem non tam serò monuisset tui causâ: quid enim refert, dices, coram me an per epistolam obtundas. Vale.

Belluni. Calendis Aprilis. MDCXI.

SCIPIO COBELLVTIVS

ALOYSIO LOLLINO.

O Longam nimiùm mearū intermissionem litterarum. eâ sanè factum metuo, ne tu non memineris amplius nominis nostri, ne dum erga te amoris & obseruantię. Itaq; carminibus agendum putaui, quorum vires cum

incredibiles narrentur; non est, cur desperem, ne me in tuam veterem gratiam restituant, si qua fortè iactura facta est Ego vt negligentię culpa non caream, amorem profectò & obseruantiam, quam semel suscepi, præstiti tibi semper, prędstaboq; dum viuam. quamquam nosti aulę morem: & quàm nostra natio nihil agendo distineri perpetuò soleat. Cœterum in Riuerij carmina, quæ mitto, inquirere te magnopere velim, ac simul, quid sentias, liberè dicere mihi crede, & mihi, & illi gratissimum feceris. Burgium Episcopum hîc habemus venisse se sacra limina visere profitetur. Tu verò adeò ne ab Vrbe, & Vrbanis omnibus alienus es vt tam longo interuallo non reuisas? Nisi me mea prognostica fallunt, propediem te Romę videbimus. nescioquid boni auguror tum mihi, tum cęteris tui obseruantissimis à Veronensis Cardinalis reditu. vtinam verè. Vale.

ALOYSIVS LOLLINVS.
SCIPIONI COBELLVTIO.

NOmen tuum Cobelluti apud nos Lege Regiâ Tribunatum gerit, nec à diuturna litterarum intercapedine, quæ arctos necessitudinum nexus, & amicitiarum coniunctiones soluere consueuit, ne dum ab alio quopiam violari potest. tu modò Lollini tui meminisse memineris, septimam iam hyemem Noricam hanc niuem incolentis. tantus gregis amor, tanta cæterarum rerum omnium satietas animo incessit. accedit morosa comes mala valetudo, quæ aurem subinde vellens, desiderio Vrbis, ac vrbanitatis, quod sępe tu, Burgiusq; noster memoriâ vestri excandefacitis, frigidam suffundit. Panegyrica legimus non semel. quæris? non æui nostri visa sunt. plurimum te hoc quoq; nomine amamus, quod otiũ nostrũ tã lepidâ Musarum fęturâ oblectaueris. Vale, Burgiumq; singularis doctrinæ, & innocentię Virum saluta meis verbis.

SCI-

SCIPIO COBELLVTIVS
ALOYSIO LOLLINO.

QVàm diu ab vrbe abpuerim volẽs nolẽs, Burgij Episcopi litteris certiorem te factũ esse existimo: quàm verò mihi omnem vrbanitatem, ne dicam humanitatem, hæc absentia ademerit, ex diuturno silentio nostrarum litterarum tu te, scio, plus satis perspexisti: tamen caue, putes quicquam mihi antiquius fuisse, cùm primùm Romam reuisendi potestas facta est, & domi conquieuimus, quàm vt nostrę in te obseruantiæ, & amoris aliquando tandem signa impertirer Etenim vt prætermissi officij culpam litterarum intermissione non effugerim, illud certè non commisi, vt quem semel incredibilem suscepi amorem, & obseruantiam, integram tibi non præstiterim. cuius rei & mihi ipse conscius sum, & tibi suasisse me facilè fateberis, ni tu animi tui plurima, & egregia ornamenta penitus dissimulaueris. Quid enim? ego quid in vita sit amandum: quid excolendum prorsus non ignorem plane improbè; si te Lolline Vir Clarissime vnicè non diligam, & colam? præsertim quem tuæ particula beneuolentię dignatus aliquando fueris. Id quod tum facio, vt debeo, plurimi: tum etiam, dum gratulor assiduò fortunę meę, placeo ipse mihi magis: ita vt non possim non abhorrere ab ea cogitatione; vt velim à nobis aliquid contrahi, quamobrem de tua in me voluntate quicquam iure detrahatur: quam augeri in dies singulos ardeo mirum in modum. Sed vereor, ne, dum me tibi ambitiosius purgo, iniuriam faciam moderationi, & benignitati tuæ, ac videar subuereri, vt tu Vir nobilis, & virtute ac literis excultus imprimis obseruantiam nostram, tibi iam diu cognitissimam, æqui boni non facias, licet interdum argumentis litterarum, leuibus illis quidem, & fallacibus non raro destitutam; quod tamen vt præstes etiam atq; etiam rogo. Hæc hactenus, Iamdudum, ni fallor,

lor Burgij itidem litteris ad te perlatum est migrasse me in familiam Cardinalis Asculani: si modo migrare est amicorum omnium suasionibus, & potentioris Viri huiusce modi accitu, quasi æstu quodam non inuitum deferri. Reliquum est, vt si quid meam operam tuis, aut amicorum cuiusmodicunq; ordinis rationibus vsui esse posse intelliges, significare ne graueris: mandatis tuis nihil exoptatius continget. Non enim voluptati minus, quàm ornamento fore illa mihi pro comperto habeo. Dabis igitur hoc saltem commodo nostro. quamquam non arbitror, deeris, quin in sacri anni huius celebritate Romam inuisas. quare hæc pluribus coram. Burgius, quod fortasse nosti, propediem hîc aderit. vtinam & vnà tecum illo perfrui liceat. Vale.

ALOYSIVS LOLLINVS.
SCIPIONI COBELLVTIO.

AMari me abs te, mi Cobelluti (quod iampridem, & constanter facis) non tam mihi gratum, quàm iucundum ad intermissas dudum scribendi vices reuocari. Tuas enim litteras natiuo Lepore oblitas dum lego, imaginem mihi Romanę elegantiæ, vrbanęq; festiuitatis videre videor, quam adeò tecum, quocunq; pedem extuleris, circunfers, vt minimè verendum fuerit, ne eam tibi longa ab vrbe absentia ademerit. Ingenium ante tibi est abijciendum, quàm hęc ab illo perpetuò emanans laus. Te in familiam Cardinalis Asculani cooptatum ita gratulor, vt plane confidam breui effecturum assiduitate, & virtute, quibus tu maiorum gratiam exambire soles, vt inter intimos illius Herois amicos habearis. me hic non tam officij mei ratio, quàm valetudo ipsa semper quidem anceps, nunc verò etiam aduersa tenet; Romam pietatis ergo, si salus seriò respexerit, adulto iam autumno cogitantem, vbi me inter beatos numerabo, si Burgio V Amplissimo, in cuius nomine vel solo recreor, vnà tecum perfrui licebit. Quę tu interea sponsorē meę in te obseruātię habebis Vale.

EIDEM SVMMO PONTIFICI *à Secretis.*

FAcio inuitus, vt recorder, quæ pręstaret memoriæ exempta, Amnestiæ scrinijs asseruanda tradere. Verùm nec officij in te mei ratio aliter constabit, quàm si dixero, simulatq; tutò mihi licuit ad te dare litteras, dedisse; neq; tu huius tam seræ gratulationis † ἀκαιρίαν absq; aliquo embammate admiseris. Sit id Iliensium stupori proprium, vt risum istic. officiorum dilationibus eliciant: nos Vcalegontas istos tantum abest, vt recipiamus, nihil vt improbemus magis, quàm rebus amicorum prosperis non affici. vt primùm itaq; accepimus te Marcello Vestrio C. V honorificentissimo in munere suffectum, tantâ lętitiâ perfusi sumus, vt nihil nobis fuerit optatius, quàm tibi de istâ amplificatione dignitatis tuæ gratulari. quod nunc hac epistolâ præstamus, seriùs sanè multo, quàm vellemus, ideoq; breuiùs, vt eâdem operâ & animi ingrati crimen, & importunitatis notam euitemus. Interea mi Cobelluti, tibi persuade, amorem in te nostrum eum esse, vt in tantâ amicorum copiâ, quos tibi vel deuincit virtus, vel conciliat humanitas ab vno Burgio se æquari patiatur, superari ne ab illo quidem sit passurus. Vale, & amicos nostros viros optimos saluta.

† *Intempestiuitatem.*

SCIPIO COBELLVTIVS

ALOYSIO LOLLINO.

VT primũ aureolas litteras tuas accepi, datas iij. Cal. Iulij, statim visus sum amicum magnum, planè incomparabilem recuperasse. Te quidem Vir Clarissime vim sæuissimę tempestatis abripuisse, & à nobis diuulsisse aliquando putaui, ac dolui mecum vehementer. Vtinam te saltem litteris alloqui liberè licuisset: leuasses. Sed missa hæc

ſa hæc. Quòd Veſtrio S. D. N benignitate ſucceſſerim, tu quidem meritò lętatus es: mea in omnia tua eſſe iam diu ſtatui, non ſolum communi legi amicitiæ, ſed tuo quodam priuato ac pręcipuo iure. An tua virtus communis? an literę? an amor in nos? neq; ſera eſſe eius gratulatio, nec fallor, poteſt, cuius tarda non fuit lætitia. cœterum qualis ſit muneris noſtri conditio, non te fugere arbitror. Itaq; ſi mea opera tibi vſui eſſe poſſe intelliges, iniuriam facies amicitiæ noſtræ, ſi nobis confeſtim non ſignificaueris. caue enim putes, me cuiquam libentiùs nauare illam poſſe, quàm tibi. Pluribus ne agam, vetat negotiorum turba, grandis ac periculoſa, quæ vrget aſſiduè, ſic vt otium planè nullum ſit. Burgius plurimam tibi ſalutem. Vale.

ANDREÆ MAVROCENO *Senatori.*

EFfecit tui calami præſtantia, vt collis admirandi operis, Hieronymi Fabricij elegantiæ monumentum poſteris futurus, quem ego vulgaris famæ ſermonibus permotus, inuiſere dudum valde cupiebam, iam mihi in tuis litteris ſepiùs perlectus, & planè dimenſus animo, atq; pererratus, notior euaſerit, quàm ſuus vlli lar familiaris. neq; ideò cognitio deſiderium fruendi minuit, ſed adauget hoc etiam magis, quòd in amorem præcognitarum rerum neſcio quo pacto ferimur effuſiùs. equidem potuiſſe priuati hominis ſolertiam, largitatem, ſtudium in depreſsâ ſitu planitie agri Patauini montem excitare, piſcoſis aquarum ſcaturiginibus circumfluum, Syluâ fęlicium ſtirpium opacum, ferarum colonijs percelebrem, ſuperbis ædium ſubſtructionibus ſpectandum ita miror, vt non æquè animum afficiat velificatus Athos ſub maximi Regum auſpicijs: Baianum ve mare rupibus immiſſum Luculli Piſcinis inſtruendis: quem olim qui togatum Xerſem ioco appellauit, is credo, ſi Fabricianum inſpexiſſet, vt erat eruditæ

facundiæ, non aliam iniuiſſet viam, qua ſtylo paria cum loci amænitate faceret, quàm tu in tuâ deſcriptione es ſecutus; nihil eorum pigmentorum prętermittens, quę Rhetorum arculæ aſſeruant in hos vſus: ſimul exemplo tuo declarans maximè, ſummorum ingeniorum parerga, atq; animi remiſſiones, eadem ſtudia plurimum referre, in quæ toto pectore incubuerunt. Nam veluti armorum aſſuetos ſtudijs videmus, etiam dum à procinctu procul abſunt, non ſegni otio ſe ſtatim dedere, ſed corpus diligenter exercere in curſu, venationibus, palęſtra, vnde ſimulac claſſicum increpuit, alacriores redeant ad pugnam. ſic tu hiſtoriam profeſſus artem omnium clariſſimam, Senatorioq; faſtigio digniſſimam, non illi modò plurimum impendis operę, negotium poſteritatis agens ſummâ fide, verùm etiam ſi quid à Republicâ vel gerendâ, vel litteris mandandâ ſupereſt otioli, id in oblectamenta eiuſmodi inſumis, quæ ad cogitationum, curarumq; tuarum pręcipuam pertineant. eò tibi ſeria, eò ioca deſtinantur omnia: nec ſanè iniuria, ſi prouincię à te ſuſceptę amplitudinem reſpicimus immenſam, interminam, & curſui ingenij tui planè parem. cui qui humanas actiones veluti finales terminos adſcribunt, reſtrictè quidem illi nimis agere videntur, ne iniquè dicam; quaſi verò fando ſaltem non inaudierint naturalem Plinij maioris, Ariſtotelisq;, atq; Æliani de animalibus hiſtoriam. Verùm vt demus illam non latiùs excurrere, quàm quo fama rerum peruenit domi foriſq; egregiè geſtarum; quis rebus Venetis luculentè, ac ſplendidè dicendis negabit notatione locorum accuratâ opus eſſe, quę lectorem veluti in rem pręſentem manu ducens, nunc in acie, nunc in caſtris ſiſtat, modò comitem itineris adhibeat per auia locorum, & vel altè accinctis inſucceſſa, eſt quando intra munimenta collocet præruptarum arcium, ab hoſte actis ad muros vineis oppugnatarum. Vt non inſcitè Lucianus Homerico Ioui comparauerit Hiſtoricum, nunc Thracum,

nunc

nunc Myſorum terras proſpectanti æthere de ſummo: nec minùs argutè quidam harum rerum non omnino rudis, nec ignotus tibi, qui lectâ epiſtolâ tuâ, agnoſcere ſe dixit Mauroceniani ſtyli rudimentum, inſignis alicuius loci deſcriptionem meditantis, quam annalium ſuorum monumentis inſerat. Fælix tu quidem otij ac curarum, cuius luſus ingenti ſtudio euigilata alijs antę eunt. Fabricius verò & forte ſuâ, & præconio tuo inuidendus, cui cum paucis euenit celebritati nominis ſui intereſſe, fructumq; induſtrię capere vberrimum, laudationis tuæ teſtimonium in omne æuum permanſurum. quod nobis quoq; qui ætatem in ſtudijs contriuimus, vt plurimum affert admirationis atq; voluptatis; ita ſpei parum vllo vnquam tempore paria audendi. quod attinet ad ſeceſſum tuum Patauinum, qui tibi argumentum pariter, otiumq; ſuggerit ad feſtiua iſta curarum condimenta, quibus animus, corpuſq; vegetatur, aſſiduis laboribus fatiſcens, quid aliud dicam? niſi me antequam huic eſſem adſcriptus Bellunenſi glebę, nunquam mihi magis placuiſſe, quàm cum illic eſſem; vnde memini me fruſtrà quaſi liciniâ lege Venetias ab amicis reuocari ſolitum, quorum tu in cenſu princeps eras. nemo oppidum facilè inuenerit ab omni laude florentius, & cui valetudo, hilaritas, & Muſę deniq; ipſę magis debeant. vt ergo felicitati tuæ gratularer, ſi caſus illuc te aliquis fortè detuliſſet; ſic nunc conſilij tui rationem probo vehementer, quod eiuſmodi tuis grauiſſimis occupationibus diuerticulum paraueris, vbi quaſi de viâ feſſus, & complures dies ſis aliquando libentiſſimè, & Alcyonijs vel mediâ in rerum hyeme fruaris. neq; probo tantùm (parum enim id foret) verùm etiàm imitari cupio ſummopere: imò ſpero potiùs, animoq; deſtino non alium portum Senectutis meæ, cuius in limine iamdudum conſtiti, quà ego in cogitatione ita me recreari ſentio, vt laborioſi huius muneris moleſtias & exiguam hoſpitij amænitatem, atq; an-

gustiam, quam mihi cęlestis ille metator dimetiri voluit, hac potissimum spe soleam lenire. Interea, quod adhuc est nobis in optatis, tu Deo benè iuuante, quantum tibi per publica licet commoda, amplectere, nosq; quod facis, ama tui cupidissimos. Vale.

THOMAS SEGETVS

ALOYSIO LOLLINO.

MAlui quidem coram, quàm per litteras, hoc salutandi tui officio defungi. nunc quod ex clarissimo Viro Donato Mauroceno intelligere licebit, quoniam illud rationes nostræ non ferebant: non erat negligenda occasio, quâ & amico me obstringerem, & studium in te meum profiterer, quamquam subuereor, ne intempestiuè fortè obstrepam occupato, atq; ita studio officij officium corrumpam. Verùm esto: dum ne officio desim. reliqua humanitati tuę permitto; quam ego nimiam ignotus, immeritusq; sensi. neq; vlla me cura tam habet sollicitum, atq; illa vt vel merear, vel mereri videar, etsi tibi quidem videor. Interea meliori me videndi, demerendiq; tui spei seruabo, colereq;, quo affectu cæpi, perseuerabo. Vale. Vide quâ apud te fiduciâ sim. quia persuasum habebam, qualiacunq; demum sint, mea tibi placere; animum induxi, vt & duobus his epigrammatis seu otio siue negotio tuo abuterer.

Taruisium loquitur.

Flauius, & vitrea Sillis me proluit vnda
Sunt Bacchi, & Cereris, sunt mihi dona Palis.
Mansi vna accisis Venetum fidissima rebus,
Sorsque, quod haud crebrum, læta secuta fidem est.

Mitte

Mitte Saguntinas memorare Hispania clades:
Plus est, quòd saluæ stat mihi fama fidei.

De Altino.

Hic erat Altinum. de tantæ molibus Urbis.
Hi rerum cursus, nil nisi nomen adest.
Discite mortales. Breuis æui incerta, vicesq;
Ferre alacres. vrbes & sua fata manent.

THOMÆ SEGETO.

OCcupationibus tuis subirascor, quæ te exoptatissimum hospitem nobis inuiderunt. id tu, credo, numine natum proprio diuinans, delinimenti loco epistolas, atq; epigrammata, quæ bilem nobis abstergerent, quasi litterarum bellaria misisti. ea, si nescis, rusticanti mihi, otioq; quod haud crebrò accidit, planè diffluenti sunt reddita itaq; & perlecta à me auidè, & probata summopere fuerunt. quæris? admirabilis in eis gratia, lepos, puritas elucet. Ego te in sinu fero, neq: timendum tibi ne discingar. Tu contra me mutuiter amabis, & valebis. Clarissimo Viro Ben. Georgio hospiti tuo plurimam salutem.

LAVRENTIO REGOSIÆ.

A Fabis mi Laurenti, abstinebis posthac, si sapias, nonmodo Pythagorę admonitu, sed tuo met periculo, quod proximis comitijs subijsti. sunt illæ, vt optimè nosti, concoctu perdifficiles, & quæ stomacum delicatioribus sollicitant, cuiusmodi te esse conuenit in molli gremio Musarum educatum, eisq; doctrinarum studijs excultum, quibuscum ambitioni nihil est commune, rei humili, abiectę, virtutis iniquę interpreti, fortunęq; cuncta tribuenti; vnde omnis gratia comitialis, suffragato-

rumq;

rumq; procedit fauor, quem quicunq; ille fuit, qui popularem auram vocauit, rem acu tetigit. nisi quòd aura ista lenis repentè ita persæpe increbrescit, vt in vehementem nimbum, turbinemq; euadat, noctem, hyememq; in foro deprehensis allaturum, vbi habitare oportet candidatos, ea summo studio agentes, quæ plerunq; summam illorum leuitatem an subinanitatem? arguunt. Meminisse te puto L. Crassi, socerum suum grauissimum Virum Qu. Scæuolam sibi assistere nolentis in petitione consolatus, ne ridiculus esse cogeretur eo spectatore, cuius vita omnis censura fuit quodsi ille ab ineunte ætate campo assuetus, idemq; Orator maximus ineptire sibi videbatur, dum rei tam ineptæ inseruiret, quid de Peripatetico dicemus? quid de Asclepiadum artes æmulato? quas ideo fortasse Maro noster mutas vocat, quod verbis blandiri omnino nesciant. mirifica hercule persona introduci poterit in hac mundi scenâ Iatrophylosophi calatis comitijs prensantis, dũ vultu, cęteroq; corporis habitu in modum deprecatorium composito hunc ore, illum complexu arctiore, vocali nutu alium efflagitat oratq; vtrum exorarit adhuc anceps, & ni lex Calpurnia obstet, mercari quoq; suffragia paratus. Verùm hæc alijs narrantur, si modò est aliquis futurus, qui spem emere tam effusâ suæ existimationis impensâ velit. Tibi verò nobis intus, & in cute cognito, in mentem reuocasse satis fuerit tria illa à Q. Fratre in M. Ciceronis Consulatum petentis aures crebrò instillata. quis, quid, vbi. Medicus es, non circumforaneus; verùm id nominis humanitatis, doctrinę, eruditionisq; studijs promeritus. artem exerces eximij decoris, atq; dignitatis, ab Homero multis alijs æquilibrem dictam, quæ, quia in vitam omnium ius habet, imperantibus quoq; ipsis imperare solet, modum eorum victui præscribens Manlianis iussis, corporiq; ignem, & scalpellum admouens impunè. hanc muneris tanti maiestatem, quam Menecrates ille Thure à

Dio-

Dionysio depastus, Iouis imperio ęquabat, fasces cuius de triuio submittere quàm deceat; ipse pro tui ingenij acumine, etiam me tacente, credo, vides: pręsertim cùm aliquid magnum non petatur, & in quo fortunæ Asiæ consistant, sed auctoramenti exigua accessio, quam meruisse potiùs, quàm efflagitasse fuerit honestius. neq; enim magis vmbra corpus, quàm honor, honorisq́, fidę istę comites, remunerationes, ac largitiones insignia benefacta subsequuntur; Cuiusmodi sunt ægrotos etiam extremæ sortis, (quandoquidem non fortunæ, sed humano corpori medicinam facitis) officiosissimè inuisere, solari, artis, ac humanitatis ope subleuare, ea demum exequi, quæ Hippocrates, lumen vestrum sanctè se iuramenta obstrinxit præstiturum, nullo alio operę suæ constituto pretio, quàm quod magnitudo beneficij reposcit; tanto argento, auroq; carioris, quanto vita ipsa, cuius vos conseruatores haberi vultis, longè fortunis omnibus præfertur. erít ne quisquam à gratijs adeò auersus, qui aliquam earum rerum partem salutificatori suo neget, quarum vsura fruitur, illius munere ab ipsis penè Orci faucibus ereptus? publicitùs ac priuatim omnia, quibus indiget vsus, ad vos confluent tanquam gratitudinis singulorum monumenta, si ea à vobis non maximopere expeti homines persenserint. ita enim naturâ comparatum est, vt acres sui amatores fortuna deserat, vicissimq; aliud agentes donis suis ditet pro arbitrio. credo equidem, ne pręclarissimis literarum studijs relictis, toti diuitijs parandis vacaremus: quas sæpe numero non inuitas sequi fugientes fugereq; insequentes animaduerterimus tum alibi, tum in patriâ potissimum, vbi mores nostri vitęq; institutio latêre conterraneos non potest. municipes quidem tui, mi Laurenti, in alijs non ita inter se concordes, in te non ita pridem ornando, mirâ animorum conspiratione consensere. horum tu gratiam si non eisdem artibus sartam tectam seruas, quibus ab initio tibi

com-

comparasti, facis tu quidem, quod à fide, virtuteq; tuâ alienum est, à nostrâ vero expectatione remotissimum. Sin talis esse pergis, qualem te recipiunt futurum omnes, qui te norunt, nihil est causę, cur dubites, quin eadem sint in te studia tuorum ciuium mansura. quodsi vt sunt hominum ingenia ad ingratitudinem procliuia, quidpiam acciderit, quod illorum immutet voluntates, putás ne tibi defuturas opes amicorum, quos egregijs meritis tuis tibi deuinxisti? Verùm vt demus eorum quoq; in te benignitatem arescere posse aliquando at tu obliuisci nō debes veteris sententię à Nerone crebrò vsurpatę, artem omne solum alere. quod ille Imperator nequam, idemq; fidicen ridiculus de suâ cytharedicâ peritiâ iactabat, ęquiùs tu de tuâ arte dixeris omnium Clarissimâ, cui donec audax Iapeti genus cum morbis ancipiti pugnâ conflictabitur, suus erit honos apud Troiugenas non minùs, quàm Achœos. hæc animo diu multumq; meditata te admodum remissè ab alijs cupere inducent, quod tibi, cùm à Deo Optimo Maximo discesseris, fortunę cuiuscunq; nostrûm architecto, præstare ipse potes studio, sedulitate, fide, rebus haud passim inuentu promptis, tibi verò perfamiliaribus, quarum te auxilio inniti malo, quàm gratiâ, ac circumcursatione fauitorum, per sępe suorum spei illudentium. Officij mei esse duxi hæc ad te familiari stylo exarata mittere, vt haberes, quid planè sentirem de totâ petitionis tuæ, quam mihi summæ curæ esse nosti, ratione cui si incumbere est animus, nos eam votis, quæ propria seniorum esse non ignoras, vltrò prosequemur, Deum Optimum Maximum orantes, vt cępta non tam fauore adiuuet, quàm fortunet suo.

FRAN-

FRANCISCO BARBARO *Patriarchę Aquileiensi.*

ROmâ paucis ab hinc diebus perincommodo sanè anni tempore profectus, non intermisso itinere Venetias eo potissimum animo perueni, vt inde è vestigio ad Synodum tanquam ad Dei castra conuolarem. quod haud difficulter præstititissem, ni lassitudine nimiâ confectus, corporisq; valetudine aduersâ præpeditus, angustiâ quoque temporis planè excluderer. quæ sanè res sicuti mihi molestiæ plurimum incussit, ita multo maiorem intulisset, nisi spes non dubia subesset, legitimę excusationis nostræ rationem Amplitudinem tuam non improbaturam. quam ob causam probum, & doctum Virum Gasparem Pinellum Theologum nostrum Vtinum legauimus, simul vt quicquid erit actum ratum, comprobatumq; nostra vice habeat. Interea, quando, vti summis votis exoptaram, pręsens quidem nequeo, per hasce litteras manus tot preclarissimorum Pręsulum osculor, Sanctissimoq; isti cœtui fausta omnia à Deo precor. Venetijs viij. Calend. Octob. 1596.

ALEXANDRO BVRGIO *Episcopo.*

AMyclas ferunt tacendo perijsse; perierint illę, dummodo non amor in me tuus, curà litteris orto, eductoq;, ne idem planè accidat, litterarum ope succurrendum puto. pręsertim cùm viuæ vocis fructum, quem, si vnà essemus, ex familiari sermone vberrimum quidem caperemus, tempora inuiderint, quorum est difficultatibus effectum, vt nobis tecum agere per aliquot menses ne per epistolam licuerit. Verùm hæc, quandoquidem animo eximere † ληθηδανω τινὶ φαρμάκω, cuiusmodi fuit illud Homericæ Helenæ, non datur, missa faciamus: & Deo gratias habeamus immortales, qui tam procelloso rerum turbine perflante, non est passus nos aliquid committere aut Epi-

† Medicina aliqua obliuionē inducēte.

ſcopi munere indignum, aut noſtræ amicitiæ indecorum? Stetimus animis, & cum paucis curſum (niſi nos opinio fallit) rectum ſcopulos inter medios tenuimus. nunc, ſi quæris, græcos, ſacræ philoſophiæ auctores, liberiori animo tractamus: quos etiam, niſi id inuidioſum ſit, patriæ linguæ peritiſſimo latina proferre verba, ipſi adhuc docendi, edocemus. vt otij noſtri ratio, ſi modo vllum homini † σπιοκοπολῶντι otium contingit, amicis conſtare poſſit aliquando; tibiq; imprimis, cui & tribuimus multum, & debemus plurimum, & probari noſtra omnia vehementer cupimus. Vale.

† *Munus ſuum inſpicienti.*

ATHANASIO THALAMINO *Monacho Cartuſiano.*

FAcis tu quidem peramanter, qui in ſeceſſu iſto tuo, vbi cæterarum rerum omnium, quarum mortales ſtudio ducuntur, longa ebibis obliuia, memoriam amicitiæ non prorſus abijcis, rei tam præclaræ, & quæ ſui recordatione, ſi non vſu, vel longè inter ſe diſſitos delectare poteſt, præſertim ſi litteræ accedant priſtinæ conſuetudinis non planè immemores, quales tuæ eximiæ pietatis refertiſſimæ fuere. quibus ego, & ſi Donatum domi habeam, tuæ in me voluntatis obſidem, mirifice tamen ſum affectus. Perge porrò, quodq; & amicorum munus eſt præcipuum, & vel ſilendo præſtari poteſt haud difficulter, Deum deprecare, vt me mihi, oneriq; timentem largiori fauore proſequi dignetur, ne ſuccumbam; ſtudijs verò, quibus ab ineunte ætate aſſueueras, etiam atq; etiam incumbe: hiscum pietate coniunctis facilè efficies, vt ratio negotij non minùs, quàm otij tui Deo conſtet. habes collegij tui maxima exempla. Dionyſium, ſurium, alios pleroſq; qui nos ſuo ſilentio, egregijs ſcriptionibus impenſo, de rebus Diuinis loqui docuere. fœlices animæ, quibus contemplationi continuæ defixis contigit mortali in corpore cæleſtes omnino

curas

curas meditari, at nos proprijs iuxta, alienisq; periculis iactamur, stationem istam vestram nautis tutissimam procul aspectantes, fælicitatiq; gratulantes tuæ, qui ventis æquora turbantibus, mature satis portum occupasti, vbi te sospitem, nouisq; subinde Diuinæ gratiæ muneribus florentem cupimus. Vale.

EIDEM.

VBi mihi contigit silentium istud tuum mi Athanasi sermone multorum facundius agnoscere; neq; amoris in te mutui officia ampliùs requiro, nec in mentem venit dubitare, ne (quod prouerbio græcorum vsurpatur) amicitiam nostram intermissio rescindat allocutionis. Alloqueris enim tu nos sæpè peramanter, absens licèt, & ita verba remigio alarum, quas illis Homerus tribuit Poëtarum parens, exarmata, litteris includis, vt timor non sit, ne ore demissa aures præteruolent, segniùs ue animum afficiant aliud agentem. quod scribis sodales tuos eximiæ sanctitatis viros epistolâ nostrâ non indelectatos, accepi sanè quam libenter. quid enim mihi potuit accidere iucundius, quàm ab illius studia non improbari nostra, quos nemo non probat? næ viuam, nè istius Collegij apud me pluris est suffragium, quod se non nisi opinione virtutis exambiri sinit, quàm vitrea Regum gratia, aut vulgari rumor quantumuis secundus. faueant modò precibus, & pacem, cuius ipsi hic in hostico non leui imagine fruuntur, nobis statione peractâ à Deo impetrare pergant. Donatus nepos se in dies vrget, vt quò tum meis quotidianis monitis, tum exemplo auunculi vocatur, euadat aliquando, iamq; Rhetorum campos prætergressus, grauioribus curis assuescit, & quibus instrui clericum par est ad pietatem candoremq; non minùs animi quàm orationis. Ego in grege pascendo licèt totus sim, non inuitus tamen facio, vt non-

nunquam diuertam in Musarum hortos, vnde hosce non ita pridem ìm; lectos flosculos, nostris Proceribus ornandis, perleges. Vale, meq; vti facis, ama.

CÆSARI CARDINALI *Baronio.*

PArebo non inuitus, Vir amplissime, & quod sub specie rogantis iure tuo iubes, pro virili exequar: quicquid de multiplici Barlaami hæresi notaui apud græcos recentioris æui autores, quorum monumenta habeo typis non excussa, huic epistolę breuiter includens. *Barlaamus Monachus natione.* Calaber circa MCCCXXX Christi Annum vixit. Latinę linguæ, vt potè in Italia natus, non ignarus fuit, gręcæ vero, vt eius testantur opera, eruditissimus. nam præter absoluti operis volumen, quo omnem est logisticam complexus, emendationem canonis Paschalis, Mathematicaq; alia nonnulla, quæ extant adhuc in celebrioribus Italię bibliothecis, epistolas edidit non inelegantes; orationibus verò maxime inclaruit, non vulgari facundiâ conscriptis, quas inter præcipua habetur illa de concordiâ, in qua pacificatoris munere desumpto, Græcis, quos ipse paulo ante armauerat in nostros, suadere Ecclesiasticam vnionem nititur. fouerat ille, licet homo latinus, græcorum schisma, quod ad summi Pontificis primatum, Sanctiq; spiritus à filio processionem attinet, Ecclesiæq; Romanæ desertores instruxerat omni genere argumentorum. Simul huius rei causâ Thessalonicen. primùm, deinde Constantinopolin adierat. vbi, cùm multos eloquentiâ, multipliciq; rerum scientiâ cœpisset; ad eumq; eruditorum hominum vndiq; fierent concursus, euenit, vt quibusdam criminandi sui eiusmodi ansam exhiberet. Quærebatur fortè, vt fit inter literatos, de lumine illo gloriæ, quod de facie Domini in Monte Thaborio emicuit. negabat Barlaamus lumen illud incrgatum, sempiternumq;

fuisse, cuiusmodi diuina natura est. alioquin discipulorum aspectum latuisset. diuinitas enim extra omnem humanum captum, atq; notionem ponitur, mortalium oculos perinde, atq; mentes supergressa. Gregorius contrà Antistes Thessalonicensis cognomento Palamas, qui Barlaami opinionem impugnantium ducebat agmen, aduersam Thesin tuebatur acriter, accito in suæ causæ subsidium Ioanne Damasceno, qui à Diuinitate Christi profluxisse tradit fulgoris illius claritatem. his hunc in modum contentionis funem pari nixu inuicem ducentibus, postremò res defertur ad iuniorem Andronicum, Ioannis Imperatoris patrem. Inoleuerat tum pessima consuetudo, pessumq; R. P. non multo post tempore datura, vt senescentis Græciæ Principibus, Imperij iuribus per summam ignauiam accisis, tantum à rebus suis superesset otij, vt Theologorum munia obire, ac regem sacrorum, qualis apud Romanos fuit, agere vacaret. igitur Andronicus in Regiâ, vti moris erat, Synodo coactâ, cui Præsules sacri iuxta atq; Senatores mixtim adfuerunt, rem totam disceptari, decidiq; iussit. Gregorio Thessalonicensi victoriæ palmâ in ea disputatione fuit attributa. contortum mox anathematis fulmen in Barlaamum, & eius erroris partiarios, Acyndinum in primis, qui secundum post Barlaamum certandi studio, atq; contumacia locum obtinebat. Autorem habeo eius ætatis non ineruditum Constantium sanctomontanum Hieromonachum, qui non vnam contra illos Synodum, sed plures euocatas dicit, quanuis Nicephorus Gregoras historiarum sui æui scriptor, à quo Barlaami est defensio defensa, tradat in opere huic quæstioni dedicato, à concilio nescioquo Thessalonicensis sententiam damnatam. Verùm Coustantius argumentis necessarijs conuincit Synodicos complures tomos, quos etiam profert, in Barlaamitas, & Acindynianos emanasse, à tribus illos quidem Imperatoribus Andronico nempe iuniore, Ioanne filio, &

lio, &

lio, & Ioanne Cantacuzeno filij socero subscriptos, totidemq; pariter Patriarchis Constantinopolitanis, & à quinquaginta præterea Archiepiscopis firmatos; nam reliquos patres ne recensione quidem suâ dignos putat. Reiectâ hunc in modum, atq; anathemati expositâ sententiâ illorum, qui lumen, quod in transfiguratione Domini effulsit, creatum, & aliud à Diuina essentiâ dixerunt; schisma, tantum abfuit, vt aboleretur, vt maiora in dies incrementa caperet, in apertam seditionem Orientali Ecclesia discissa. Nam Patriarcha, qui in demortui locum fuerat suffectus, partium studio accensus Acindynum fouere cæpit, ab illo si quidem is & Ecclesiasticæ communioni restitutus dicitur, & Episcopali dignitate auctus. quod ita aduersa factio molestè tulit, vt non multò posteà congregatâ Synodo, præsidente Ioanne Imperatore, atq; eius Matre, Patriarcham tanquam malè de fide sentientem solio abegerit, Acindynum verò, & socios diris denuò deuouerit: quòd splendorem illum diuinitatis, discipulorum oculis olim obuersatum in rerum creatarum ordinem redigere fuerint conati. neq; enim aliò tendunt verba illa Barlaami, quibus disputationem de lumine transfigurationis
„ exorditur. *Vna est inuisibilis lux*, & inaccessibilis gloria,
„ initio, fineq; carens, increataq; prorsus diuina Trini-
„ tas, in quâ considerandâ aspectus omnis hebet, mensq;
„ ipsá caligat. Cætera præter hanc, & circa hanc omnia
„ ortum aliquando habuere. Cui Acindynus succinens
„ hæc addit. *Increatum quidem* lumen, ac gloria natura
„ diuina est, omne autem aliud ab eâ inferioris conditio-
„ nis, creatæ nempe est existimandum, ideoq; conspici,
„ menteq; comprehendi potest. Hæc Barlaamianæ opinionis summa fuit, propter quam anathema, odiumq; totius penè Græciȩ incurrit. haud sanè immeritò, si ante actæ illius vitæ artes introspexeris. cùm enim Italus esset ipse, monachûsq; professione, palmarium sibi duxit ritus

non tam patrios exuere, quàm Græcis aduersùs Ecclesiæ Romanæ autoritatem dimicantibus, editis damnandæ virulentię libellis, auxiliares quasi copias parare; nam & primatum Summi Pontificis, vt diximus, prętractè nimis oppugnauit, & latinorum Patrum de processione Sancti Spiritus à filio sententiam miris Sophismatum technis ex professo est calumniatus, vt parem illi gratiam, ipsiusq; presidiâ dignissimam, à Græcis, quos vaframentis suis dementauerat repẽsam esse dicere possimus, Catholicæ enim fidei desertor, nedum desertus ipse tandem, destitutusq; verùm etiam à Græcis perinde ac Latinis probris, conuitijsq; impetitus fuit. hæc ego pauca de multis, quæ Barlaamus ipse, & post eum Acindynus, nec non Gregorius Thessalonicensis, Constantius Sanctomontanus, Nicephorusq; Gregoras, editis his de rebus peculiaribus libris, conscripsere quæ si ad tuas cogitationes pertinebunt, quas in historiam Ecclesiasticam summâ fide, singulariq; diligentiâ impendis, erit, quod Bibliothecę meæ gratuler; mihi verò gaudeam, cui Diuina quadam sorte accidit, hoc qualecunq; æramenti est, symbolæ loco tuos in thesauros, refertos illos quidem omni doctrinę, sapientięq; opulentiâ, inferre. Vale.

CÆSAR CARDINALIS BARONIVS

A L O Y S I O L O L L I N O.

SErò quidem, sed non adeò, vt omnino effluxerit temporis opportunitas, in mentem venit obseruasse me inter codices Gręcos manu exaratos, qui apud te sunt, quorumq; elenchum mihi cupidè requirenti iam pridem transmisisti, reperiri ducentas Epistolas Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani. Hæ magno vsui mihi forent, nunc in eorum temporum successus conscribendo incumbenti,

quæ

quæ valde obscura sunt: facileq; mihi persuadeo eà plurimum lucis posse hinc accipere, saltem quoad res Orientis. Quocirca pergratum, perq; iucundum mihi feceris, si eas latinitati redditas ad me curaueris perferẽdas: quamuis non ausim id oneris tibi imponere, cuius curę, cogitationesq; muneribus sacræ dignitatis probè obeundis tam assiduè euigilant, vt otium tibi superesse vix possit, ad eą, quæ vehementer cupimus perficienda. Proinde si malueris, ne in longum res procedat, codicem ipsum nobis commodare, eo vtemur tantisper, donec in latij sermonis intellectum vertantur Epistolæ si non omnes, illæ quidem, quæ labori nostro prodesse valeant. Postmodum nulla mora erit: quàm maximâ diligentiâ, ad te vt redeant, efficiam. Id te vehementer rogo, ex animoq; omnia tibi polliceor, & defero. Vale. Romæ.

SANCT^mo^ PAPÆ VETERIS ROMÆ NICOLAVS PATR. C^a^ P. de Tetragamia à Romanis recepta.

INde principium scribendi sumam Beatissime Pater vnde nobis tot mala promanarunt. Post tertię vxoris obitum subijt optimi, atq; dilecti nobis Imperatoris animum quartum quoq; connubium experiri velle; quod nemo ante ne dum priuatus, verum etiam amplioris gradus sub ditione Romanâ ausus fuerat. quæ.n. tam effusè petulans libido refragantibus sanctorum Canonum Sancitis non cohiberetur, nisi summo imperio suffulta, licere sibi censeret, quicquid concupisset? Vicit ergo ad extremum Amor, quartaq; iam vxor expetita est; puer autem obtentui assumptus, qui pridem ab ea genitus, successioni Imperij nullo prolis adhuc subsidio innixi destinabatur. quod quidem fieri minime debuerat; neq; .n. partus subsecutus illegitimam coniunctionem ratam efficit; alioquin obuium vnicuiq;, & in promptu foret legibus illudere. Hunc Imperatoris

peratoris conatum Ecclesia Orietalis, pro eo ac grauitas rei postulabat, tam moleste tulit, vt conspiranti Antistitum consensu solemnem illam pompam Augustorum filijs exhiberi solitam (id enim pater flagrantissime cupierat) in baptizando puero vetuerit; nisi priusà se mulieris missionem iuraret Imperator; quod & ore præstitit promptissime, quamuis aliud animo occultè volueret; nondum.n. triduũ à baptismo filij effluxerat, cum pueri mater in palatium, vt Principis decet nuptam, apparatu regifico accitur, cerimoniȩ expediuntur nuptiales nullius Sacerdotis interuentu, Imperatore ipso, & sponsi, & auspicis munus exequente. Quod quidem non aliter ac si fundamenta totius fidei conuellerentur, non Præsules modo, clericosq; cuiuscunq; ordinis commouit, verum totam simul ciuitatem perculit: me autem quid aliud tunc agere oportuit, quàm quod amico, Antistiti, excubitori, de Ecclesiæ dignitate, principisq; salute dies, noctesq; cogitanti agere par erat? primum quidem ad genua ipsius, immo ad pedes vsq; prouolutus & monebam eum vt errantem; & vt Imperatorem obsecrabam, vereretur fastigium dignitatis augustæ, in qua non secus ac in facie vel tantillum quidem maculæ occuli vix potest: agnosceret longè se sublimiorem regem, tàm inauditum facinus cęlitus vlturum: non ideò Principes legibus exolui, vt vitam per omne scelus impunes, ac infrȩnes agant, sed vt sibi leges ipsi sint, virtutis præscripto mores componentes. Postremum conditionem afferebam lachrymis obortis, vt saltem secubaret à muliere tantisper, donec acciti Romæ veteris, cæterarumq; Patriarchalium sedium legati nobiscum, quid facto opus esset, disceptarent. His ego tunc verbis nihil profuturis (obstruxerat .n. eius aures amor) regem fatigabam; cùm interim Roma aduenіunt legati, quos ille (sic.n. publicè sermonibus diuulgabatur) connubio firmando euocarat. Res sanè, si quæris, hominibus nostris indignissima est visa, sum-

moq; dedecore coniuncta, quippe quæ procurationem mihi debitam alijs deferret, prouincias Patriarchales iam pridem inter se Patrum sanctionibus discretas turpiter confunderet, nefarium scelus olim ab Ecclesia dira execratione vetitum, in ius denuo nullo seruato iure reuocaret. Non ignoro à calumniatoribus iactatum, me per superbiam legatorum conspectum, atq; colloquium spreuisse; quasi verò mihi integrum fuerit aut palam adire viros summa passim inuidia flagrantes ob rumorem, quem pleriq; sparserant adesse reprobatarum à nobis nuptiarum assertores; aut ipse Imperatori non suaserim, secretum nobis in palatio cum legatis congrediendi locum daret, vbi remotis arbitris de quæstione ista nuptiali disceptaremus: quod ille facere neglexit in meam unius perniciem animo intentus, quam quidem ità consutis dolis est aggressus. primum omnium nonnullos nostrum Præsulum partim donis, partim pollicitationibus illectos, quasi suas peculiares aduersus me copias conscripsit; deinde me iussit in regiam accersiri ad conuiuium, quod illi instruere quotannis in beati Tryphonis festo moris erat. Accedo imperterrita comite fretus conscientia, solemni cætui intersum, epulis accumbo; inter sacra mensę deniq; abripior, atq; nauigio impositus in exilium agor immitissimum, non amico, non famulo, non libro deniq;, cuius lectione me solari possem, fugam comitante; vbi non tàm hyemis rigore, rerumq; omnium egestate pressus, quam custodum violentia penè enectus diu mansi. pari inclementia in reliquos sanioris consilij sæuitum est, carcere, relegatione, vinculis afflicti omnes, deliquisse pœnâ tantum modo creduntur. Accessit, ne quid plane nobis deesset mali, aut superesset præsidij, legatorum asperitas, qui non secus ac si Roma ad indicendum nobis bellum huc delati essent, nos indignissimis modis oppugnarunt. tantum miserorum odium, tantus contemptus ordinis homines incesserat. Et quidem dicebat pri-

matum Ecclesiasticum sibi vendicantes, rem totam seriò inquirere, atq; ad Beatissimum referre, non autem per summam iniuriam, atq; ludibrium eorum damnationi assentiri, qui nullius affines culpæ Principis indignationem incurrerunt ob id solum, quia fornicationis labem sunt abominati. Verùm esto duos, aut tres viros delatorum hinc calumnijs, inde potentiorum prece, seu pretio expugnatos, humani aliquid, cum homins sint, pati potuisse; Occidentales Præsules meris inimicorum mendacijs inductos, innocentium exilium suo confirmasse suffragio quis ferat? præsertim cùm indicta causa aliquem damnare ne barbari quidem, ne dum Romani moris vnquàm fuerit. At facto dispensationis nomen, vt audio, prætenditur; quasi verò per vllam dispensationem liceat fidei dignitatem, Ecclesiæ disciplinam imminuere, effractisq; canonum repagulis fornicationem introducere in sancta: aut non inter nascentis Euangelij initia huiusmodi crimen Apostolorum Sanctionibus vnà cùm immolatitijs, & suffocato vetitum non fuerit. Dispensatio, ni fallor, cùm sibi imitandam proponat Dei miserationem, quæ delictum aufert, non fouet; salutaris quædam condescensio censenda est, peccatori quidem manum, vt se humo attollat, porrigens, non autem iacere permittens lapso. Non excribo, quæ in hanc sententiam retulit vas electionis, cùm sint nota omnibus. miror magis, cur nos eo potissimum relegamur nomine, quod vestigijs inhęrentes patrum damnata ab illis non permittimus: Ecclesiæ decreta, animarumq; nobis à Deo creditarum salutem, Principis gratia seu indignatione potiora ducimus. Non deerunt fortasse, qui obijcient, errori suo latebram quęrentes, hoc de quo lis est, matrimonium esse merum, non autem fornicationem. Ita ne verò; matrimonium vocatur immunda cum quarta muliere coniunctio, & quid aliud est vim inferre verbis, si dira lasciuientis animi libido tam honesto nomine prætenditur? Honora-

bile connubium Paulus appellat. & genialem torum impollutum. cur igitur eos, qui huiuſcemodi culpæ ſuccubuere, Sacri canones ab Eccleſia eijciunt? cur brutalem hanc luxuriam, & fines humanos ſupergreſſam vocant? At Romanis id in more poſitum: (non enim deſunt, qui id dicant, laudi ne id vobis, an vitio vertentes, non ſat ſcio.) nam apud vos, ſi famæ credimus, non modo quarta vxor, verum quincta, & ſexta, & ſuper hanc alia, atq; alia permittitur, vſq; ad Orci faucis inexhauſta illa diſpenſatione omnes proſequente, illudq; ſubinde Apoſtoli verbum ingerente, ſatius eſſe nubere, quàm vri. quaſi verò ille intemperantię patronus induci debeat, qui ne omnibus quidem ſecundas nuptias ſuaſit, dum ait, dico autem innuptis, & viduis bonum eſſe illis ſic permanere, quod ſi continere nequeunt, nubant; viduis quidem mulieribus permittens ſecundum connubium ob ſexus imbecillitatem, viris autem non item, niſi his tantum, qui matrimonij iugum nondum ſunt experti: his n nubere ſatius, quàm vri alioquin ſi cum quarta muliere concubitus coniugium eſt, cur illud Clemens tàm aperte damnat? Clemens inquam ille alumnus, atq; auditor Petri: ſic enim apud eum legitur. Monogamia quidem naturæ, atq; legi conſentanea eſt; Digamia verò poſt promiſſionem illegitima non ob coniunctionem, verum propter mendacium; Trigamia intemperantiæ inditium; quę autem Trigamię additur, aperta fornicatio eſt, & indubia incontinentia. At non vnus è plebe, ſed Imperator eſt, qui id aggreditur, cuius voluntati refragari nefas. Pręclarè ſanè. an quia omnes ille dignitate ſupereminet, ideo nobis enitendum, vt inquinatior quoq; reliquis appareat? eadem ratione pedum ne luto reſpergantur, ſummam curam adhibebimus, capitis prorſus nullam. Apage. non ne vides ad Principis vitam tàmquàm ad exemplum populorum conformari mores? pronumq; magis eſſe praua imitari, naturali quadam ad dete-

riora

riora humani ingenij inclinatione? Quod si principibus viris, quia potestas à Deo maior eis attribuitur, ideo nequam agere plus licet, quid inter eos, & iumenta differet, quæ copia reddit efferatiora, contumeliosioraq; ? Potentes potenter examinabuntur, monet ille, quinimò si in idem crimen tribunus, & miles gregarius impegerit, ma gis, hoc illum disciplina puniet castrensis: adeo dignitas non mitigat, sed incendit pœnam. neque verò à me in eum sensum hæc dicuntur, vt velim diris à vobis impeti Imperatorem tale nefas ausum; ipsumq; Sergium Pontificem prædecessorem vestrum. Non ea mens animo, nec tantus vindictæ amor Dei seruos decet, ambo hac vita excessere pridem, supremi omnium iudicis tribunal adituri; ille verò etiam antequàm hinc emigraret, agnouitq; flebiliter errorem suum, veniamq; à Deo petijt, me inter primos hortatore, ac deprecatore (aderam enim tunc fortè ab exilio reuersus, ab eoq; Ecclesiæ gubernationi restitutus). In eos animaduertendum Beatissime Pater, qui supersunt, qui tot in me, tantasq; turbas criminationibus falsis excitarunt. Hæ tuæ erunt partes, id à te dignitas primum tua, Romanæq; Sedis decus exigit; id qui nunc rerum potitur Imperator, misso ad te palatij magistro, nosq; omnes obnixè petimus, atq; obsecramus. Deum Sanctitatem tuam incolumen seruet.

IOANNI BEATISSIMO PAPÆ.

QVot, quantisq; ærumnarum fluctibus per xv Annos iactati simus, (tot.n. plus minus effluxere, ex quo primum scandala Ecclesiam C. P. peruagata, omnia turbarunt) & meminisse mihi permolestum est Beatissime Pater, & memorare scienti tibi superuacuum. lęta potius amicis, & coexcubitoribus impartiri iuuat, pacem nempe Ecclesię repositam, conspirantemq; omnium ordinum in his,

quæ sunt fidei, consensum. Cùm enim in eo esset res, vt nulla amplius spes humanis experimentis nostra metientibus superesse videretur, affulsit subitò illa captum omnis intellectus supergressa pax, Dominus scilicet, & Deus nostes Iesus Christus, qui illam hyemem, atq; tempestatem communis hostis opera coortam, in ipsa Halcyonia mutauit; adeò vt nullum penitus dissensionis vestigium remanserit, nulla odij cicatrix; omnes velut ex condicto veterum obliti idem planè sentiunt: omnes Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ eos obuijs vlnis diu expectarat, optatissimum eunt in amplexum: & nostræ quidem ita se res habent. Verum quia & vestram fraternam dilectionem, cuius erga nos officia temporum difficultatibus intermissa sunt, expetimus, & consuetam Ecclesijs vnionem exoptamus, ideo has ad vos dare litteras decreuimus, vt omnis offensionis memoria deposita S. V. ad sinceram amicitiam, atq; coniunctionem animorum, pastoribus populorum debitam prouocaremus; quæ tum demum missis hinc inde legatis coalescet, cum iudicatum fuerit concorditer quartum connubium, quod dissensiones, & scandala in Ecclesiam inuexit, non rei ipsius, sed personæ causa permissum esse; suadente tunc occasione lenitatem, atq; affectum erga principem indulgentiorem, ne repulsa ipsius animus offensus, deteriora moliretur. Sic n. & S. Tuæ nomen ex Sacro Ecclesiæ C. P. albo, vt mos olim erat, vnà cum nostro rursus celebrabitur; & nos omni ex parte gaudio repleti iucunditate pacis perfruemur. Enim verò vt huic curæ sedulò incumbas, te iterum, atq; iterum rogat Deo dilectus Imperator, oratore Romam ad S. T. destinato Cl. V. Basilio Protospathario, & aurei triclinij prefecto, cui nos comitem itineris, curarumq; conscium adiunximus Eulogium honorabilem presbyterum. Hos tu Beatissime Pater, & excipies, vti spero, fronte hilari, & nos mutuis legationis officijs remunerabis; Ioanni Venerabili Episcopo, cuius

apud

apud nos iàm experta virtus, id munus, si expedire videbitur, iniungens; aut alicui alij moribus illi non absimili; qui, si qua sunt adhuc correctionis indiga, doctrina, atq; consilio emendare valeat nobiscum, iuxta Ecclesiasticas Constitutiones. Vale in Domino Beatissime Pater.

SYMEONI BVLGARIÆ PRINCIPI.

ES tu mihi quidem filij adhuc loco dilectissime Princeps, licet omnem iam pridem obedientiam patri à filio debitam exueris. hinc fit, vt cum paternus ille, quo te sum prosecutus amor, tum etiam Sanctissimi Papæ, cui minimè parere nefas, grauis apud bonos omnes auctoritas me in lacrymas, & preces ire iterum impellat. Huic cum fama rerum nostrarum vniuersam iam orbem peruagata retulisset Bulgerarum & Romanorum clades, direptiones, fugas, vastitatem, & reliqua belli, quibus affligimur incommoda; quæ pietas eius est in gregem Domini Sanguinem redemptum, & nostris ex animo indoluit malis, & eis ne proserpant latius, ire obuiam decreuit. Legatos itaq; misit Theophilactum primum inter eius Episcopos locum obtinentem, & Carum eiusdem ordinis præstantissimos viros. Qui te suis adhortationibus aut inducerent ad pacem, fœdusq; nobiscum feriendum, aut si iussa detrectares, Spiritus Sancti nomine insolubili anathematis vinculo obstringerent. Hos ego (nam id mihi Beatissimus Pontifex iniunxerat) vt tuto, & commode ad te peruenire possent, addito commeatu, & itineris duce sedulo curassem, ni me deterruisset ab incępto malus quidam rumor, qui de te pridem inoleuit. diceris enim fili mi solere legatos ad te venientes in vincula coniectos asseruare, imamni plane, & omnem supergresso barbariem exemplo: quæ n. est tam effera, tam ab omni humanitatis sensu remota natio, quæ tale facinus inter nefaria scelera non recenseat? Quapropter

pter cum & Santissimi Papæ exequi mandata valdę cuperem, & legatorum incolumitati consultum vellem, illos quidem summis induxi precibus, vt hic apud me consisterent, veritus ne à te post longę peregrinationis tędium, ac laborem aliquid paterentur mali; Apostolicas verò litteras ad te perferendas dedi. Quibus exibebis te facilem, & obsequentem, si me audies, imo si rationem habueris dignitatis, salutisq; tuæ. Caue .n. putes idem tibi plane licere in Sanctissimum Pontificem Romanum, quod in me olim licuit, quem ludibrio habuisti tandiu. Si quid in eum commiseris, non impune feres. Apostolorum primores, quorum illi ad aras quotidie litat, iratos in te oculos conijcientes quasi propriam iniuriam contemptum illius vltum ibunt. Subeat animum Ananiæ & Saphiræ casus, quos obiurgatio Petri neci dedit; menti obuersetur Elimiæ magi Paulo contradicentis cæcitas. Hæc Apostolicæ indignationis monumenta cogitantem excipiet te certo scio horror quidam, & pauor salutaris, nec permittet, vt Beatissimi Papę monita despicias. pręsertim si vera sunt, quę de te narrantur à tuis, pręcipua quadam veneratione prosequi principes illos Diuos, quos si verè suspicis, ac colis, eorum insidentem throno minime contemnes. Hæc de legatione Romana, cuius aduentu (cur .n tibi sub Christi Signis quamuis aduersus Christianos Diaboli fraude pugnanti commune gaudium inuideam?) scandalis, quæ ob tetragamiam apud nos omnia turbarant, impositus est finis, pax clero reddita, cœtus sacri mira animorum conspiratione habiti, & vt verbo dicam Romana, ac C. P. Ecclesia ita in vnam, eandemq; coalita est fidem, ac consensionem, vt nihil amplius vetet, quominus nos optatissima illorum communione, & sanctificatione perfruamur. Reliquum est vt te postremo admoneam loco, ne post hac cum ab his, qui rerum potiuntur, litteras acceperis, Senatui potius rescribas, quàm illis ipsis. Ridiculum enim est, & tua

pruden-

prudentia planè indignum adire seruos posthabito eo, cuius ipsi capessunt iussa; nisi te ludere delectat in re haud quidem ludicra. Quin tu potius, si te serio pœnitet bellorum, si cladium non tam acceptarum, quàm illatarum piget, sensum animi tui Imperatoribus exprome, conditiones offer, diem locumq; colloquio præscribe, siue tu ipse ad nos accedere, siue alios mittere malueris. nulla in me mora est: adero, quocumq; vocaueris cum delectis ex Senatu viris, rem fortasse confecturus ex voto, si Deus annuet. Quod si longè alia tibi mens est, nisi hominibus nostris ludibrium debes, post'hac ab huiusmodi irrisionibus, quæ te minime decent, abstinebis. Deus te eo validiore ope tueatur, quo grauius regendi alios onus suscepisti, ne quod plerumq; principibus viris accidit, oneri succumbas.

AD ARMENIÆ PRINCIPEM.

NIl pietate præstantius, nil humano generi conducibilius inueniri potest; tum enim demum ritè, & ex maiorum præscripto colitur Deus, cùm hæc altius radices egerit, & inualuerit. Dei autem cultus quid non boni affert, quid non mali abigit, si non aliunde incolumitas priuatim vnicuiq; nostrûm, non publice familijs, vrbibus, ipsis deniq; populis promanat? Hinc fit, vt magna inter mortales concertatio omni æuo fuerit, dum vnusquisq; opinionem, quam de Religione vel ipse concepit semel, vel aliorum traditione hausit, tueri aduersùs diuersa sentiétes cupit. adeo opinioni receptę assueuisse multum est. Idem plane dices nobis euenire, quod veteri panno, quem vbi coloris succus altiùs infecerit, discerpseris citiùs, quàm eluas; nisi opem afferat Deus gratiæ suæ face mentibus prælucens. Ille quidem suasit Catholico viro, de quo scribis, vt ad vos diuerteret, populumq; orthodoxos edoceret ritus: ille vobis auctor fuit, vt prisco agnito errore ab opti-

mo Imperatore nostro, cui omni obsequij genere coniun-ɛti esse vultis, ne in his quidem, quæ fidei sunt, dissideatis: Illius deniq; impulsu est effectum, vt aliquem è cœtu vestro mittere velitis, quem nos ea prius, quæ ad religionem faciunt, edoctum in vestrum Antistitem proueheremus. Quod mirum est, quanta animi gratulatione excepimus, memoria repetentes Phocij præstantissimi prædecessoris nostri in eodem agone irritos conatus, dum vir ille sacer omnem lapidem mouens, disceptationibus, alloquijs, legatorum missione vrget opus: quod Deum arcano prouidentiæ suæ consilio in hunc diem Ecclesiæ vniuersæ, Armenijsq; omnibus, si bona sua norint, longè optatissimum distulisse crediderim, vt inclytam nobilitatem tuam maiori cęlestium donorum cumulo ditaret, sibiq; arctiori beneficij vinculo obstringeret. Tu modo fac, vt promissa extent, omnem rumpe moram: virum illum à te, primoribusq; Ecclesiæ vestræ electum itineri accingi iube: breui eum ad vos mysterijs iniciatum orthodoxis Armenijs quidem hactenus ignotis, & sacris nobiscum Catholico more operatum remittemus. Deus te, tuosq; omnes ab humana, & spiritali nequitia defendat.

PRINCIPI SARACENORVM.

QVi populos imperio regit, quantum reliquos homines potestate supereminet, tantumdem virtute anteire debet: quæ à me non ideo dicuntur, quod te potentissime Princeps inparem oneri, aut non ex æquo præstare censeam animi, & fortunæ bonis (non ignota mihi est tua sermone omnium celebrata laus) sed quia sinister quidam rumor hic percrebuit te in nos esse animo infestiori quorundam fraude inductum, qui tibi falsò nunciarunt Saracenorum Oratorium, quod in hac regia vrbe extat, homines nostros demolitos esse, nonnullosq; tuæ gentis per vim,

& me-

& metum adegiſſe, vt patrio abiurato ritu nomina Chriſtianæ religioni darent. Hanc delationem ab hoſte humani generis, omnis mendacij parente ortam occaſionem tibi præbuiſſe aiunt iuſſionis, quâ indixiſti omnia Chriſtianorum ſub tuo imperio degentium templa deuaſtari. Atrox ſanè, & horrendi carminis edictum, tuâq; per tot bella conquiſitâ gloriâ plane indignum, quod neq; facti inquiſitio præceſſit vlla, nec direxit conſultatio. Atqui decebat tot victorijs auctum, tam ſolertis ingenij ducem rem tantę molis conſtanter, & ſeriò indagaſſe prius (inueniſſes enim quod & inuenies, vti ſpero, breui) fabulam hanc totam per ſummum ſcelus à maleuolis, & à Chriſtiani nominis calumniatoribus effictam. Cui .n. ignota eſt Imperij Romani ab vltima vſq; origine dementia; cuius non ad aures peruenit Auguſtorum noſtrorum quaſi tradita per manus pietas, & animi moderatio in uictos: quibus, ſi patriam excipis, & ſuorum conſpectum, nihil ferè deeſt ex earum rerum genere, quæ ad vitam recte, & commode degendam faciunt: argumento ſit vel hoc ipſum, de quo lis eſt, Saracenorum oratorium, quod iam olim Imperatorum indulgentia exædificatum ſarctum, tectumq; non aliter ac ſi apud vos eſſet, hactenus ſeruatur. Interroga poſtliminio reuerſos, diſces extra aciem ciuem, & hoſtem nullo diſcrimine apud nos haberi. Confer nunc hos mores cum Saracenorum ſæuitia aduerſus Chriſtianos, qui apud eos ſeruitutem ſeruiunt, quos quaſi parum eſſet in ergaſtulis rerum omnium egentes aſſeruari, nonnumquam in medium productos per iocum, & ludum iugulant, aut arbori appenſos lapidibus, ac telis petunt, cùm hic truncatio capitis grauiſſima omnium etiam in ſcelere immani ſit animaduerſio. Quod verò attinet ad vim, qua doles ad Chriſtianiſmum impulſos Saracenos tuos; procul abeſt ab huius dedecoris ſuſpicione Imperator noſter, procul tota purpuratorum cohors, & quicumq; demum nobilitate, aut

industria in hac luce hominum refulgent. Verùm permittamus obscuræ aliquem notæ, pœnas mox luiturum, si innotuerit, scelus perpatrasse, quid tot meruere Christianorum millia? cur vnius ob noxam innocens natio affligitur? sacrisq; patrijs arcetur? reclamante communi gentium iure, ipsiusq; prophetę vestri Sanctione, qua ille Christianorum modo iugum non detrectent, incolumitati, ac religioni satis cauit. Hæc nos ad te paucis perscripsimus muneri nostro quidem consentanea, quod non tam Christiani gregis amplectitur curam, quàm tuæ, omniumq; salutis procurationem. Plura nunciabunt visores tui, & ij, quos illis itineris comites adiunximus. Quibus te, vt sedulo animum intendas, etiam atq; etiam rogamus, simulq; vt des te ad lenitatem: sic n. & ij, qui tibi nunc subijciuntur, imperij tui moderationem laudibus extollent, & mansuetudinis memoriam omnis excipiet posteritas. Vale Saracenicæ gentis eximium decus, atq; ornamentum.

EPISCOPIS EXTRA COMMVNIONEM *existentibus*.

SAnè ita est, vt cęlesti illo ore Paulus affirmat: hominibus imponi potest. Deo autem reuelantur nostra omnia, atq; innotescunt. hæc pauca vobis sit dixisse satis, quos ego vt mitissime dicam, infelici satu Ecclesiæ mihiq; genui, quid ni enim vos sic appellem, qui me, quem etiam meritò damnatum defendere debueratis, vt par erat filios parentem, nullius affinem culpę, imò per summam iniuriam solio eiectum, quasi parum fuerit deseruisse, prodidistis? Hæc animo reuoluite iram Domini scelerum vltricem expectantes.

DVCI LONGOBARDIÆ.

CHristi hostes te vicisse gratulor vel eo potissimùm nomine, quod expectationem de te meam minime fefelleris, qua tua hæc egregia facta & præsagiebam multo ante, & prædicabam: meminisse enim potes, cùm te pene inuitum, atq; restitantem, vt id munus susciperes, impellebamus, in prouinciam ablegantes tunc quidem omnium miserrimam, nunc autem tuo beneficio florentem. vnde non tam sperabam rediturum te summâ, quam iam pridem es adeptus, gloriâ, quam amplissimis, virtutiq; tuæ condignis præmijs ornatum. Verùm posteaquam (vt sunt res humanę) aliter omnino accidit, ad vota est nobis recurrendum, quibus à Deo tibi deprecamur in hoc quidem sæculo incolumitatem, in futuro autem æternam beatitudinem.

PRINCIPI AMALPHITANO.

AMorem in nos tuum singularem, effusissimumq; in Ecclesiam, quæ nobis credita est studium, & antea quidem fama ipsa tuas litteras præuertens nunciarat, & nunc eæ ipsæ amantissime ad nos perscriptæ retulerunt. Plurimum igitur tibi hoc nomine debemus, soluturi numquam nisi votis, quibus fausta omnia tibi à Deo precamur. Nã quicquid nostrę euigilare curę, aut eniti vires vnquam poterunt, & præexiguum sanè est, & tibi antea ob præclara tua in nos beneficia obstrictum. negotium tuum de redemptione captiuorum explicuimus aliqua ex parte, totum confici, quæ rerum ac temporum difficultas est, haud sane potuit. Aderit, vt speramus breui manus Domini egregios istos conatus tuos promotura, quam neq; Agarena immanitas, nec vlla omnino vis contra niti potest. Tu modo,

modo, quod facis, sedulo incumbe operi, & in id libram auri expende, quam tibi mittimus. diuinatione quadam præsagit animus breui fore vt Deus nobis præbeat occasionem liberatis fratribus summas ei gratias agendi. Incolumen te Christus, tuosq; omnes seruet, illæsumq; à visibili, & inuisibili hoste.

CÆSARI CARDINALI BARONIO.

ARGVMENTVM.

Superiorem Cardinalis Baronij Epistolam hæc statim subsequi debuerat, qua Auctor græcas Patriarchæ constantinopolitani litteras a se latinitati donatas mittit, sed per errorem huc est coniecta. Tu Lector ijs ignosce, quibus falli contingit, ex humanæ conditionis imbecillitate.

CVras ego quidem ita partiri soleo, vt ne quid in dies studijs negetur, cùm non adeò se se gregis pascendi numerus extendat, vt totus in eo esse cogar, & otium mihi desit ijs agendis, quę lenimento, & solatium afferre valeant ad capescendos cupidè magis grauioris muneris cogitationes. Tum verò maxime otiosum me semper existimabo, cùm in tuę spem gratię aliquid fuerit elaborandum, videborq; mihi, non tam occupationibus distineri, quàm vacuitate, ac voluptate frui, vbi commentationibus tuis, Reipublicæ Christianæ plurimùm profuturis, suppetias aliquos ferre potero. Quos innuis Epistolas, Nicolai Patriarchæ, eas selegi, vt è Græcis latinas facerem, cùm non singulas annalibus inserere decreueris, sed nonnullas tantùm, quæ obscuris temporum illorum rebus lucem aliquem dare queant. Et profectò admirandum fuerit hinc nosce Orientalis Ecclesiæ Præsidendum Principi Bulgariæ scriberet post immanem schismatis pertinaciam, Pontifici

tifici Romano id honoris habuisse, vt non nisi cum laude de eo loqueretur; imò litterarum monumentis sermones huiusmodi commendaret. Si ipsasmet græcas Epistolas edere malueris ad conciliandam faciliùs fidem veritati, sedulam dabo operam, vt ad te perueniant primo quoq; tempore. Interea me, vt facis, ama tui obsequentissimum, dum pro tua incolumitate, hoc est pro communi omnium piorum desiderio vota facio, & amplitudinem tuam Illustrissimam demissiùs veneror. Vale. Belluni.

ATHANASIO THALAMINO *Bellunensi:*
Monacho chartusiano.

SAlus ipsa mihi solito salubrior est visa, ac planè iucundior à Grinęo meo per te mihi reddita, viro amicissimo, & eruditissimo, cuius me non magis memoria delectat, quàm excruciat absentia. Noster erat amor, dum hîc apud nos maneret in statiuis, nunc triste est desiderium, votumq; omni porrò successu cariturum, nisi aliter Numini videbitur, cui vel humanę spei inaccessa, nedum difficilia, in procliui sunt. Equidem Mirandulæ Duci ob crescentem in dies gloriam, atq; pietatem diu est, cùm faueo, præter illa communia Principibus, Imperium, opes, clientelas, Fortunæ effusæ indulgentis munera, priuata me domus Picæ ornamenta, tot heroum imaginibus refertæ capiunt, quibus ipse, vt ab omnibus clariùs perspiciantur, luculentam quoq; facem admouet propriæ virtutis. eo verò præcipuè pei beatum illum puto, atq; (absit inuidia dicto) inuidendum, quod Grinęi familiari vtitur consuetudine; vnde illi & suauitas sanè longè maior, & vtilitas haud paulo vberior emanat, quàm ea fuit, quam dominatorem Asiæ Alexandrum à Parmenione suo, aut à Nestore trisæclissene Agamemnonem ferunt olim solitum percipere. Pluribus hæc à me dicuntur, &

vltrà

vltrà præſcriptum Carthuſianæ breuitatis, quæ Laconica eſſe debet, & vix ipſo ſilentio prolixior, vt planè intelligas, quantę mihi voluptatis ſit, de homine loqui mei cupidiſſimo, poſtquam cum eo colloqui non datur. Simul vt habeas, quod ipſi poſſis, ſi te reuiſerit, oſtendere, mei in ſe amoris atq; obſeruantiæ mnemoſinon futurum, ſin minùs eò tranſmittere, vbi nunc moratur. Nos hîc relictâ vrbis ſolitudine conſedimus pluſculos hos dies. quid.n. ibi, quęſo, faceremus abſq; curâ Gregis? qui nunc agros, & villas liber peruagatur? Quàm ſera montibus in noſtris Autumnitas, quàm iucunda ſit, puto, meminiſti. nos quotannis maximo ſanitatis bono experîmur. Siue vindemiam tu vocare velis, ſeu labruſcidemiam, quæ noſtros homines exercet per id anni tempus, non negabis pleniſſimam eſſe haud inconceſſæ voluptatis, pręſertim ſi aucupium acceſſerit, multiplex oblectamentum, ac inemptum, quod pleriſq; nunc omnibus pro macello eſt. Donatus Bernardius nepos reſtricis pręſidens, quarum aues miniſterio irretiuntur, eas cantûs illicio illectas capit: nobis curis grauioribus paululum leuari, feriari eſt. alacriorem breuis iſta quies reddet ad labores, quibus, & vita omnis hominum, & munus in primis hoc noſtrum, & præſens conditio temporum abundat, ſi quæ vnquam. Tu mi Athanaſi in ſtatione iſtâ tuâ vigil manens, pro me quoq; excubitore, vtinam non ſemiſomno excubare perges, & valebis. Seuerino, ſi apud vos eſt, reliquiſq; contubernalibus tuis, viris integerrimis plurimam ſalutem. In ſeceſſu Caſtilionęo. Idibus Octobris.

ALEXANDRO BVRGIO.

BInas ad te dedi litteras, vnas annum iam, & eo ampliùs conſcriptas, alteras ſexto ab hinc menſe, nec me fugit ambas longæ peregrinationis caſibus iactatas,

poſtre-

postremò littus tenuisse. pro quibus ego abste pręter † ὀυδεγρὸ illud comicum, nil planè extorsi. eademne fata tertias has maneant, an liquidiori augurio hinc soluant, mihi quidem ambiguum est, tibi in procliui, rescribendo diluere pertinacis silentij suspicionem; cuius tanta vis esse perhibetur, vt nihil necessitudines labefactet magis. Quinctus se decimus circunducit annus, ex quo te Romæ primùm cognitum, conciliante amorem probitatis, & doctrinæ famâ, in ore, in oculis, in sinu fero, cùm interea, omitto multiplicem eruditionem, quam in tanto studio, ingenijq; subtilitate non admiror, eximium in te sum expertus animi candorem, fidem singularem, constantiam verò in amicitijs omni pietatis genere excolendis summam. quo fit, vt non te nunc magis officij oblitum, quàm me potiùs vt tua memoriâ exciderem, meruisse putem, scireq; abste aueam summopere, quid in te committere potuerim imprudens, quàue potissimùm in re amicitiæ iura prætergressus fuerim: quod si assequor, efficiam, vt vel me purgando, vel culpam deprecando, veniam impetrem: sin minus, ego tamen tacitus te silentem colam. Vale.

† Ne minimũ quidem Gręcorũ prou.

DONATO MAVROCENO *Senatori Amplissimo.*

ANtequam me tibi inuidere secessum istum tuum Patauinum dixero, præfabor non esse omnem nullo discrimine inuidiam damnandam, non hercule magis, quàm Erin dissidij, & cõtentionis Deam, quæ licèt pestis sit humani generis teterrima, Hesiodo tamen Musarum atq; Apolbinis alumno, & laude non indigna, & hominibus vtilis videtur. quis enim affectum in me iure damnet, qui sub inuidię personâ, fortunæ meæ miseratio est, tuæ commendatio? cui sic inuideo, vt tantum tibi obtigisse boni gaudeam, idem mihi non euenire doleam, euenturum sperem. Et verò si vnicuiq; nostrûm natura deside-

rium inseuit, quo beatitudinem appeteremus, mirari non debes, si id ego vehementer cupio, cuius compotes perbeatos reor. Vrbem colis Italię ocellum, insignem pomœrij amplitudine, ciuium splendore, ædificiorum elegantiâ, aëris salubritate (cuius cùm Plato nullam rationem penitùs habuerit in statiuis Academicę Philosophię metiendis, contentus non imitari, quærere omitto) præterea gymnasio omnium, quæ fama refert, celeberrimo, quò tanquam ad bonarum artium mercatum innumera vndiq; confluit iuuentus. Amicis vteris eximiæ eruditionis, candoris, probitatis: quorum ego catalogum subtexerem: ni vererer, ne eorum multitudo dignationi nominis officeret apud eos præsertim, qui summa ingenia raritate æstimantes, haud possunt facilè induci, vt credant quicquid vbiq; terrarum hominum doctiorum floret, portas Thebarum numerò excedere, non Ægyptiacarum quidem, quas † ἑκατόμπυλας fuisse memorant, sed Beoticarum. Neq; ideo silentio inuoluam Academiæ istius lumina Musatum, Quærengum, Gualdum, Contarenum, quibus vel innotuisse præclarum est, nedum placuisse. quod tibi ita contigit, vt concilian te amorem similitudine morum ac virtutum, illi de communibus studijs tecum colloquendo longos sæpè soles condere visantur. Ni mihi nota satis esset tua moderatio à fastu, & vanitate maximè semota, intra dentium vallum continerem, quod mox sum dicturus: vnam me in hortis tuis cum huiusmodi viris ambulationem omnibus regum opibus pręferre. Nec timor est, ne opinio me fallat, rationi ad amussim quadrans, quæ inter peculij humani bona ea sola suspicit, quibus animi cultus continetur, cætera tanquam res externas paruipendit. Verùm philosophumena ista quæ dupondio apud vos veneunt in scholis, missa faciamus. Ego longè à nutriculę tuæ votis diuersus abeo: optauit illa tibi vagienti formam, diuitias, honores, neq; frustrà. Ego istam mentem, istum animi cursum per Heroum

† Habentes centū portas.

rum nostrorum veterum vestigia ad decus, & gloriam ducturum, siquidem hàc Hermolaus ille Barbarus, sæculi sui phænix, hàc Iustinianæ gentis proceres iuere, hàc non multo postea Hieronymus Donatus facundiâ trilingui inclytus, cuius Patauini horti, pomœrio vrbis adiacentes, me iuuene ob tanti viri memoriam celebrabantur. Eadem tuos fortuna manet, si, vt cępisti, in illis aliquam vitæ partem ducere malueris, quàm forum obsidens, ciues tuos per otium videre, angustum per iter luctantes ambitionis. cui sanè spectaculo quàm interesse, quò nunc potius non fugerent prisci illi Reip. nostræ conditores? qui non nisi rogati, victiq; precibus, magistratus eos capessebant, quos nunc vides ab enixissimè rogantibus, prensantibusq; tam efflictim peti, expetiq;. Quàm vellem te illa sæcula tulissent, cùm Honoris templum per solam (neq; enim aliunde patebat aditus) Virtutis ædem adibatur. nunc bona posteritas posticum vnum aut alterum compendij caussâ adiecit. quò enim à tritâ semitâ longiùs abscedere, si breui citra sudorem confici iter potest? vtinam ne ista breuitas. Sed pręstat vela contrahere fortassè latiùs extensa, quàm epistolę fines patiuntur. quod igitur initio dicebam, tuæ fęlicitati subinuideo, quòd Pomponium Atticum Ciceronis perfamiliarem imitatus, Athenas Euganeas frequentes: quòd colles istos prospicias, non tam Baccho, quàm Palladi gratissimos; vbi hyemes egelidę ver spirant: quòd Nicolao Contareno vicino perfruaris, viro tam docto, tam suaui, tam rei hortensis studioso: quod tempora, quę tibi tranquilla, liberaq; fluunt, ita diuidis, vt partem tibi & Musis, partim amicis non ineruditis impendas. At nos, ne gratuitò inuidos esse suspiceris, in hoc rigenti cæli cardine, torpentisq; naturæ solo, munere distinemur molestissimo; vbi sodales non nisi per somnium videmus, non nisi per epistolam alloquimur; hoc etiam Vlysse ipso ærumnosiores, quód ille Ithacam incole-

bat ſalebroſam, aſperam, montibus quaſi nidulum ſuffixam, ſed patriam: nos eiuſmodi affectu etiam caremus, niſi patris nomen ex officio inſumptum molliores nos reddit in externos, eosq; ſiue eorum quoſdam, ſuis rupibus in nos aliquando non molliores. Accedit intermiſſio ſtudiorum, vrbanitatis, elegantiæ, Muſarum deniq; obliuio: quas ſemel olim Ouidium proſequutas fuiſſe Arabiſſum vſq; Ponti, vltimosq; Getarum Tomos ita pœnitet, vt vix hæc montium aſpreta acceſſuras credam; vbi neq; Parnaſſi delitias, nec Aganippes illimen vndam ſunt habituræ. Sed ſentio me longiùs à littore abreptum, dum breuis eſſe minimè laboro, vt tuas vberiores litteras eliciam. Facigitur, ne me ſpes fallat, &, vt valeas, cura.

MARCO VELSERO *Duumuiro Auguſtano.*

FAcit nominis tui claritudo, vt etiam tibi ignotis innoteſcas; nemoq; hodie eorum ſit, qui numen, ſacraq; Muſarum ritè colunt, qui te, faciente amorem eruditione, ac virtute, non in oculis ferat, haberiq; tuorum in numero vehementer cupiat. háncego coniecturam de me ipſe facio, qui, ex quo primùm Clariſſimorum Virorum de te elogia perlegi, ſermonibusq; laudum tuarum refertiſſimis interfui, mirificò tui deſiderio flagrare cępi; neq; id immeritò. Neceſſitudo mihi fuit cum Pinello, Bencio, Aicardo, Guillandino ſumma: Quærengo, Gualdo, Bello adhuc vtor perfamiliariter. Vnus tu reſtabas ad ſacrum illum, & concordiæ dicatum numerum explendum; cuius ego in amicitiam admitti ſicuti nunc expecto, ita in poſterum enitar, vt (ſi doctrinam exceperis, cuius quàm ſim expers, planè ſentio) nullum in me ſtudium, nullum grati animi officium ſis vnquam deſideraturus. Gualdo ipſi in tui amorem effuſiſſimo vix ceſſero, reliquos, ni vota deſtituent vires, anteibo omnes. tu modo tuę famæ non abſimilis

lis nos tui cupidissimos mutuò ama. Vale. Belluni nonis Februarij. 1611.

IACOBO BAROCIO *Patritio Veneto Oratori eloquentissimo.*

LEgi nuper bibliothecæ Delphinianæ, quam apud vos venalem prostare audio, catalogum ne dicam, an pandecten, voluminum omne genus calamo exaratorum, impressorumq́; gremio complexum: legi inquam, &, quę à Seneca nostro dici olim per iocum, aut per hyperbolen credideram de diuitum nonnullorum sui æui studijs, philologos bibliothecâ tenus imitantium, quorum totius vitæ ocium vix sufficiebat suorum librorum indicibus legendis, veriora esse comperi his, quæ apud Sagram acciderunt. Nam & catalogus ipse in tria volumina erat distributus eâ litterarum paruitate, atq; spissitudine conscriptus, vt lynceo indigeret Anagnoste; & voluminum illorum vnunquodq; tantæ molis erat, vt Anticatones Cæsaris æquaret. In his cùm mihi primo aspectu tot millia nominum, cognomentorum, nationum occurrissent, in mentem venit suspicari, commentaria ne hæc inditionis Augustæ essent, vbi totius Romani orbis incolæ continebantur an potius† diphthera Iouis, in quas ipse mortalium acta dictim refert. Verùm hanc dubitationem meam statim excussere apposita nominibus librorum argumenta. nunquam me meæ ruditatis piguit magis, quàm cùm hæc perlegerem. Nam inter tot examina scriptorum vix vnum, aut alterum agnoui. cæteri ignoti mihi prorsus, atq; inauditi. nomina pleraq; omnia aut contorplicata erant Punicum in morem, aut monosyllaba, qualia Aboriginibus suis Flandris tribuit Goropius. pauca admodum offenderes, quæ Romanus proferre posset nomenclator; reliqua tetragrammatophanta requirebant aliquem de recutito

† Pellis Amalthee capre.

cutito genere Syrophænicum, quibus non minus musicum sonant Occham, Bricot, Olchot, Bohic, Koineikstein, Pirkahimer, quàm eruditis auribus Apollodori nomen, aut Theophrasti. Sed de nominum inconcinnitate, licet ea à Cratylo, totâq; Academiâ permagni fiat, minùs laborarem, ni rerum accederet fatuitas, quam vel hinc cognosce. Inaudisti, credo, inter iratis musis editos libellos Alexandri cuiusdam anagrammati prorsus grammatistæ opus, Doctrinalis titulo inscriptum, quod iam diu est, ex quo sôlum vertit, exilio à tribunis literarijs damnatum. huius tam præclari operis, quo clerici olim latinè loqui nimiùm accuratè dediscebant, complures scholiastes ibi recensui, & commentatores, vt omittam magnos, immanesq; de paruis logicalibus tractatus, quodlibeta numero carentia, Disputationum collationalium, atq; magistralium: Moralizationum millia tercenta. porrò Quirites quid hoc aliud est, quàm latinitatis arcem, Capitoliumq; Gallis prodere? aut fatalem illum equum, Epei dolo fabrefactum Phrygia intra mænia recipere, excidio Ilium daturum? Nec otium mihi, nec voluntas fuit cuncta peruoluendi, sed ni omina fallunt, credo equidem nullum illic Suffenum, Cæsiumuè, nullum carcinoma Musarum, nullum demum incommodum sæcli defuisse ex his, quæ sodali suo missurum se Catullus comminatur ob nescioquid ineptiarum, quod ille prior sibi Saturnalibus, dierum optimo donauerat. quod his oculis vidi, reticere nolo. florentis facundiæ Heroes nati melioribus annis, sui dissimilibus permixti non aliter suffundebantur pudore, quàm si idem in ergastulum cum nequissimis mastygijs coniecti forent. neq; ideo summi viri incuso diligentiam in hoc † anthracino thesauro sibi non mediocri labore, atq; sumptu comparando, cùm & consilium eius ninimè habeam compertum, & multa incæpta carpi sciam, quæ mox effecta laudem merentur. Quis nostrûm si † Poniropolin aliquam extrui

† Carbunum.

† Improborum ciuitatem, quam in Thracia Philippus condidit.

conspi-

conſpiceret, in quam lectiſſimæ quiq; improbitatis homines, ſuis cuiq; contributis agris atq; domorum areis, tanquam in nouam coloniam tranſcriberentur, non ſtatim diris deuoueret vrbem, incolaſq́; ? At id non infeliciter Regi Macedonum Philippo ceſſit, purgamenta exercitûs vnum in locum ableganti, vnde malum referre pedem haud poſſent. Acciperem excuſationem, inquies, ni gryphes equis, hoc eſt ſemilatinorum nugamenta iunxiſſet optimę notæ Autoribus. quod ego crimen in pręſentia ſic diluo, vt in exſcriptoris incuriam reijciam, qui diſcretas fortunatorum ſcriptorum ſedes cum extremæ ſortis librorum forurulis confundens ima ſummis temerè admiſcuit: non ſecus ac pharmacopolarum pueris euenire ſolet, qui noxia ſalubribus coniungunt aliquando per ſocordiam, nonnumq; etiam conſultò. neq; enim ſolæ veneficæ venena colligunt. eadem cura Aſclepiadas fatigat, quo alexipharmaca in promptu habeant, quæ illorum opponant deleterijs. aduersùs ſcorpionis morſum nihil æquè prodeſſe experti aiunt, quàm ſcorpio ipſe tritus, vulneriq́; impoſitus. quam ſanè vim ſi barbarorum auctorum ſcripta minutatim diſcerpta retinent, aduersùs barbarographiam, morbum lethalem, ſacrum, ac, vt nunc ſunt tempora, planè epidemicum, nę iſte bibliothecæ tam diuitis inſtructor hominibus noſtris optimè conſuluiſſe credendus eſt. Hactenus mihi tecum per epiſtolam iocari libuit, niſi tu dolum potius, quàm iocum vocas, huiuſmodi technis emptores abſterrere velle à librorum licitatione, vt mihi quantiuis pretij ſupellex vili addicetur. id quoq; à me quęſitum minimè diffiteor. qui enim poſſem, niſi improbæ frontis eſſem, depræhenſus? eo in crimine præſertim, cuius expertes paucos viuorum eſſe autumo. abs te igitur mihi ignoſci ęquum eſt culpam agnoſcenti, palinodiæq; loco illud proferenti latêre non magis ſub quocunq; pallio, quàm ſub qualicunq; verborum inuolucro ſapientiam. cui id cum ſole commune eſt, vt in

luto quoq; Romuliq; fęce nitorem seruet. meminisse te reor Alcibiadis apud Platonem in Symposio orationem, quâ laudes Socratis prosecutus est, philosophi omnium confessione maximi, & planè diuini: Sed quem ob corporis deformitatem imbalniciem, sermonis incomptum genus Silenis templorum comparabat. qui, si ea tantummodò, quæ oculis obuersantur, spectes, nihil præclari pręseferunt extrinsecus: si intima pectoris rimeris, cuncta ebore, gemmis, auro refulgent. idem planè nos subigit fateri veritas de doctissimis viris Scholasticæ disciplinæ æmulis, licèt sensa animi obscurissimarum quæstionum tenebris infuscent, licèt silices lapides loquantur. Verùm ista, cui sint magis, quàm tibi cognita, haud facilè inuenerim, qui & huiusmodi autorum commentarijs siquis alius abundas maximè, & ex eorum lectione, tanquam ex horrido, & inculto campo pulcherrimarum sententiarum flosculos delibas, quibus non tam in foro, vbi nunc tu regnas, quàm in colloquijs familiaribus cum viris doctissimis, hoc est, cum tui similibus vtaris. Tu igitur hæc per otium examinabis, & valebis. Obsignaturus epistolam raptim, ac nimiùm familiariter perscriptam, granditatem illi deesse deprehendi. itaq; curaui, vt ad te si non cothurnata, at saltem coturnitata perueniret. iterum vale, & nos ama. Nonis Decemb. M D CX.

DONATO MAVROCENO *Senatori Amplis.*

QVod olim apud Platonem Socrates in Phædro laudationem amoris auspicaturus, id ego, cùm meas has pöeticas nugas ad te darem, feci, vt pallio obnuberem caput præ rubore. Subuerebar enim, ne tu non absq; supercilio subridens: ecquidnam huic, diceres, ingenio, munere, ętate tetrico cum iocis solutioribus interuenit? Neq; nunc quidem iste pudor animo penitùs excessit, quamuis

grauis-

grauissimorum hominum exemplis præsidium aliquod mihi comparauerim aduersùs censorias notas criticorum. Nam Socratem ipsum philosophię parentem scimus nonnunquam carminibus lusisse Apolline non vsq; adeò fauente editis: & Platonis eius alumni epigrammata inter præcipuas grecæ iam tum florentis facundiæ opes etiam miramur. Sed hi insipientis sapientiæ doctores fuerint. Gregorium Nazianzenum, ingens illud Theologi cognomen quà scriptis, quà moribus promeritum, à Musis festiuioribus non abhorruisse testãtur eius omnis generis pöemata; elegi imprimis, quibus anum alienis crinibus comantem lepidè, argutèq; nimis insectatur. cui comites doctissimi Viri nostræ pietatis addi possent Apollinarius: Methodius Martyr: Nonnus Panopolites, idem Euangelicæ historiæ, ac Dionysiacorum scriptor non inelegans; quos credibile non est huiusmodi studijs incubuisse, si putassent sacra, quorum illi cultores fuere maximi, pollui pöetices affrictu, ac contagione. Verùm Apologiæ satis datum coram te præsertim, iudice minimè omnium difficili, atq; Lycurgęo, & cui hac prorsus carere culpâ, quàm eam deprecari crimen fortassè grauius videbitur animaduertenti quàm non sit facilè homini non planè indocto Musis, quibuscum à puero aliquandiu consueuerit, nuncium remittere, eisq;, vt res suas habeant, edicere; cùm, etiam si furcillis præcipites eijcias, recurrant. Ipse de me huius rei coniecturam facio, qui procul ab isto eruditorum hominum commercio in penitissimum Italiæ angulum ad ipsas nempe Noricarum Alpium fauces reiectus, vbi & otia non suppetunt, & occupationes molestissimę ex suscepto munere supersunt, cohibere tamen me non possum, quin volens nolens illis obsecunder aliquando. Quod tamen à me fit eâ ratione, vt non partem aliquam temporis in publica negotia, aut grauiora studia impendi solitam subducam, quam huiusmodi ludicris impendam, sed de somno

detraham non nihil, qui hybernis mensibus mihi perquàm breuissimus obtingit, credo ob cœnę, quæ commeatus est somni, breuitatem. has ego horas verè aureas, diem, ac noctem interiectas, quarum hæc amica silentia ministrat, illa ingenij excitat alacritatem, secretorum meorum conscias assumo: in his ipse mihi viuo; mecum habito; mei consuetudine perfruor quamfamiliarissimè: harum beneficio deniq; retineo, siquid annis melioribus perdidici, alioquin euolaturum inter tot mentis euocationes, quas dies oborta secum affert. huius suauissimi temporis vsuram pallore, macie, valetudinis incommodo quæsitam, neminem fore arbitror, qui mihi inuideat, ex his qui genio consultum volunt; aut vitio vertat, quòd Musas puellas frugi, siccas, pudoricolas de nocte tum demum in cubiculum admittam, imò potiùs vltrò irrumpentes non excludam, cùm animus, vt à longâ cogitatione euenire assolet, defatigatione affectus, laxamenti aliquid exposcit. Quòd si non est eiusmodi, vt alios etiam oblectet, non me ideò mei instituti pœnitet, qui hæc non alijs conscribam, sed mihi, tibiq; amicorum optimo: cui vt mea omnia ioca, seria non ignota cupiam, facit tuus singularis in me amor, quem sanè non dubito iudicium mihi tuum demitigaturum. Vale.

ALEXANDRO BVRGIO.

EQuidem sic existimo Vir amplissime, magni admodum referre, cuiusmodi sint, quos Principes crescenti suorum spei admouent. Nam cùm prima illa ætas alieno ex ore sapiat, fit nescioquo pacto, vt ad eorum componat se exemplum, quibus consuescit familiariùs. Hinc illę Philippi Macedonis voces natali filij sui gratulantis, quòd in ea incidisset tempora, quæ Aristotelem tulerunt præstantissimum Philosophorum, cuius erudiri præceptis egregiam Alexandri indolem non minùs præclarum sibi repu-

tabat

tabat, quàm Græciæ latè dominari. Quod cùm mecum animo reuoluo, nescio, tuæne eximiæ virtuti gratuler an M. Antonij Burghesij adolescentis lectissimi felicitati: an potius Pontificis Maximi iudicium admirer, qui nepoti, quem vnicè diligit, te moderatorem de tot Vrbis proceribus delegit, vt haberet veluti Phœnicen alterum, qui illum efficeret Oratorem verborum, actoremq; rerum. Memorabile certè aliquid à tuâ summâ probitate, & sapientiâ expectant omnes, qui te norunt, nec timor est, ne spes eos fallat: adsit modò cœptis Dei fauor, & supersit vita. quod vt eueniat, nos ætate iam, & valetudine non amplius inter iuniores recensendi, quando aliud non possumus precibus, quas solas senibus Hesiodus reliquit, obnixè petimus, optamusq;. Vale amice magne, & Lollinum tuum obstinato animo Ithacam istam suam, infixam montium iugis incolentem mutuò ma ; & doctissimum Virum Scipionem Cobellutium saluta meis verbis.

HENRICO DAVILÆ *Viro Perillustri*.

VEnetijs digressus extremam Italici agri angulum deueni, irriguis montium iugis adiacentem, niue suâ æstatis calorem frigerantibus, consilio, si quæris, multò saniore, quàm illud fuerat, quod ad vos me detulit, Vere iam ad messis tẽpora præcipiti, cùm siluarum vmbracula commodè quæruntur. Hic sudore deterso, excussoq; puluere sic ago, vt vita mihi iam sit iucundior; otium verò studiorum patiens, cuius quidem ne vestigium extabat in vrbe, æstûs & negotij plenissima, & quam iure dicas Mercurij promercale forum. Nunc iuuat istic plusculos dies contriuisse haud aliter ac nautas, postquam periculis perfuncti portum subeunt; laborumq; non sine sensu voluptatis meminerunt, quorum perceptio fuit permolesta. Iam corpore vti; frui animo audacter audeo, iam nosse mea bona di-

ſco, quę non niſi priùs amiſſa, dein recepta placent, fiuntq; plurimi. Stat porrò, imò ſedet animo, non alibi vnquam æſtiua figere: non ſi gelidas vmbras Mænala miniſtrent, aut Taygetus. Hiberna, vbi plus nimio frigore dirigui, quæ dementia fuerit recedente hieme relinquere? an, ne vllo vnquam tempore nobis benè ſit, vt Aſcræis olim, malo aſtro genitis, quibus tempeſtas omnis capitalis, ac infeſta accidebat? Ad mare non ego, ſi ſapiam, poſthac accedam, niſi Brumâ rigente Alcionas præire videro. Has itineris duces non recuſo, turdos æmulari interea contentus, nemora facto agmine petentes, vnde illos Boreas eſt auocaturus, vbi primùm hibernum increpuerit. Flabellum, quod dono abeunti dederas, remitto: cùm nec muſcas regio iſta ferat, quas illud abigat: nec ventulum nobis excitare moris ſit, niſi quando flammam conclaui tepefaciendo follibus accendimus. Satis frigoris per æſtatem ſuppetit: hieme plus ſatis, etiamſi adminiculis id genus careamus, quibus aër dimotus ęſtuantes ventilat. Non eſt equis apta Ithaca minùs, quàm hæc loca xenijs huiuſmodi, quin tu, ſi lænas, & gauſapa dediſſes, gratius feciſſes. Vale.

HENRICO DAVILÆ.

PRopè eſt, vt arbitrer loci, non corporis eſſe morbum, quo laboras. Nam ſubtriſtis voluptas illa, quæ ex pruritu orta vnguium miniſterio peragitur, peculiare peculium eſt Oritanorum. Proinde tibi non Archigenis arte, ſed Abaris ſagittâ opus erit, quâ vectus aliò feraris: ſi iſtiuſmodi delitijs, quibus Socrates, vt eſt apud Platonem in Phedone, non indelectari videbatur, minùs caperis. Conciniane fabulę cataſtrophen tibi non inopinam puto accidiſſe, cui non ex diſciplinâ Augurum cor ſapit, ſed ex vſu rerum, hiſtoriarumq; omnigenarum lectione. Seiani mihi caſus animo recurſat, dum hæc audio, tam ſcitè, atq;

gra-

graphicè, vt nosti, in Taciti scena oculis obiectus. In summas cum iste pariter opes ab exiguo censu, priuatisq; fortunis, quas Florentiæ non florentissimas obtinuerat, emersisset Gynęconitidis fauore, quam posthabito androne vnicè coluerat, eò demùm dementiæ deuenit, vt iniuriam sibi fieri putaret, si foret vno Rege minor, qui nemine penè maior apud suos vixerat. Non sat visum auido Imperij, Regios satos sanguine anteire: id moliri cæpit, vt nullos sibi tandem, ne longo quidem interuallo proximos haberet. Adeò Periandri factum altè animo insederat, bacillo eminentiora papauerum capita decutientis. Reliquus Rex erat (nam Regina iam vltrò iugo assueuerat) qui remoram inijceret in sui, regniq; perniciem ruenti; hunc quoq; insidijs aggressus eò loci compulit, vt in eius solius nece vitę spem reponeret. Hinc turbo est ille subitò coortus, qui ipsum nihil tale timentem perculit, Galliam seruauit, nihil ab eo mali non timentem. Nam de Italiâ quid loquar? quæ huius exitio ita est lætata, ac si sospes esse eo incolumi minimè potuerit. Vatinium medius fidius, odium illud orbis immortale, si cum isto comparas, inuenies fuisse delicium generis humani. Nam quòd ad eius cædem attinet, Pythona Phæbi iaculis confossum vix tanta gratulatio excepit, quanta huius fatum, quod Nemesis sanè stomachum fabulam non esse meram comprobauit. Minimè sum omnium † Ἐπιχαιρέκακος aut quem insultare iuuet hominum ærumnis, etiam si ipsi prius hominem penitus exuerint. † Maleuo-lus. huius tamen postrema præbere nunc declamationum argumentum apud Rhetoras in scholis eo minùs equidem molestè fero, quod huiusmodi exemplis arbitror eos deterreri porrò posse, qui postquam vota ipsi sua subitis incrementis præuerterunt, nulli miserabiles postremò corruunt. quibus inferijs sit illi parentatum, credo, inaudisti; &, quæ tua, vel in armis exculta pietas est, inhorruisti. Artus ludibriorum reliquiæ tumulo subitario surrepti, vnco tracti,

pati-

patibulo suffixi, demum cinefacti, & in auras sparsi, ne eos natura saltem communis parens inhumanos, & sibi relictos sepelire tempore vllo posset. Verùm hæc atrociora fortasse, quàm vt à nobis singillatim stylo complecti debeant, epistolâ præsertim vltra legem breuitatis propositæ tendente. Te hic expectabamus, delectum, vti fama referebat, habiturum indigenarum cohorticularum. vt igitur sospes, validèq; validus aduenias, vale. & nos ama tui cupidissimos. Belluni.

ALEXANDRO SYNCLITICO *In Academia Patauina Legum Professori celeberrimo.*

ALexij Aristæni partem aliquam nescio quotenarum pagellarum memini me olim habuisse inter literarios calamo exaratorum codicum thesauros Cretâ mihi aduectam, quæ Ecclesiasticos Canonas in ordinem haud amethodicè regestos continebat. Ioannis Zonaræ labor longè alius, cui satis fuit nullo habito delectu Pontificum suorum iura explanare crassâ, sed perbreui Mineruâ, vt mos postremæ Græcię, & iam in occasum vergentis autorum fuit. Vtrumq; volumen integrum Patauij asseruari vidi vnà cum ingenti illo legum aluearí, quod vos Themidis antistites † ἑξήκοντα βιβλων vocatis, apud Nicephorú Larissęum Monachum inter egregios † βιβλιοτάφους sui ordinis tunc habitum, antequam Gabriel Philadelphiensis scrinia eius, dolóne an vi quis in hoste quærat? expilasset. Iste, si viuit adhuc (nam iuisse eum ad beatos rumor ad nos attulit, nescio an verax) certiorem super hac re faciet: sin autem (quod omen aurę differant) hæres eius, aut certè creditor, per quem non ipsi licuisse reor secum libros, quos optimæ notæ plurimos habebat, adsportare † δῶρον τῇ περσεφόνῃ. Ex his, qui eosdem locos græcè tractant autoribus, neminem per calcographorum typos euulgatum vidi, præ-

† Sexaginta librorum.

† Librorū tumulos.

† Donum Proserpinæ.

ter Balſamonem, Photiani Homocanonis interpretem; & anonymum illum, cuius opus eſt, Ius orientale. Merùm hæc tu mediùs, qui vrbem incolis iſtiuſmodi mericum feracem. nos enim iamdudum † ἡ ἐρημία ἐβαρώσεν. De duobus epigrammatis, quæ nuper inuitiſſimis Muſis edolauimus, vnum, vt de Aiace ſuo Octauianus Cæſar dicere ſolebat, ſpongiæ incubuit. alterum ad te iam tranſmiſſum, vix tanti eſſe puto, vt verſipiatoris cuiuſuis de triuio famam pro dignitate ſuſtinere queat. niſi fortè apud te, qui noſtra ſpecillis ſpectas teleſcopijs Hollandicis. tandiu te in freto ambitionis fluctuare permoleſtè audio. puppim iam obuertiſſe littori oportuit, nihil vialibus Dijs amplius debentem. Verùm ſic nunc iuuitur. ſpes quoq; ipſæ, & quidem, quàm Homericæ ſunt litæ, loripediores, impensâ in anteceſſum prece, diſcurſu, prenſatione, tædio emuntur. Valebis igitur, &, vt Catulliano verbo vtar, vſq; obdura. eo tibi carior ſponſa ſuperueniet, quo diutiùs ſperatur nobis hîc, æſtuosâ licet anni tempeſtate, & quâ vos ſudore diffluere non addubitamus, tantum abeſt, vt frigus opacum captare vacet, vt ad ſolem etiam appicari nonnunquam libeat. Vale.

† *Solitudo barbaros didit.*

BERNARDO A COLLE *Bellunenſi Venetijs Medico Perilluſtri.*

CVm iſtinc ad nonas Iulias reuertens Populetum tuum pręterirē, quo nihil in totâ illâ regione Transarctanâ altius, nihil eſt amęnius, cępi mecū de te (quod ſolens facio) tuâq; iſtâ vitæ ratione cogitare acriùs, credo, loci pręſentiâ admonitus, quem ſcis ad recordationem plurimum conferre. & tempus eiuſmodi ſanè inciderat, vt villæ quouis Tybure opacioris latiùs ſe vmbræ explicarent, ſole iam deuexo. En, aiebam, quò nos adigit ambitioſa laudis cupido, merendoq; noſtri memores alios faciendi ſtudium,

Col-

Collinus sua regna linquens æstiuis mensibus apta, quantum nec Persarum Regum celebrata veteribus Ecbatana, æstuaria Veneta inhabitat; vbi aqua, & illa quidem palustris pluris venit, quàm in Plauti thermopolio murrhina, aut mulsum; aër nisi flabello dimotus torpet iners: somnum nunc culicis tuba eripit ex oculis, nunc comessantium circuncursatio, nunc (quod & sæpiùs euenit) vtrunq; : vbi, quod cardiacis accidere videmus, sudatur, & bibitur assiduè. & ne quis putet ibi consertis manibus eum otiari, aut ventulum sibi facere, quod beati solent, frigus remotiori in parte ædium captantes, ægros visit perdius, febres feruens curat; vsq; adeò aliena salus propriam præuertit. Plura in hanc sententiam parabam, cùm Musę nostrę, quę mihi Spartam meam repetenti officij causâ eò vsq; loci obuiam exierant, lętum excepere perhilariter, quarum ego beneficio vsus, quod tacita cogitatione mecum agitaram carmine conscripsi, si quęris, subito, atq; viatorio, quod huic epistolę insertim leges, solumq; seu salum potius mutare vertens, febriculosa loca, nec messes Arabum olentia, amænis, atq; salubribus mutabis Sirio aduentante. Cuius iniuriam non aliter arceri posse veteres putabant, quàm Iacchi pharmaco algidâ in vmbrâ. Vale amicorum optime, &, vt frater validè valeat, accura. Belluni.

ANDREÆ MAVROCENO *Senatori.*

† Semestres.

OCcupationes sanè vero publicæ ἑξαμηνόβιος Castoras vos reddunt, proceres politicos; semissis anni cuiq; integer ita à vobis Reipublicæ insumitur, vt vix respirandi otium supersit; semissis vitę munijs fit reliquus, nec ille quidem totus; aut omnino liber, cuius quippe pars non quotacunq;, sed plerunq; potior, eisdem fermè distinetur curis. hunc mihi familiaribus epistolis lacessere fas sit, parciùs modò, atq; verecundè, illum interturbare ne verbo au-

sim

ſim, niſi me importuni ingenij cognomen, & pro reſponſo Ariſtophanicum illud † ὀυδὲγρυ delectet. nec verò iniuriâ. nam quæ rogo frons tam pudoris neſcia eorum tempora morari velit nimio ſermone, aut ſcriptione, quibus feriari vel non licet, vel ſi quando licet, prodigere otium non libet litteris legendis haud multi pretij? equidem non ſic ineptio, vt cuius amicitiam colo ſummâ pietate, eius velim cogitationibus officioſiſſimè obſtrepere, aut otio negotium faceſſere ſtultorum more. neq; ideo (quæ tua eſt ſuauitas) Sigaliona me prorsùs eſſe, puto, patieris, aut Amyclæum, qui ſępiùs etiam ad ſcribendum prouocas, ne noſtræ neceſſitudinis fructum intercipiat ſilentium, neu lethe obruat. Sed proæmiorum, niſi plus nimio ſatìs, iam ſit ſatis: cùm mecùm epiſtolas † νανώδεισ, & quæ fungino ſunt capite non probes. Miſit ad me nuper Sozomenus noſter inſcriptiones viuificę Crucis duas gręcas, iambis vt mihi ſunt viſi, non omnino malis comprehenſas: quas ego, quia & hiſtoriæ corũ temporum conſulunt nonnihil, & pietatem lectoris fouent maximopere, vertendas latinè non minus quàm metricè, imò verò iambicè curaui: ne illis quoq; ignotę forent, qui M. Marium Ciceronis perfamiliarem imitati, ire, ne rus quidem ſuum petituri, Græcâ viâ volunt. Interpres verbum verbo reddere neglexit, ſatis quidem habens, ſi accedat ad Sententiam quàm proximè. quâ in re monitore eſt vſus Venuſino Vate. An rem acu, quod dicitur, tetigerit, tuum eſt decernere. His adiunxi carmen eiuſdem argumenti domi meæ natum, neq; tamen meum. tandiu eſt, cùm mihi cum Muſis negotium nullum intercedit, vt in mentem ſubuereri veniat, ne malæ tractationis diem mihi dicant apud Tribunos literales. parùm eis nunc planè adblandior. adblandior autem? imò, vt ipſę olim Catullianum illum cognominis non honeſti, ſic ego eas furcillis abigo. Quærengus ille eruditi laboris Atlas, mei cos ingenij hæc non ita pridem ad me

† Ne mi nimiũ quidem.

† Breues pumilionis formam habentes.

dedit, quæ tibi impertiri pretium operę putaui, vt embammatis loco essent, quo nostra palatui tuo minùs displicerent. Lege, si vacat, & vale, & nos ama Amplitudinis tuę cupidissimos. Belluni Idibus Iulijs MDCXVII.

EIDEM.

EVge Vir non laudibus modò nostris, sed sæculo quoq; tui censu longè maior. Nimbi vndiq; æthera præcingunt, hyemem Reipublicæ ferentes; & tu non intermissam claui, ad quem sedes, gubernatione, litteras retractas? nec te vectorum sospitas, quorum salus tua tibi carior; nec orbis concussi fragor cæteros exanimans, vt nuncium remittas studijs, inducit? Diogenem ego anormis eorum sectæ Coryphæum, qui vitam sine lare, sine lege segregem, ac planè Timoniam ducebant, Corynthi, cùm Ciues plus immo calere cerneret pro aris, & focis breui pugnaturos, dolium suum ita per compita & fora circumuoluisse, vt penè confregerit, haud sanè miror. Quid enim singulator ille, Deorum atq; hominum irrisor egisset aliud, à muneribus publicis non minùs abstinens, quàm Samius sapiens à fabis? tibi potiùs animum istum iure gratulor, quòd eâdem operâ & curis sufficiat communibus, & supersit Musis: Musas autem cùm dico, non illas modò canoras, Pöetarum daphniphagidarum Numina intelligo, quibus cum tibi quoq; necessitudo intercedit; sed grauiores istas, ac seueriores, quarum ope in historiâ temporum condendâ Hërodotum æmulatus vteris, qui libros suos licèt pedestri oratione editos, quibus nihil habet Gręcia diuinius, earum nominibus inscripsit. Deum verò, Diuosq; omnes precor, quibus curæ Itala res est, vt pacem, difflatis procul his nebulis, reducant cum eius familiari comitatu securitate, hilaritudine, liberali otio, cuius si tibi contigerit laxior annona, cui dubium, quin sis vberiores

res ingenij tui fructus percepturus bono literarum? Verùm hæc euenient tandem aliquando: sic diuinat animus. Vsurâ interea fruamur præcerptæ ex ipsâ expectatione voluptatis. me certè eò temporis optatissimi prouehit cupido, cùm decumanos hos fluctus malacia excipiet, vt, cùm euenta me adhuc morentur, percipiam tamen gaudij nonnihil ex imagine rerum speratarum. Huc vsq; calamo processeram, cùm ecce mihi argumentum ingens, nouum, eucharisticum litteræ tuæ attulerunt, quibus me libello donas aureolo, cuius dum folia moræ impatiens, vti fit, peruoluo, ea limis legi, quæ de meis carminibus scripsisti. Ne viuam, ni à te amari tam effusè (nam laudari quid opus est dicere, cùm laus ab amore oriatur Rhetorum blandissimo?) ita delectauit, vt opinari incipiam in me esse instar aliquod Virtutis, quod tibi, me inconsulto, imposuerit non inuito tamen. cui enim non pulchrum fuerit, ac perhonorificum ab illo non improbari, qui probatur omnibus? De toto libello quid sentiam, cùm ipsum auidè perlegero (nam nunc tabellarius vrget abituriens) pluribus rescribam.

Syngliticanum negotium de meliore notâ tibi commendarem, nisi litteris meorum factus essem certior, te in eo promouendo vix mihi ipsi, cui summæ est curæ, iam concedere. quod quàm mihi gratum, quàmq; tuorum officiorum omnium sit simile, cùm res loquatur ipsa, quid attinet scribere? Vale amice magne, & rem, quod facis, literariam non minùs, quàm publicam accura quàm auspicatissime.

EIDEM.

EXcussi me non ita pridem diligenter, dum mecum ipse rationem puto, quî possim tuis tot beneficijs obstrictus tibi saltem aliquâ ex parte satisfacere, nec inueni quicquam, quod magis in re esset meâ, quàm in ære tuo;

adeò me benè merendo prior occupasti. foro mihi tandem cedendum foret, nisi spem animus minimè decoctor faceret futurum, vt inter ipsas egestatis angustias materiam sibi inueniret liberalitatis aliquando. Me igitur hac spe interim sustento; præsertim cùm tu is non sis, qui nominibus quantumuis lentis calendarum incutias timorem facilitate istâ tuâ, atq; lenitate, gratiasq; tantum ago, habeoq; haud qualescumq;, sed officijs tuis pares, nempe immortales, haud temerè alio posthac ad te scribendi charactere libentiùs vsurus, quàm qui eucharisticus in scholis Rhetorum vocatur, estq; si non pudori tuo, pietati certè in te meæ consentaneus. nam tu quidem promereri laudes contentus, laudari respuis, dignus ob id maximè, quem minùs ęternitati temporum commendet Musarum ac Charitum concordia, tibi Synclitici nostri causâ deuincta, quàm proprij ingenij diuinitas, cuius multiplici fæturâ famæ innotescis non interituræ. vel nupera illa qualis ad me missa de sacris Lipsanis? quàm docta, pia, elegans, & eo magis ornata, quo inelaboratior. In ea iam animaduerti Epigrammata abs te laudari duo Iambica, distichum præterea trochæo, præpropero metri genere, ac planè rotabili expressum: quæ erant enim gręcè perscripta non inscitè, vertenda mihi in latinum statui: ne posthac interprete apud eos lectores indigerent, qui haud paulo minùs quàm Palamedis aues græcos norunt à barbaris nationibus discernere. En humanas vices: en rerum in præceps semper ruentium prolapsum. Vrbs æternis fæderibus Græciæ coniuncta, eiusq; tot, tantisq; latè populis imperitans vix vnum, aut alterum nominat, è suorum albo, qui in Hellenismo cum Octauiani Cæsaris salutatore psittaco conferri possit. Gregorius Barbadicus tibi succrescebat linguæ, quâ Musas locutas ferunt, haud imperitus, cùm mors Venetæ eruditioni inuidens eum intercepit in ipso ætatis, ac fortunæ flore. O cæcas hominum mentes. O futurorum igna-

ignarum pectus magni Bessarionis illius, Græciæ post tristia suorum funera assertoris, qui Atticæ eloquentiæ, doctrinæq; gazam, illustrium ingeniorum monumenta per tot maria vecta non alijs concredi voluit, quàm patrum nostrorum proauis in Græciæ propylæo à naturâ ipsâ constitutis. Quàm vereor ne voluentibus annis Bibliothecę Attalicis Regibus olim inuidendæ, libris per summam incuriam aliò translatis, aut carie absumptis, nihil sint aliud futuræ, quàm Bibliothecæ, hoc est loculi librorum, sed inanes. Verùm has, dices, querelas tempora non ferunt, cùm lituum, & arma magis poscat res. audio; sed nos ne festâ quidem pace, quæ diu, multùmq; nostris regionibus incubuit, ad huiusmodi studia promptiores fuimus, quàm nunc Marte sumus omnia turbante. Cœli schematismum equidem, astrorumq; recursus causarer, vnde squalor temporibus statis venit literarum, si Chaldęos sequerer: neq; foret æquius luxui accepta hæc tropica referre, qui in alia omnia trahit iuuentutem haud sanè multùm restitantem: præsertim vbi Hellenismus ipse tantùm à commendatione procul abijt, quantùm ludibrio est propior. Quicquid igitur hoc est versiculorum latinè à nobis redditorum in eundem fasciculum coniectum simul cum his litteris habebis Vir Amplissime oræ tui libelli adscribendum, à nobisq; interea expectabis literarium aliquod munusculum. †χάλκεον scilicet †ἀντὶ χρυσέων. Vale.

† *Ferreũ*
† *Contra aurenm.*

HENRICO DAVILÆ *Viro Perillustri*.

VEra narro: in vrbe ciuitatis nihil iam est reliquum: omnes ad vnum veluti signo dato rura petiere. me secessus habet adeò propinquus, ac submęnialis, vt inde vrbem, quasi parùm sit aspicere, olfaciam. Autumnitas otia hæc facit, indictæq; à Lenæo feriæ, cuius sacra non aliter coluntur, quàm securo, solutoq; in omnem hilarita-

tem

tem animo. Accedit auspicatum negotij genus, &, cui nemo non vacat per hos dies, aucupium multiplex, festiuum, voluptatis ingenuæ plenissimum. Alij luscinias, quę iam saginâ grauatę silent; ficedulas alij nunc fallunt; nunc panthera capiunt. quid corrugas frontem? nostra nonmodo rura, sed florentis facundiæ scriptores nati melioribus annis sic loquuntur. Porrò qui plus sapiunt, nec voluptate ducuntur labore tam improbo quæsitâ, fruticetum aliquod syluiforme occupant. in eo è ramis frondentibus laqueos suspendunt; illices turdos in excubijs ordine disponunt, vinctos illos quidem, compede licèt laxiori, qui populares suos blando cantu inuitent ad suspendium perquam Timonicè. hoc nostri turdari vocant nil minus verentes; quàm ne quis in eos Orbilius ferulam intentet, qui Hellenismi zelo peccant, siquid peccant dum † τὸ κιχλίζειν, Atticum, atq; delicatum vocabulum æmulari student non illaudabili (nisi ego fallor potiùs) conatu. hîc tu cum risu percunctaberis. Vnde iste tam subitò auceps euasit de opilione.

† *Turdos edere, gulę indulgere.*

Pastorem Tytire pingues pascere oportet oues.

Audio. sed non mehercule lautiùs, nec minori impendio pascere meq;, ouesq; meas bipedes has possum, quàm huiusmodi inemptis epulis, quæ nobis non ornithopolæ, aut auiarij, verùm anni tempus, aër, cęlumq; adeò ipsum non restrictè præbet, vel tum maximè, cùm nubilat. Pastorem gregem pònè sequi multo reor æquiùs per agros, & villulas vagantem, quàm vrbis inhabitare meram solitudinem, vbi præter lemures, & lares neminem aliquem facilè offendas. Nam qui se nunc incomitiare gaudent, atq; (cum Plauto dicam) inforare, hos ego de Bellerophontis semine prognatos autumo, hominum vestigia vitantes, ac planè semiferos. persuasi? an mihi muneribus ex manubijs auium tecum est agendum. id quoq; in tuæ spem gratiæ conabimur, modò putidum ne sit, & diuerbio

illi simile, Noctuas Athenas, aues ad vos cathoritanos nemoricolas transmittere. Hæc, dum prædæ intentus retia resarcio, dictabam: plura ab otioso, & reduce in vrbem expectabis, simul ac hibernum Aquilo increpuerit, nosq; ad colligenda vasa cohortabitur. Vale, & vince. In suburbano Castilionæo. pridie nonas Octobris. Ferijs ipsis vindemialibus, quibus vos, vt audio, caretis, Liberi ne ob iram, incolarum an incuriam? & si (quæ vestra æquanimitas est) vino generoso, exotico contenti, indigenę, reor, desiderium non molestè fertis.

HENRICVS CATARINVS *Dauila.*

ALOYSIO LOLLINO.

Persuasisses profectò mihi, rurale vel otium, vel negotium per quàm suauissimum esse, nisi me rusticitatis saturum, vrbanitatis auidum inuenisses. Sapienter, & ad naturam appositè maximus Oratorum pronũciauit omnibus in rebus similitudinem esse satietatis matrem: varietatem verò occurrere satietati, sensus alere, animum recreare. Ita est. ego, qui secundum iam annum, vagam per agros, & nemora, vitam duco, vrbis aspectum, ciuilem frequentiam, forense negotium concupisco. Tu, qui ciuitatem assiduè colere consueuisti, nunc mœnia parumper egressus, villarum amœnitate caperis, vindemiæ frueris hilaritate, otio, libertate, aucupio vario, atq; multiplici deniq; delectaris. Sed quem Xenocrate duriorem, ne dicam stupidiorem genus istud vitæ opimum præda, vindemia lætum, quod mihi facundissimè narras, summâ non perfunderet voluptate? Delectatio sensus in hilaritatem soluit: labor gustum ad epulas exacuit: epulas præda multiplex tam lautas subinde ministrat, vt Æsopi patinam, nullo comparatam impendio, valeas ęmulari. Huiusmodi

di mehercule cœnam iucundo sudore partam, orexi conditam, tam delicatis ferculis interstinctam, omnibus Vitellianis dapibus antepofuerim, quibus languentis, & nauseantis stomachi tarditatem, frustrà duo millia lectorum piscium, & auium septem millia acuere conabantur. Quid Phasianorum cerebella, linguas phœnicopterum murenarum lactes, iecinora scarorum commemorem, nepotinis sumptibus ab extremis Asię, vel Europæ partibus ad solemnem patinæ dedicationem expetita? Quid dilutos vniones aceto? Quid seruilianos solidos apros mensis impositos? Quid Troianos porcos medio parturientes conuiuio? Quid mullos, vendente principe, octomillibus æmptos? Quid Neroniana mellita? Quid augurales cœnas? quid parata in Apolline conuiuia? quid cætera, quibus ciborum famam, non suauitatem comedisse antiquorum helluones existimo? omnia ista, medius fidius, populatione prouinciarum vndiq; coaceruata irritamenta deficientis gulę, cum tuis istis, innocuis, atq; inemptis dapibus comparanda non puto, quibus modestę frugalitatis parsimonia, & opiparè instruendi conuiuij copia, res toto fere cœlo distantes, tua diligentia conciliatę in vnum videntur quasi symbolum consensisse. Vnum dubito. ne vindemia longè inferior epulis tam pretiosis euadat. Bellunense enim omphacium, potius quàm vinum, illud autumo esse medium, de quo scripsit Varro medium vinum prãdium caninum esse. Certè, qui vini sapores distinguerę didicerunt; quattuor illius esse genera dicunt. Dulce, quod & musteum. Tenerum, quod & lene. Asperum, quod & austerum. molle, quod & delicatum appellant. Bellunense verò hisce generibus contineri non posse videtur. Dulce non est: lenitatem non habet. delicatum appellari nequit. sed nec asperum nuncupari debet, cum vim, & generositatem non habeat asperitatis, quemadmodum habent Massica, & Pręnestina. Itaq; medium illud

lud Varronianum esse concludo, quo mensis apposito, abstemium traducere prandium conducat. nisi cum Plinio toruũ nominare velimus; aut naturam artem miscendi nautarum imitantem, vel potius deridentẽ, poscam hisce regionibus pro vino edidisse dicamus. Verùm hoc parùm refert. Tu enim feriarum sectaris vindemialium hilaritatem, vt soluto parũper à curis animo † ἅπαξ ἐν ἐνιαυτῷ exhilarari sapienter ostendas oportere. Vina autem exotica, Falernis, vel opimianis non deteriora, ad stomachi valetudinem, & naturæ fomentum aliunde petere didicisti. Fruere igitur felicissimè vindemia quidem, donec pendens Lenęus carceribus includatur: aucupio verò, donec ficedulę in melan coryphos, ingruente iam hyeme conuertantur. ego verò ciuitatis desiderium tamdiu sustinebo, donec Bifrontis valuę, coniecto in vinculis Marte, ad innumera exinde sęcula claudantur. Vale, & me tui obseruantissimum vt facis, ama.

† Semel in anno.

EIDEM.

Legi tuas litteras, quæ mihi cùm acerbiores in Lyæum popularem hunc nostrum, quàm tua fert lenitas, sint visæ, in mentem venit subuereri, ne quis, dum hîc esses, tibi Cyneæ, Pyrrhi Regis legati poculum miscuerit, neq; enim aliunde factum puto, vt vindemias nostras nullo discrimine omnes pro labruscidemijs haberes, quasi nihil referat vuásne immites prælo premas, an sole multo priùs amænis in collibus decoctas. Equidem sic censeo nullibi non posse vinum vel sappâ dulcius diffundi, modò sit, qui vindemiatori vetet, ne approperet. neq; ideo homines nostri consultò minùs sibi cauent, qui ob malum vicinum, racemos immaturos malunt, quàm omnino nullos. Sed de vino satis. De pace aqua mihi adhuc hæret. resne sit, an spes magis dubia, variis imaginibus animum deludens. ni-

si eam pacem vocare volumus, quæ (Aristophanis comici sunt verba) picem, classisq; apparatum procul olet. Verum hæc in Dei Numine sunt posita, arcanisq; Regum. Nos casum amici optimi (nam dicere boni, parum fuerit) dolemus, tibiq; à Deo, qui Iani pro arbitrio postes claudit, aperit, fausta omnia precamur, vt possis tandem aliquando, syluis cum earum Amadryadis relictis, Vrbem ex voto, vrbanitatemq; adeò ipsam colere, cui à teneris sic assueuisti, vt tecum, quocunq; pedem intuleris, circumferas. Syncliticus noster primarij Prælectoris titulo iam auctus Mercurium Agoræum, quem sibi parùm propitium fuerat expertus, cum Themide Patauinæ Academiæ mutauit auspicatò, vti spero, & si autoramento minùs luculento, si viri virtus, munerisq; dignitas respicitur, atq; amplitudo. Tu amico, ciuiq; tuo gratulaberis, valebisq; plurimum armatę non magìs, quàm literatæ Palladis delitium. Castilione.

HENRICVS CATARINVS Dauila.

ALOYSIO LOLLINO.

Miraris me præter instituti mei consuetudinem infensius de vino Bellunensi esse loquutum. Non iniuria miraris. nihil enim æquè abhorrere soleo, quàm τὸ † ἰαμβίζειν neq; facilè stylum, cynico more aculeis armare consueui, nisi vel damno affectus, vel lacessitus iniuria, diuturnam deniq; patientiam in breuem iracundiam conuertere, non humanum modo, sed virile quoq; esse succurrat. Verùm audi; & desines Epistolæ mordacitatem mirari. Ego cùm primum ad hasce regiones Senatus imperio delatus, vitam nullo delectu, cibo, & potione fortuita ex militari disciplina instituissem, statim in vinum istud incidi Bellunense. Gustus non respuebat: tenuitas vale-

† Maledicere.

tudini

tudini conducere videbatur: nulla extemporalis apparebat in eius vſu iactura. Verùm procedente tempore cùm viſceribus ſenſim adhærere cœpiſſet: ſtomachus paulatim languescere. voraces quidam inteſtinorum ardores exoriri: os, lingua, palatus ſæpius amareſcere, nonnumquam exaſperari, deniq; importuna ſcabies totum vndiq; corpus occupauit. Malum videbam: cauſam tantę mutationis penitus ignorabam. cum ad recuperandam ſanitatem intentus, & mihi metipſi propemodum iratus, penè quidquid humidi erat in corpore, medicaminibus egeſſiſſem: ſanguinem verò iteratis phlebotomijs affluentius profudiſſem, nihil tamen proficere toties repetita remedia videbantur. Tandem nonnulli ex amicis non Galeni præceptis, ſed experientiæ diſciplina benedocti, vt vino illo vti deſinerem, iterum atq; ſæpius monuerunt. Abſtinui. conualui. priſtinas vires, amiſſam miſerè valetudinem faciliime reuocaui. Satis ne graues inimicitiarum cauſę eſſe videntur? Fac, non ſint. Veritatem ſcriptis, ſermone, publice priuatimq; profiteri, non maleuolentię, ſed integritatis eſt argumentum. Veritatem verò nec ne protulerim, tumet ipſe luculentis carminibus profiteris. Sed quoniam in Carminum mentionem deuenimus: quid tibi in mentem venit, Iambicam pharetram vniuerſam aduersùs illicem turdum exhaurire? non te miſelli miſeratio ſubijt, qui fideli famulatu operam tibi ſuam commodauerat, qui aucupium tuum oblectatione feſtiuum, copioſùm præda eſſe fecerat, qui menſam tuam ſuauiſſimis dapibus exornarat? Non ſatis viſum deplumem affixiſſe veru, toſtum igne dentibus laceraſſe, niſi verſibus etiam æternam infamiam inurentibus confixiſſes. Vide quæſo id lenitati, æquitati, gratitudini tuæ quàm conueniat: ego enim de vino, æquis iudicibus cauſam meam probaturum eſſe confido. Sed luſimus ſatis. Pax, quæ cælitus effulſiſſe afflictis Italię rebus videbatur, iterum ad ſuperos redit, tenueſq; vane-

ſcit in auras. Allobrox nihilominus, cuius Epithetum ex Horatio noſti portum tenet: nos in ſalo iactamur. Peritirerum ingruentem malorum molem ominari non ceſſant. Sed Dij meliora. Sinclitici noſtri honorem lœtus audiui: authoramentum verò, quod tenue eſſe significas, adhuc anxium me tenet. Idcirco annua pecunia quanta ſit, quæſo me certiorem facias. Præſul Illuſtriſs. Vale.

EIDEM.

SErmone ferè omnium, qui hâc iter habent, certior ſum factus Oratoris Veneti Litteris ex Iberiâ tranſmiſſis nunciari, pacem Regis Chirographo firmatam, quod etſi minimè addubito, quin vobis quoq;, qui limitaneis copijs præeſtis, pridem innotuerit, operæ tamen pretium ſum ratus epiſtolam hanc ieiuniorem aliàs futuram, huiuſmodi embammate condire: licèt nondum conſtitutum habeam, euangelij ne loco eſſe debeat Viro bellatori Ianum, qui ad hanc vſq; diem fuerat Patultius, Cluſium nunc indigitari. Vtcumq; ſit, pax tandem, ſi famæ credimus, coaluit. Synclitici noſtri honorarium in nummis ſummam non excedit CCCCL florenorum; in ſpe, vt ipſe de ſe ſcribit, multis eſt partibus maius, ac vberius. Hæc volanti calamo præproperè, ne te diutiùs lateret, quanti amicus ingenij ſui induſtriam locarit. Nos adhuc ſuburbani ſumus, atq; vtinam non potius ſubruſtici, adeò vrbis, & ruris confinia incolimus, ſerenis tempeſtatibus illecti: nam aucupium pluſculum refrixit. tu interea vale, & nos ama. Caſtilione.

EIDEM.

NE frigore me conglaciaſſe planè putes in hibernis, intermiſſum ad te ſcribendi repetam officium; ſimul

mul vt tuas litteras eliciam. Nam quòd epiſtolæ argumentum nullum fermè habeam, eo minus curo, quòd videam, cùm vnâ conſedimus nos è nihilo ſermones plerunq; texere prolixos, † ἐπεισοσιώδεισ, & quales Alexandrini pepli eſſe ſolent, polymitos. Idem accidet familiari ſcriptioni Stylus ipſe rem, & verba ſuggeret, garriendiq; voluntas copiæ magiſtra. Syncliticus noſter in eo eſt, vt Patauium cogitet haud longum iter, neq; inamænum: nos ei è tironibus noſtris copiolas paramus, quas ille de rudibus reddat rudiarias. Nam, etſi non dubito ſcholam eius hederâ opus minùs habituram; vbi ipſe thermopolium inſtituet murchinâ, mulſo, omniq; anthoſmię genere inſtructiſſimum, facio tamen non inuitus, vt eò bonarum literarum ſititores veluti intento digito delegem. Te reor, niſi aduentus Pacis ſerior morabitur, quam video, vt Italiam reuiſat, lentè admodùm, ne podagricè dicam, feſtinare eius prælectionibus interfuturum. Verùm, quoniam de pace mentio; amabo mi Henrice, ecquam cataſtrophen mimus hic habebit? erítne nobis vnquam ad togas remigrandum? an ſagati hanc quoq; hyemem in excubijs durabimus? Agnoſco fœmineum ingenium crebras ſui expectationes nobis illa mouet, dum comatrici nimiam dat operã, ante pedẽ quãlimine efferat cũctatrix. Sapiẽter, & cordatè noſtri; qui vel nullã volũt, vel manſurã. nec tù verò improuidè, qui eorum conſilio ſubſcribis. Interea Gradiſca, quod viuit adhuc, & aurâ non modò veſcitur æthereâ, verùm & pulmento militari, quod planè defuerat, inducijs belli inſperatis debet. quæ vtinam Marti nuncium remittant tandem aliquando, Deo ſanguinario, & cui cum Muſis, earumq; clientibus tantumdem conuenit, quantum cum balne cani. Ignoſce, ſi tua vineta imprudentes cædimus. Nihil æquè horremus, quàm litui iſtius veſtri ſtrepitum inconditum, citharæ aſſueti; quam poſitis armis, regius ille Pſaltes reſumebat, cuius nunc tem-

† Extra argumentum aſũptos. non cõnexos.

pla cantilenis personant. Hui, tam multa, dices, imparatus? quid faciam? In lubrico lingua est. Fertur sphærâ ocyus, cùm se dat in præceps Tu par pari referto, si vlciscendi incesserit cupîdo: & valeto Amicorum optime. Belluni.

HENRICVS CATARINVS *Dauila*.

ALOYSIO LOLLINO.

IVre author ille rerum rusticarum, de arundinis natura scriptum reliquit, quum obriguit hiberno frigore, eius fœcunditatem, & incrementa compesci: nam & hæc arundo scriptoria oritano gelu concreta penitus exaruit, & posteaquam niues, & pruinæ terram operuerunt sterilis est effecta. Igneus nihilominus amoris ardor, quem mea erga te fouet obseruantia, tantisper adstrictum glacie liquefaciat calamum, oportet, donec festis hisce diebus saltem per epistolas te valeam salutare. Sed qui dies festi nobis esse possunt, quibus induciæ feruent opere, & otiosis ne in communi quidem otio licet esse? nuper Germanorum legio iter per hosce fines instituerat: arma capere, fines circumire, in statione vigilare necessitas imperauit. Nunc posteaquam aliquanto suspicio tandem illa refrixit, delectum Cadubriensium cohortium haberi extemplo Senatus iubet. Ita varijs iactamur laboribus, donec concordia longùm desiderata postremo inter Principes coalescat. Sed quid de illa possumus diuinare? fœmina certè, quemadmodum tu scripsisti pax ista: ita nos amatores inconstantia, & morositate torquet. Tamen ni fallit animus, assiduis placata precibus, nobis sui copiam facere tandem aliquando non negabit. Verùm longè à proposito aberrauit Epistola, quæ tui salutandi gratia fuerat instituta. Romano igitur more te salutatum hodie volo, non vt mihi clien-

ti cœ-

ti cœnam rectam, vt patroni solebant, largiaris, sed vt sportularum vice Epistolam à te reportem, nunciam tuæ erga me voluntatis. Vale decus Italiæ, & maximum Præsulum Ornamentum. Cadubrij. X Cal. Ian. MDCXVII.

EIDEM.

Cornici ego illi oculos libens effoderim, quæ nobis Martiales hos tumultus, tantùm non gratulabundis aduentanti Paci obuiam euntibus prædixitne dicam? an inuexit crocitatu suo. Quicquid illud erat, quod tranquillitatem Italiæ spondebat, densa nubes subitò inuoluit, noctis, atq; hyemis prænuncia: &, quod magis angit, vos, hoc est, spei nostræ arcem, insidijs apperi ab hoste nunciatur. O præclaras inducias? ò fœdera Iberica ne fœdera? tantam, tamq; repentè coortam rerum conuersionem, atq; † περιπέτειαν quis non vehementer horreat? præsertim cui sanguinem conglaciet senecta; consiliumq; timor periculi expectoret? Amabo mi Henrice, tuis nos, si potes, litteris solare: sin autem; saltem, quod potes, animum obfirma. Pergratum sanè feceris, officiorumq; tuorum omnium simillimum, si hac curâ leuassis, quæ nos coquit. Te propemodum huc aduolaturum fama tenet, vt delectus habeas. Nosti belli Panica: rebus, quæ minùs ex voto fluere videntur, quisq; multa addit, demit pro ingenio, ac studio. Nos auditores tantùm horum acroamatum sedemus, quibus nihil fieri potest otio literario magìs aduersum, aut sensibus nostris iniucundius. Quodsi modò ferrum distringendum est, in efferas gentes iactari quàm maxime vellem, regionibus ijs, atq; imperijs recuperandis, quæ orbis Christiani confinia longè ampliora reddebant. dum verò huiusmodi cogitationibus immoror, calamum inhibere nō potui, quin parænesin hanc exararet, quam per otium, si modo suppetet, legendam mitto. Te, aut litteras tuas expectamus. Vale.

† *Subitā rerum varietatem, & mutationem in contrariū.*

Ad bellum sacrum pace inter Principes constituta repetendum Exhortatio.

IN maiorum annalibus mentio fit crebra belli sacri, cuius origo vocis, quia res ipsa dudum exoleuit, paucis est nobis explicanda, quando ad id ventũ, vt suum vnicuiq; bellum sacrum sit, sui hostes diris execrandi; Syria non alia, quàm vbi ferro certamen cernitur. Post imperij Orientalis fata, effusamq; in Ægyptum, & Syriam efferarum gentium barbariem, Palæstina quoque cum sancta vrbe, vbi nascentis Christi cunabula passiq́; spectantur monumenta iugum subijt magno pij generis dedecore quod sanè dedecus vt procedente dein tempore eluerent, intentis certatim viribus adnitebantur. Pontifices Summi classicum veluti canentes autores erant facinoris tam præclari audendi Capita rerum Reges, proceres, promptę in bella cohortes aderant: classibus mare transmittebant, hostem lacessebant; Hyerosolima oppugnata, recepta, defensa, amissa, denique toties ancipiti euentu tentata, postea seges fuit vberrima palmarum, quas illis suggerebat affatim Idumæum nemus. Hinc primus immortale sertum sibi Gothofredus texuit; subsecuti exinde Germani Cæsares, Angli, Franci Reges: nam cæteros laudem non disparem promeritos enumerare longum sit. Quid ad hæc posteritas degener dicemus? exaruisséne stirpitùs palmeta illa, an vigorem in nobis omnem animorum, quo pietas fulta ferebatur in maris longinqua, terrarumq; eximium decus quęsitura? id verius fuerit fateri: nam palmeta illa nequicquam sobolescunt magis, cùm nemo sit, qui inde decerpat surculum, vt domi pangat. Causari auctam potentiam loca sacra insidentis hostis haud possumus, nisi falli, vel fallere nos iuuat: quotidie illius sublabuntur retro res, quà imperandi inscitiâ, quà parendi dedignatione. vastam autoritas ruinam traxit læsa primùm crebris incursionibus

finiti-

finitimorum, exinde vrbium direptione diminuta. Persa vectigalis ante, quasi parum foret occupasse Mediam, partem Arsacidum ditionis non exiguam, Babylonem inuasit regiam tot regum. Mæotidum accolarum bello ferox gens frena pati insolens Hellesponti claustra minutarum lintrium classibus refringit. Rex ipse terror ingens orbis in penetrali recessu sedens sui gynęcei clamores in seruitutem abductorum audit. Prætoriani Principum olim stipatores, nunc carnifices promercales imperium subhastant. Sarmatiam non ita pridem ingressi copijs innumerabilibus tamquam in id venissent, vt hostem manubijs ditarent, cæsi, fugatiq; domum reuertere Rege ipso exercitus miseras reliquias trahente. Ancyræ Galatię præpositus res turbat, obsequium erga Regem exuens. Quod vix ipsi optare auderemus, alia omnia agentibus sors ipsa, imò numen obtulit. prædo ille terrarum præda Mysorum factus nos ad decus vocat negotio penè nullo capessendum quod maioribus nostris tam carò constitit. Persa rerum modò potens nos vltro non tam belli socios, quàm victoriæ consortes interiuncto fœdere inuitat, cultoribus veræ pietatis templa aperit: itineris ducem se se offert nobis ad loca Christi vestigijs signata repetenda. Quid ad hęc nos interea? occasionibusne intenti moras rumpimus, properi accurrimus, arma conclamamus? Equidem pudore præpedior, ne sermonem prosequar materiam lacrimis daturam. Frigemus in medio æstu rerum nostro omine euntium, an potius plus nimio calemus ardore vesano animorum ferrum inter nos stringere impellente, cùm oporteret barbarorum cæde illud ementasse. Furorem hunc læsum numen incutit, cui iam non amplius cordi nostra salus est, sed vltio. mentem animi vecordia ista eripit, ne cogitet, quàm alieno tempore frigeamus hosti, mutuis in viscera nostra armis in ferendis caleamus. Barbaræ superstitioni miserum, consulimus, dum, vatibus suis ansam damus

præstigias legis nefariè iactandi, quasi gentem Mahumetis tegat opportunè fauor missa Regibus nostris cœlitus discordia (cœlum illi designant infima loca Erebi promerito) vnde credibile est discordiam Eumenidum vnam aduenisse bonorum spem iam maturescentem procul abacturam. Hispanum Francus oppugnat, leuir leuirum; propinquitatis, atq; necessitudinum oblitus, quas non vnas habet officijs mutuis pacis excolendæ. Summos Europæ Reges præter suas opes externa auxilia sequuntur. Franco Anglus adest: Hollandi, Hollandisq; Principes fœderati iras acuunt; Rhenanus comes etiam succendit non aliter redux patriam visurus. In subsidijs Venetus, Sabaudusq; stant. Hispanum non vno orbe contentum maiestas nominis tutatur: Parmę, Mutinæ, Florentięq; Dynastæ armis iuuant; aurumq; Indicum præterea ferrum ad se magnete ipso fortiùs alliciens. prętexui sumpta Vulturena vallis. hanc Hispanus occupat. Francus repetit, Rhætis ex fœdere daturus, antiquis eius possessoribus; & iam de castellis præsidiarium Pontificis militem deturbat qui sequester optatus fuerat, dum spes tenuit rei depositis armis componendæ. nec belli tanto apparatu initi procella se intra fines cohibebit tam angustæ vallis: vlterius progressa adiacentem Insubriam inuadit. Hæc belli atrocis Helena futura est, quam auorum memoria à Carolo columine gentis Austriacæ, eodemq; Germano Augusto ereptam sibi Francus dolet. Iuribus Regijs nec aduersa iurisconsultorum responsa, nec concordes aliæ super alias iudicum sententiæ, nec longa dies denique præscribit. litem semper prouocatione extrahunt ad tribunal Martis, ferro finiendam. Mediolanum vxorium maiorum suorum fundum, dotemq; iure subsequens hæredium potioris sexus sobole deficiente Francus putat, ab alio occupari minimè passurus, donec legiones erunt, quæ arreptis armis causæ patrocinentur. nec dum etiam de Regno Siculo decisum;

cisum; & de Nauarra adhuc sub Iudice lis est. Credam hæc magis Franci regis animum respicere, quàm mutua connubij fœdera, quo ipse Hispano iungitur; Hispanus sibi fidenti iuuentâ, opibus, imagine Henrici genitoris, cuius non decora alta æmulari quidni turpe foret nato non degeneri? Turpe id sanè quidem foret, nisi se occasio in conspectum daret longè pulchrior non vnius niuosæ vallis, non vnius vrbis populosæ licet obtinendæ, sed gentem perdomandi, Europæ minacem, iniquo iugo Asiam prementem. Area hîc patebit latior virtutis exercendæ simul, simul pietatis. cuius maximè nunc interest Christiani nominis Reges dextras interiungere, & omnes velut signo dato Tyrannidem viribus sociatis opprimant, suamet iam mole fatiscentem. Pax vicissim inter eos culta bellum in hostem efficiet implacabilius, triumphosq; habiturum dignos Deo auspice, conceptis piorum votis, Ducum pro religione pugnantium virtute. Nec nuperum hoc decus fuerit Francorum Principum. Philippus Augustus vnus è proauorum tuorum atauis, Ludouice, qui modò sceptris Galliæ potiris, fœdus cum Rhicardo rege Anglo pepigit, vt is ab omni domestici belli suspitione liber, armis Saladinum in Syria vrgere pergeret; se, donec eum reducem domum Fortuna sisteret, à repetendis Aquitaniæ oppidis temperaturum; quamuis milite vacua intercipi potuissent haud difficulter; & ipse dissidij grauis causas dedisset, repudiata Franci sorore, nec solutâ dote. Non alia mente Ludouicus cœlo deinceps ob merita sacrandus, Philippi pronepos controuersias cum Henrico Anglorum Rege æquis conditionibus diremit, ante arma quàm votiua ambo induerent. coniuncti barbariem animis aggressos: illum Africanam, hunc Syriacam; par erat relinquere res pacatas domi. Philippus recentiori memoriâ Hispanus Rex Caroli inclyti Augusti proles, idem auus Philippi huius tot Regnorum Regis, curis licet maximis districtus, tumultu

iam tum Belgico appetente, Afris Hispaniæ incolis seditione omnia turbantibus, sacræ tamen causæ non defuit: fœdere se strinxit cum Pontifice summo, Venetisq; aduersùs Turcam, excidium Cypro insulæ parantem. classe, commeatu, milite rem communem iuuit. exultantem euersâ iam Cypro barbarum, & per Ionium mare volitantem fregit commissâ nauali pugnâ ad Echinadas. cui sanè pugnæ Italiâ, in quam prospero successu ferox animum iniecerat, tantum omni æuo debitum est, vt fœderatos Principes libertatis suæ vindices agnoscat. Quis vetat, quin maioribus tam egregiè pijs orti reges idem præstent; imò quis non tacita hortamenta votis addit, vt velint? præstituri, quod optamus, modò velint, proculdubio numine cœptis adspirante, suamq; agente causam contra nefarios hostes pietatis? Nemo est de numero Principum in damna mutua coniuratorum, quorum stemmata tituli non decorent susceptę in Syriam expeditionis, belliq; in barbarum tam longè à patria illati. Flander, Hollandus, Austricus, Hispanus extremus terrarum Anglus, ne de Franco loquar sacri belli signifero nomina in hanc militiam dedere. Sabaudus adhuc nummis insculpsit à se cusis suorum virtutem Rhodum tenuisse: Venetum vt ego taceam, æternis monumentis fama rerum narrat: Thiphis velut alter Argonautas sacros non ad vellus aureum petendum vexit, sed eximium nomen deuicto barbaro Syriæ inuasore capessendum. Excessisse piorum pectoribus curarum maximam, eamdemq; Reipublicę multum profuturam sacri resumendi belli ni mirarer, Vmber essem, aut Bœotum vnus, quibus cor non salit. Omitto pietatem vitio gentis humanæ modò intepescentem, non ne maximè quæ nunc calet ratio imperij fines promouendi, acres vobis stimulos admouere debuit, vt semel armis primò parta, dein ob discordes inter vos animos amissa recuperaretis? Antiochiæ, Tyro, Ptolæmaidi proceres Franci

impe-

imperitauerunt. Byzātij rebus præfuere iure Auguſtę maieſtatis. Hiſpanus adhuc Hieroſolimitanus Rex, Achaiæ, et Athenarum Princeps ſalutatur. pudor ſit tam latè potētem Regem vrbes nomine tenus obtinere, cùm alius rerum potiatur. inanes ego titulos non moror niſi ad res bello repoſcendas calcar addant. Derideri nos à barbaris ſicuti indecorum, ita palmarium videtur illorum riſum in mœrorem vertere. Venetæ claſſes vltro citroq; commeantes Peloponeſi littora præterlegunt, vbi maritima oppida ſe conſpectui obijciunt eorum ditioni olim ſubiecta. Chalcis Euboica, nobile Eurypi fretum, æquabile ius Veneti imperij ſuſpirat. Cyprus præda tyranni nupera palmas in cœlum attollens illos obteſtatur eripiant iugo, nanque poſſe, omnium grauiſſimo: portus incuſtoditos claſſibus petere: arces indefenſas veteri poſſeſſori portas pandere: recentem adhuc Venetæ clementiæ effigiem hærere animis. tantùm ſe commoueant; ventis vela dent; virtuti fortunam fauituram, quàm pro hoſte fœdifrago ſtetiſſe iam pœniteat. Inſularum ocellus clara Rhodos inuicti roboris equites hortatur, vt lares ſuos tot quodam adoreis ornatos repetant. Exceſſuros finibus ad eorum appulſum barbaros non aliter ac noctem ad Auroræ iubar. Chios Genuenſium nobilis colonia gentem aſſuetam maritimis expeditionibus inuitat, ne ſe diutiùs à deteriori hero fœdari patiatur. Præclarius quidem auſuros, ſi huiuſmodi facinus animo conceperint, quàm ſi centum ſine nomine in orâ lyguſticâ caſtella vi aggrediantur, expugnentq; ſed quid ego verecundiam Principum noſtrorum vrgeo, faſq; piumq; adducens in barbarum, tempeſtiui belli conatuſq; diuite ſpe onerans nihil profecturus; nec potius communis periculi admoneo illis imminentis, ſi inuerſâ rerum ſerie hoſti priſca virtus redit, Réxque, qui modo impuber ab Eunuchis intra aulæ ſepta educatur, adoleſcat in Virum erectæ indolis, dignos fortunâ ſuâ ſpiritus reſumat, imagi-

nes

nes maiorum consulat, narrantes aliquid de Selimo in audiat terrarum imperium spe, conatuq; adeo complexo? quid tum nobis erit, si arreptis armis in bella suos ipse ducat, finitimosq; imparatos repentinus opprimat? idem malorum orbis repetendus nimirum, qui nostris quondam proauis incubuit; in consilium adhibendus pauor pessimus consultor. trepidandi causa maior sanè fuerit, quàm cùm gens effera Bosphorum ingressa Christianæ rei lumen alterum Byzantium Imperij Augusti sedem occupauit. longiùs tunc pestis aberat, quæ modò interiecta locorum victorijs emensa Italiam fermè in conspectu habet, quam sibi diripiendam de propinquo destinet. Scriptores eorum temporum ęquales memorant non secus tunc Romę trepidatum, quàm si hostis Anienem transmisisset. Bellorum Panicis exterritus Pontifex pios Reges per legatos hortabatur, occurrerent crescenti in dies malo, pessum euntibus Christiani nominis rebus ferrent opem. prouincia Franci Regis adeundi Bessarioni Cardinali græco homini obtigerat, quâ ille egregiè perfunctus multa opposité disseruit ad persuadendum, seriò rem communem agi, incendio conflagrare proximum parietem. quæ quidem ille dixisse minimè contentus mandanda quoq; literis curauit, vt nobis documento forent non ignarum futuri Vatem se fuisse. Pius certè Pontifex ipse (Æneam parentes lustrali nomine dixere) qui tum sacris præerat, magno quamuis natu, atq; ægro corpore, arthritide membra fracta trahens Anconam se deferri iussit prætoriam Venetæ classis nauem conscensurus, vt vitam in sacrâ expeditione, namq; id agitabat animo, relinqueret, nisi viâ longâ fessus, in ipso conatu rerum mori maturasset, dignus ob id, qui inter magna pietatis exempla æmulatione exprimendus posteris narretur. Non aliunde ad beatos compendiosius iter, quàm hinc arripitur: Cœlum rectâ itur ab his castris, quæ aduersùs consceleratas barbariæ acies ponuntur. Victoriæ

super-

ſuperſtites trophæa manent memorabile decus habitura; defunctos gloria ſequetur, quam nulla dies æuo eximet. Auorum memorià cùm innotuiſſet Selimum Ægypto, & Syriâ potitum, noſtrorum animus tantus pauor perculit, vt iam remotas latebras reſpicerent fugam excepturas; nec aliter eos affecit Rhodiorum clades. vndique concurſum ad Pontifices adreges ſerum auxilium, ac planè Saguntinum, imploratum. adeò artes pijs ſtrenuiſq; dignas dedicimus bellum ſacrum communi conſilio redintegraturas. Hæc ſæpius menti obuerſata excutient ignarum torporem animorum, qui neſcio quo pacto ad triſtia iam occaluere, quaſi receptis omnibus; quæ amiſeramus debellatum foret: nec potiùs finitimos eos hoſtes haberemus, quos olim tot maris, terrarumq; ſpatijs diremptos pertimuimus. Non ad Nicæam, aut Iopem iam conueniendi; longè propiùs copiam ſui ſunt facturi, ſi aduersùs eos ire perrexerimus. Illyricum poſſident Italiæ Veſtibulum: penetralibus Adriæ arx imminet barbarico præſidio inſeſſa. parte aliâ Hydruntum ſpectant ſui quondam iuris armis factum, nunc à ſuæ ditionis finibus perbreui diuortio ſeiunctum, quàm longa eſt vnius diei nauigatio, tam longè à periculo abſumus. Contentione Principum effectum in mutuam perniciem ruentium, ne inuadi vno tantum ex latere poſſimus circumſeſſi vndique. Vrbs Auſtrię Princeps Vienna ſuccubuerat, niſi Caroli Auguſti virtus obſtitiſſet. illâc breuis via Barbaro terenda fuerat ad arma Iuliæ prouincię inferenda; à qua tamen etiam Viẽnâ ſtante non ſemel prædas egit torrentis imbribus aucti inſtar obuia proſternens. Terrorem incuſſura memorauimus, niſi maturamus hoſtem iam omnino labantem, vincere deſuetum, occupatum aggredi. indubiam ſpem precibus intermiſcemus, fore vt cuncta ex voto fluant audentibus, ſpondentes. officij admonuimus pij pios ad ſacra arma in Religionis perduelles reſumenda. Quod reliquum eſt Deum obnixè obſecramus,

mus, vt mentibus Christiani nominis Principum illapsus contentionum causas procul inde abigat, pacem atq; concordiam inducat, initium belli perpetui futuram in communem hostem, donec erit, quod nobis iniuriâ ereptum, iure ab ipso armis reposcamus.

EIDEM.

HAud inauspicatum est omen, cùm senex canit, præsertim non ad ludos, ac iocos genitus; sed cui è supercilio nubeculam raro admodum discutit hilaritas. Quod vt magis credas, carmen ipsum mittimus calamo exceptum: si respicis argumentum, quantiuis pretij; si modos, vix dignum Plauti titiuilitio. Tantúmne tibi otij, inquies, à rebus pastoritijs obuênit, vt Musas in ipso ætatis, anniq; senio retractes? tantum sane hercule; sed laboriosi, & quod non sine negotio peragitur. nisi quis forte putat faciliùs esse syllabas, quàm in cliuo lepores venari. Vtcunq; fit; turpe mihi duxi, si solus in tantâ, tamq; festiuâ exultatione omnium silerem. Nos placatis planè rebus te expectabamus: sed vt video, ludificabiles nobis ludi fiunt. pro pace nescioquid monstri, vt olim in Comœdia pro Casina villico armiger, obtruditur. Adriaticum Mare classibus oppletur; imò, quod miserius reor, naufragijs. Quàm timeo, ne fœdera ista, veluti Arachnes stamina, priusquàm resarcta fuerint, scindantur. Verùm religio sit natalitijs ferijs optimis dierum malè ominari, quas faustas tibi, legionibus, Rei deniq; publicę adprecamur. Vale, & rem gere, quod facis, strenuè in otio, in negotio Martio, ciuili, literario.

Hucusq; nullis litteris tuis lacessitus, scripseram: nunc quæ culpa fuit nostri tabellarij, epistola perlectâ, quam calendis Ianuarias dederas, id addam tantùm nihil eâ mihi vnquam accidisse gratius, nihil elegantius. Iterum vale.

EIDEM.

BInas meas ad te litteras intercidiſſe ex tuis, quæ mihi heri veſperi ſunt redditę, facilè perſpexi: quarum equidem vti ſarciam iacturam, earum exempla in hunc faſciculum conijci curabo, vt tibi officij mei rationem probem. Ego hîc in ſtatiuis de more maneo, quamuis quotidiano meorum conuitio ad reuiſendas neceſſitudines euocer Venetias, vbi me Octauianus Bonus Vir ſui planè nominis, Donatusq; Maurocenus noſter cupidè expectant. In Librum Conſtantini Imperatoris de adminiſtrando Imperio ad Romanum F. incidi non ita pridem, in cuius cap. 29. de Dalmatia hæc de iſto tuo præclaro oppido habentur pag. 86, quę non indigna ſunt omnino viſa, de quibus non nihil cogites per otium. Nam mihi ſanè, quòd ad Etymi rationem attinet, aqua hæret.

Vrbs Decatera lingua Romanorum ſonat anguſtatum, & percuſſum, quoniam mare ingreditur tanquam linguâ coanguſtatâ ad xv. & xx. vſq; millia paſſuum, eſtq; quaſi maris complementum. Oppidum habet verò circum ſe montes adeò arduos, vt æſtate tantùm Solem videant, hyeme verò nunquam. Vale Vir fortiſſime, & nos ama tui cupidiſſimos.

BERNARDO COLLE BELLVNENSI *Medico Venetias*.

GRatiſſima ſanè ſalus fuit mihi abs te nuper tam amanter dicta, ſaluti iam bona fide reddito poſt variæ valetudinis incõmoda, quæ difficiles morbos ponè ſequi ſolent. Gratum quoq; quod meam operam tibi, amoriq; tuo debitam requiris tuo iure. Illud minùs gratum, quod N. in te non eſt, vt volumus, atq; præclara tua in eum voluntas repoſcebat. Verùm (dolenter dico) neſcio quo ſuo fato accidit, vt ille nemini planè vnquam ſatisfaciat.

Omitto alios, quibuſcum ei neceſſitudo intercedit; me nuptiarum ſuarum pronubum, officij erga bene de ſe promeritos ſponſorem ne inuiſit quidem quattuor hos menſes, ne dum vt gratias vel verbo egerit. Venetias venit, domum inde redijt: nouam nuptam duxit: rus ſe ſe abdidit me inſalutato. Quæ non eò renarro, quod eius multùm moribus offendar: ad hæc enim iam curis grauioribus implicitus genitùs occalui; ſed vt planè videas non eâ me apud eum eſſe auctoritate, quä maximè vellem tuâ causâ. Cum Laurentio tamen noſtro pluribus heri ſum locutus, quid de toto hoc negotio ſentirem. Is ad te accuratiùs de communi ſententia reſcribet. Ego tibi ob litteras, amoremq; in me tuum nec operâ, nec ope deero, N. q; tuo, dicam etiam noſtro, modò ſe mihi det, aureſq; vaciuas præbeat, vel conuicium faciam liberius, quòd te talem Virum nondum ex arte omnium laborioſiſſimâ vindemias eas colligentem, quæ ſumptui ſint ſatis, planè deſeruiſſe videatur. Vale; & noſtrę bibliothecæ, ſi potes, conſule. Iam diu eſt, cùm ei nihil a te ſupplementi procuratur.



ALOYSII LOLLINI EPISTOLARVM.

LIBER SECVNDVS.

HENRICO *Dauilæ*.



HEROAS ego meos eximię virtutis, non eo potissimum celebrandos sumpsi, vt materiam tuis, aut vllius cogitationibus præriperem. Non ea mens animo, tanta aut fiducia Musæ subagrestis, quæ tenui auenâ carmen meditabatur. tantùm otio meo negotioli aliquid quæsiui, ne per hibernas noctes iners congelascerem. Hinc factum, vt inuiti pedem domo efferant, nec nisi tuis summis precibus adacti. vehementer enim eos te cupere scripsisti ignarus adhuc quam parùm laudibus respondeant Mauroceni nostri. cuius iam translatitium est non minùs præconia in immensum augere amicorum, quàm res obiectas soleant telescopia specilla. Tibi puto tanti nominis ambitu modo placituros Viros omni omnium commendatione maiores ne dum nostra. Lege igitur, si vacat, & nos ama, qui nugas nostras liberiori cœlo credere voluimus, vt tibi morigeri essemus. Vale.

FRANCISCVS BARBARVS Senator.

Agmen agis procerum, doctas qui Palladis artes
Tu procul insigni potuisti ex Vrbe fugare
Hinc tibi mansit honos tituli, quem scilicet olim
Deductam sera ad sæcula barbaries.
Hæc miseram latè Italiam ditione tenebat,
Ex quo Romanum concidit imperium.
Tu Patria extorrem sophiam, Graiasque Camœnas
Per maria aduectas excipis hospitio.
Chrysollora Deas ducebat sedulus: ille
Triptolemus fruges qui tulit, alter erat,
Glande priùs solitis vesci: hoc præclara magistro
Orgia principio discere dulce fuit;
Atq; explere sitim doctrinæ e fonte perenni,
Vnde tibi illimis manat ab ore latex;
Docta rigaturus varij monimenta laboris,
Quæ bona posteritas tempus in omne legat.

HERMOLAVS BARBARVS Patriarcha Aquileiensis.

Magne nepos Patrui ingentis: de lumine lumen
Exortum terris eximio eximium.
Cui tamen ille prior natu submittit honoris
Fasces sponte, libens fitq; nepote minor.
Quo nihil orbis habet maius, seu græca latinis
Reddere, seu proprias promere malis opes,
Omnigenas, dias, locupletes, diuite vena
Quas uegetum ubertim suggerit ingenium,
Mene tuas laudes carptim pertingere, quarum
Pondera uix totus ferre potest Helicon?
Nec timuisse ausa, Icario quæ nomina ponto
Fecere? an uires mi tuus addit amor?

Materiesq; eadem, inecepto quæ terret inertem,
Ingenium pennis instruit alitibus,
Queis penetrare volans possim fastigia famæ
Summa tuæ, Eois cognita, & Hesperijs.

DANIEL BARBARVS Patriarcha Aquileiensis.

Hac face tergeminę tollit se ad sidera laudis
Clara opibus soboles Barbara, clara viris:
Iste refert proauos parili virtute: nepotes
Dignus ob id seri quem referant proauum.
Huius Aristoteles genio debere fatetur,
Quòd mage doctorum nunc teritur manibus.
Quòd sua, quæ faciunt fandi præcepta peritos,
Omnibus admisso lumine clara patent.
Traxerat informem veteris structura ruinam
Vitruij, celerem ni iste tulisset opem
Flore sub ætatis: canos nam prouidus annos
Vouerat æternis ante voluminibus;
Unde salus generi orta. manent vulgata, latino
Fontibus è grecis quæ dedit eloquio:
Præcipuum celebratur opus, quo Regis Idumes
Explicuit miris carmina sacra modis.

LEONARDVS IVSTINIANVS. Senator.

Iustiniana domus tantùm hoc se iactat alumno,
Hectore quantùm ipso se genus Assaraci.
Hoc differre puto, studijs quod Palladis ille
Eminet, hic duræ robore militiæ.
Inciderat sæcli in tenebras rudioris, iniquam
Cùm procul hinc Musę corripuere fugam;
Pulsæ armis Erulorum; atroci & clade tumultus,
Quem tulerat latio Gottica barbaries.

Ferre

Ferre sed atra diu haud potuit tot nubila tanti
Ingenij rutilum, iudicijque iubar.
Nox depulsa quibus, liquidiq; admißa diei
Lumina sunt nostris cognita luminibus.
Namq; ea Niliaca asseruat per secla papyrus,
Et legit admirans Graius, & Ausonius.
Hic Romana videns prisci ornamenta nitoris,
Quo res fonte olim sumpserit, ille memor.

LAVRENTIVS IVSTINIANVS Patriarcha Venetiarum.

Ambitiosa tui laudatrix ore vetustas
En age dic tumido Tyndaridas geminos,
Dum mea Musa duos, clarissima pignora, fratres
Quos regerat fictis fratribus hos habeat.
Vrbis, & Adriacæ, & mundi decora alta: secundus
Hic ætate; prior sed titulo, ac meritis.
Errabunda gregis patrij vestigia namq;
Exemplo, ac monitis sidera ad alta vocat.
Relligione sacer, lingua facundior; & dum,
Quod mirere magis, lingua silet, calamo;
Cuius inexhaustis opibus ditata virescit
Fama Viri, extremo clarior à cinere
Fortunate cinis, templis seruate superbis,
Cur non Phœnicis conditione viges?
LAVRENTI ac similem producis in æthera rursum
Vnum aliquem nobis, hinc alium, atq; alium?

BERNARDVS IVSTINIANVS Senator.

Te Patris, & Patrui decorant præconia laudum:
Tu Patris, & Patrui nomina condecoras.
Tertia spes stirpis; triplici quæ lumine fulgens,
Perlustrat radijs germina clara suis

Felix

Felix quæ potuit ternis ter magna futuris
Heroas sæclis edere magnanimos.
Quæ fœcunda minus, rigido ac squallentia ferri,
Haud parili educunt nunc sata seminio.
Si modò crimen inest æuo, nec decolor ætas
E iuuenum vita deteriore fluit
Quæ sternacis equi similis, pia frena remordet,
Et ruit in præceps victa cupidinibus.
Sed quocunque loco res stet, testabere scriptis
Ipse, quibus Venetæ consulis historiæ.
Dotibus ingenij quantum, linguęque disertæ,
Extuleris nitidum sidera ad vsque caput.

ANDREAS NAVGERIVS Senator

Ni tua Musa queat meritas tibi dicere laudes,
Nulla queat, plectri conditor Adriaci.
Pindaricæ quo fila lyræ percurris, & ore
Concinis, albus olor quale sonat moriens.
Nostra ferat nam qui tanti argumenta decoris,
In medium profert quæ tuus almus honos?
Finibus haud vllis prensus, sed qua patet amplus
Doctrinarum orbis, peruigil inuolitans.
Vnde apis instar opes præcerpsti sedulus omnes,
Queis tua adhuc passim mellea scripta nitent,
Seu carmen meditaris, Amor cum matre tenellis
Quod cupidè versans vsq; terat digitis.
Cum Cicerone pari seu certas fulmine linguæ,
Aemulaq; antiquo verba tonas Latio,
Naturæ reuirentis opus: nam effæta tulisse
Sæcula nemo tuum dixerit ingenium.

PETRO

PETRVS BEMBVS Cardinalis.

Huc usq; Adriacis Pleias micat aurea stellis:
Qui sequitu, rrutili Solis ad instar erit.
Bembus honoratum terris per sæcula nomen,
Non quòd canitiem purpura sacra premat.
Romulei vel quòd fuerit pars magna Senatus,
Maior ab ingenio sed quia splendor adest.
Murice qui saturum perstringit lumine amictum,
Spectantumq; oculos auocat inde aliò.
Scilicet ad proprij pretia admiranda peculi,
Tyrrhenorum amplis inclyta diuitijs.
Ausoniæ veterisq; opibus, gazaque Pelasga,
Lascaris aduexit quam rate Cecropia,
Hellespontiacos de littore Mammertinos
Vsque lares, Siculi regna beata soli:
Js tibi ductor erat, reliquis tu, maxime mercis
Institor Hetruscæ, Graiugenę, Ausoniæ.

GASPAR CONTARENVS Cardinalis, Belluni Episcopus.

O quem te memorem Gaspar? tua plurima virtus
Nomine non vno namque vocanda venit.
Te Veneta exposcit præstantem Curia ciuem
Clara sibi, insignem Purpura Pontificem
Regum aula egregium belli, pacisque sequestrem;
Asseclam sophiæ vita peracta grauem.
Cuncta simul de te passim, tua cura, libelli
Testantur quouis pignore doctiloqui.
Fama nec assensum cohibet, sed tollit ad astra
Promeritas laudes prodiga, vera tamen.
Cui concors pictura manus, artemque ministrans,
Os sacrum effingit, sidereosq; oculos.

Magni

Magni animi hospitium? me quem gregis acer eiusdem
Torquet amor, cui tu numinis instar eras.
Plura alia haud fugiunt memoranda nepotibus, ingens
Si pondus tenuis nostra Thalia feret.

PETRVS BAROCIVS Belluni Episcopus.

Hæc minùs apta meis reputem loca Norica curis,
Plus nimiò immiti quod rigeant hieme?
Quicquid flat Boreas, aut quod cadit æthere nix sit;
Aut niuis assiduæ cana pruina soror?
Ter tu vbi septenos reuolutis mensibus annos
Peruigili insistens in statione manes?
Dij melius. veneror potius tentoria vitæ
Clara tuæ, & sacris oscula do foribus.
Queis inclusus adire polum persæpe solebas
Mente animi, Diuum colloquioque frui.
Hinc tua sancta procul relegens vestigia, plantas
Ante vbi tu fixti, ponere dulce mihi est,
Imparibus licet auspicijs. Nam tanta lacertos
Unde mihi imbelles viuida vis agitet?
Hæ tuæ erant artes, partito munere, ouili
Pieridumque choris sufficere, & studijs.

AVGVSTINVS VALERIVS Cardinalis.

Extremus tu noster eris labor, optime Præsul,
Agmina tu claudes Adriacum procerum.
Non quod prisca tuis antistent nomina factis,
Vllius aut virtus, aut honor, aut meritum.
Sed quia te terris produxit sæuior ætas,
Ætas natali facta superba tuo.
Cui licuit peperisse decus tantum, & dare de se
Orbis in hoc senio splendidius specimen.

Ne modo facta virum legeremus grandia: verùm
Ipsis possemus cernere luminibus.
Salue Heros condigne tuba meliore, Quiritum,
Ac Venetum augusta nobilitate potens:
Sed mage tergemino eloquio, studioque Mineruę
Peruigili: & latij clare nitore styli:
Nec pietate minor, morum candore, benignis
In quosq;, experti prodimus, officijs.

EPILOGVS.

Deerat adhuc numerus non contemnendus auorum,
Dignus ab exculta posteritate legi.
Sed quia seligere est animus, non singula in vnum
Colligere, è multis nunc modica ista damus.
Præteruecti ideo viuentum exempla, pudori
Illisne, aut nobis id foret inuidiæ.
Publica merx laus est uirtutis: funera famam
Conciliant: uiuis liuor, amorque nocent.
Nec me pauca putes retulisse his nomina fastis
Virtute & studijs uincere rarus honos,
Nec multo seclis spectatus crebriùs; ales
Quam sibi succedens unica post cineres.
Ipsa uide, ut, proprias iactat quæ Græcia dotes,
Plus nimio in laudes ingeniosa suas,
Vox totidem memoret, quot sunt Nili ostia, amicos
Quos sophiæ Clarius iure uocare queat.

HEN-

HENRICVS CATARINVS *Dauila*.

ALOYSIO LOLLINO.

POsitis in foro sellis delectum indigenarum cohortium habere institueramus, cùm mihi iampridem illas expectanti redditæ sunt litteræ tuæ. Quid quæris? omnium rerum præcipiti festinatione curam abieci, vt Heroas tuos aspicerem felici calamo tamquam penicillo depictos. Astabant Centuriones, fremebant cohortes, tympanorum sonitus circumstrepebat: ego tamen obstupueram obtutu defixus in vno, veluti si Troiano in puluere armatos cœlicolas, & diuinâ quadam maiestate in acie versantes conspexissem. Equidem non instructos hasta, neque clypeo munitos Venetos intuebar Heroas, sed eloquentiæ fulminibus armatos in arena Cadubriensi, illos diuinorum carminum deduxerat magnitudo. Sed perfecto militari negotio ab hominum turba me festinanter proripui, vt artifici manu elaboratum opus. magnificentius, diligenti lustrarem contemplatione. Dij boni, quis rerum splendor? quæ verborum maiestas? quam mirabilis numerorum coagmentatio? vno tantum verbo concludam, quod nulla orationis explicatione assequi me posse confido: non mortalia carmina sunt: Musæ sunt ipsæ: cælitus ad plectri modos, te vocante, delapsæ. Cæterùm fatebor ingenuè. quantam cœperam legendo delectationem, tanta deinde meorum elogiorum pœnitentia est consequuta, vt cuncta discerpere desperatione ductus, cogitarē, nisi sūmā perfectionis speciem prosequētem, in tertio, & quarto loco consistere, honorificum esse succurrisset. Itaq; sic animum postremò disposui, vt tua in scribendo diuinitas me ab incœpto non deterreret, sed palanti potiùs viam certissime commonstraret. Tu igitur mihi Dux, tu scopus eris, ac te ad summa Heliconis cacumina robusto gressu vadentem, ego

tamquam paruus Iulus, passibus sectabor non æquis Quapropter me tibi adstrictum multis nominibus, tam ingenti demum, his versibus ad me missis, te obstrinxisse beneficio scito, vt eius delere memoriam obliuio nulla possit. Nos propediem cum bona Senatus venia Venetias cogitamus. Iam enim omnia hic tuta, & ad pacem composita conquiescunt, neque quicquam est amplius, in quo opera nostra magnopere requiratur. Antequam verò ab hisce regionibus discedamus: ego Bellunum accedam, nulla alia de causa, nisi, vt deosculatis tuis manibus, quemadmodum par est, tibi plurimam salutem relinquam. Interim Præsul Amplissime, nos tua beneuolentia prosequere, & diutissime. Vale.

ANDREÆ MAVROCENO *Senatori*.

DIu, &, vt mihi tunc primùm videbatur, frustrà perquisiui inter mei otij fœturas, quod multo mihi restrictius occupationes muneris suppeditant, quàm vellem, si qua foret minùs auersâ Lucinâ edita, quæ spem faceret vitæ diuturnioris: vnde possem te, qui prior præclari operis tui nuncupatione me lacessiuisses, sic remunerari, vt non ingrati animi conatus saltem appareret, si mei census exiguitas negasset par parì referendi facultatem. Tandem non inuentum repertum est opusculum, longe situ squallens, haud multę, si manupretium respicias, quantæuis, si materiam, dignationis. Præcipuos enim Heroas Venetos complectitur, qui eruditionis laude olim floruere. Hoc non vno tibi deberi nomine sum ratus. Nam & tuo cùm ipsius autor in ære sit, quicquid habet literarij peculij, iure tibi vindicas. & præclara illa communis Patriæ columina neminem te magis decorum suorum censorem, quam v s æmulus esses, exoptabant, his præsertim temporibus, his moribus, cùm discendi bonas artes cura, quarum illi

 scien-

scientiâ excelluere, paucos oppidò sollicitat. Accedit, vt quas tuus in te, tametsi non immeritò congestas laudes non tulisset pudor, eas in illis planè recognosceres haud illibenter, quibus vt fores, habereris q; perquam simillimus, summo, es labore consecutus. Cur viuos vomere, quod aiunt, suspenso præterierim, non est, vt quis scitatum oracula Phœbi Delphos mittat. Inuidiâ sanè carere multo maius est, quàm vt ante fata homini contingat. vt omittam ita demum vitari seruile crimen adulationis, si manes præstantissimorum virorum commendantur, gratiam laudatori suo nunquam relaturi. Accipe igitur, quod in præsens damus, & sic Heroum istorum (quòd sine monitore sponte tua præstas) æmulatione te excalface, vt ambiguam reddere apud Musarum cultores palmam possis, quorum tu quoq; carmen, & verò sophocleum eris aliquando. Vale.

EIDEM.

Legi tuas litteras solito quidem longiores illas, atq; ideò cœteris, quas ante dederas, elegantiores. has litteras, qui de me præclarè ob amorem sentiunt, mei esse aiunt carminis paraphrasin: ego, cui meus est census multo notior, diorthosin veriùs vocauerim. Eosdem enim locos tu vberiùs, &, vt mihi videtur, picturatiùs pertractas, quos ego ita breuiter, atq; vtinam ne ieiunè nimis, sum complexus, vt tibi commentarij instar fuerint ad historiam de Heroibus Venetis absolutiorem pertexendam, omniq; illustrium colorum genere ornandam. Quid erit igitur? quæ spes mihi reliqua te remunerandi? si munus ipsum meum abs te mihi redonatur acutius, ac planè diuinius? Addis, quod superpondij sit loco, de Venerio elogium quem Virum florentis facundiæ, mihiq; amicissimum vixisse non ante intellexeram: si modò ij vixisse iure dicendi sunt, quos tu immortalitati commendas tuis scriptis.

ptis. Nec contentus largitione tam prolixâ, in eumdem fasciculum conijciendum curasti libellum aureolum Carminum trilinguium, quibus ita suprema Georgij Contareni lectissimi iuuenis deflentur, vt non suauius Philomela Ityn suum plangeat. In ijs delectauit me summopere epistola Iacobi, fratris tui filij, quem ego posthac non tuâ solùm causâ (quod ante quoq; faciebam) sed ob virtutem, & communia studia amabo. Illud medio de fonte tot lepôrum peramarum fuit, quòd te ophthalmiâ laborasse scribis. Te ne adeò, quem totum oculeum esse in Reipublicæ, literarumq; rem in primis foret, oculorum laboribus tentari? Irascor Asclepiadum cohorti, cuius crimen est, quòd tantum doctrinarum lumen tenebras inhabitat: Sed uota, quæ à nobis pro salute tuâ ritè fiunt, tuaq; eximia pietas meliora spondent. Vale Vir amplissime, & Rempublicam nobis, cuius ad clauum Sedes, turbantibus ęquora ventis in vado siste tandem aliquando.

EIDEM.

EGó ne eò obliuiosi silentij deuenerim, vt amicorum optimum, & lautiori eruditione ornatissimum, per epistolam ne semel saltem in anno alloquar? & quidem sensibus adhuc amoris, & mentis integris; nec luxatâ occipitis compage, vbi memoriam tamquam in lare proprio morari aiunt Asclepiadarum elegantiores? non ea mens animo, hęcue mihi sententia vllo vnquam tempore occurrit, ne dum vt insederit; sed pudor me a scribendo potius deterruit extra pomæria natus, ac planè subrusticus, dum cogito viro in actu rerum constituto, litteras officij causâ conscriptas ratò non inofficiosissimas, profligateq; verecundiæ videri; quæ illum negotij abauocent ad nugas. Quasi verò cura Reipublicæ Caucaseæ volucris sit instar, quæ Promethei ad saxum religati perpetuò exta exedebat,

nec

nec potius statas ferias recipiat alternarum vicium: quibus adeò veteres publicis rebus admoti indulserunt, vt & Scipio Africanus ille non ad lusus genitus, conchas aliquando in littore rure manens legerit nimirum pueriliter: & Romanę grauitatis columen Cato Vticensis p[illegible] Augustus verò Cæsar nucibus cum pueris minutis luserit, animum remittens, orbis regendi labore sæpe fatiscentem. Quodsi cui vnquam anni tempestati otiandi conuenit libertas, huic sanè conuenit, cùm liber Pater, vt solutiori animo vindemiarum suarum sacra excolamus, iustitium foro, ac curiæ indicit. Quo tempore, ni me omina fallunt, Patauium iam, in villam te vrbanam secessisse arbitror: id quod tibi singulis quibusq; annis translatitium, ac solemne est: consilio nulli improbando, cui loci amœnitas sit nota, indeq; proueniens salubritas, frequenti cohorti Musarum, ac Charitum stipata. Equidem quid beatitatis contineant insulæ illæ Oceanitides, ex aduerso Celtiberiæ, seu Mauritanię positę non satis assequor, vt fortunatarum nomen apud Poëticas tribus renunciatione famę obtinuerint. Cœli certè flexus, habitusq; adiacentium regionum facit, ne Euganeos colles Elysijs illis viretis vmbrarum sedibus posthabeam (nam ibi piorum animas nauibus exponi narrant post hanc vitam. quod si, cui minùs persuadeo, is, per me licebit, eò cursum passis velis dirigat, periculum facturus, an suauius cœlum illis niteat, molliùsúe arborum comas ventilet Fauonius: dum nobis fraudi ne sit bona nostra pernosse, eisq; vti, frui iucundissimè. Verùm hîc tu fortassis, Ecquæ nam hæc demum, dices, ironia est, seu † loxologia, iactare te vsq; hisce bonis frui, quibus fruaris nunquam per absentiam Vlyssę æmulam: totidem enim anni fermè sunt, quos apud istos Lotophagos tuos perpetuâ statione contriuisti, quot ei partim ad Troiam hærenti effluxere, partim maria omnia ventis circumlato. Non inficior factum. tantum id mihi dari postulo, eam esse vim memo-

† Tortuosa oratio.

† Sexagesimo maiusculi.

memoriæ, qua nos †πολιοκρόταφοι viuimus potissimùm, vbi crebrâ meditatione inualuerit, rerum vt adamatarum species circumferens, illas menti subinde regerat non secus, acsi oculis ipsemet res obuersarentur. Hoc erat cur Æneas quocunq; fatis actus ferebatur, effigiem Simoëntis, Pergamaq; magnis simulata poneret: scilicet vt foret, quod Ilium quamuis procul Ilio referret, ad eius formam extructum, quod ipse in ore, atq; animo ferebat. Huiusmodi nos Patauium ad Noricos vsq;, diu est ex quo, eius desiderij leniendi causa, detulimus animo exædificatum, ac dimensum graphicè: cuius etiam imago, quoad eius potest fieri, iconica montibus his nostris vt extaret, præter ambulationes Ripenses, & amœna viarum vmbracula, Musæum quoq; sum molitus in ædibus è fundamentis: vbi pluteos, & scrinia digessi; literarios thesauros disposui tineæ, non ęrugini obnoxios; supellectilem deniq; omnem, atq; instrumentum fixi studiorum, ratus fore vt Musæ, quę hîc inquilinæ ante censebantur, firmare aliquando sedem, ac statiua ponere nostris sub auspicijs inciperent: præsertim cum præruptis montium non indelectentur, biuerticis Parnassi iugis assuetæ. Quodsi e sententiâ res cesserit, erit quod mihi ipse gratuler impensæ operæ: sin minus, hac saltem falsâ me hac imagine interim solabor: eis felicitatem minimè subinuidens, qui amoribus suis propiùs fruuntur. Habes dicti mei rationem, vererer, ne paulo verbosiùs, si character epistolaris finibus vllis circumscriberetur, quominus sibi diuerticula conquireret alia ex alijs ad liberioré euagationem: nec potius ei †τὸ ἐπεισοδιῶδες laudis esset loco, quod poëmatis verti vitio videmus à Peripati magistro. Equidem Etesias litteras, cuiusmodi hæ sunt, etiamsi Anticatones Cæsaris longitudine æquauerint, breues reputabo. Pergam igitur tibi negotium meo otio facessere, eius fœturam his adiungi iubens. Noctuam inscriptam, personam quidem, fateor, parùm consentaneam,

† Frequēs digestio.

neam, quæ piſcationi animorum, paſtioniq; ex iure diuino mancipatur: tempori verò ſatis congruentem quàm quę maximè: quo omnes hîc ad vnum aucupio indulgemus ſedulò: &, ſi verbum recens facilis admittis è græco expreſſum audacius, turdamur. atq; vtinam tibi capturâ iſtuc tranſmiſsâ id probare poſſem: efficerem, vt & induſtriæ noſtræ, & ſucceſſui gratularere. Nunc fides tantummodo verbo habenda eſt, palato, ventriq; nihil ſuaſuris, quem natura inauritum finxit. His, ne auolent, Iambico metro compeditis, pagellarum neſcio quid obleuimus per otium; quod ad te muneris loco mitteremus, ſelectorum verborum, ſi quem alium, copiâ florentem; à rerum autem præclariſſimarum argumentis adeò inſtructum perbeatè, atq; luculenter, vt tibi non ſit de triuio, aut de penu ingenij ſumendum, quod conſcribas, ſed è theſauris veritatis archetypæ promendum, quæ tuæ ſummæ fidei creduntur publico decreto, vt vnâ, eâdemq; operâ & Venetæ conſulas hiſtoriæ, & nominis tui immortalitati. Erit fortaſsè apud te, dum hæc leges, Donatus Maurocenus, idem & horarum omnium comes, & doctrina, ac comitate excultiſſimus: nam te abſq; Lælio tuo iſtic feriari, quæ vtriuſq; veſtrûm eſt concordia, vix induci poſſum, vti credam. Huic nihil à me profectum obſignatum, celatúmue volo: cæteris iſtis Lycurgei iudicij non item, qui nihil non † Κρόνια olens, ac ſenile ſunt, puto, in presbytero laturi: perinde ac ea foret noſtri muneris tetricîtas, cui vel ſtylo ſaltem aliquando hilareſcere, aut ioco diſcutere ſupercilij nubeculam minimè liceret ſaluâ dignitate: etiamſi curæ quauis ſequaciores vmbrâ intus comitentur. Sed iſtos valere, abireq; ſinamus longè hinc gentium. Tu Vir ampliſſime cura, vt validè valeas, otioq; iſto tuo in ſinu Muſarum, quantum per Rempublicam licebit, perfruaris. Belluni.

† Vetuſtatè prærancidâ.

V AN.

ANDREAE MAVROCENO *Senatori.*

IN concursum mearum maximarum occupationum tuã incidit Epistola, & quas nec vitare integrum, nec differre fuit saluâ pietate. Hinc ad eã serior rescriptio, familiariq; stylo interiecta mora, dũ laboriosę sãctioris hebdomadę ferię fatigántne dicã animũ, an recreãt? Nunc ipsa recordatio officij solito etiam alacriorem me ad pensum reddit; cui dare ad te litteras, vt eliciam tuas, res est plena lucri, atq; voluptatis. Quid enim, ni voluptatem afferat tecum, id est, cum Viro optimo, ac sapientissimo, aspectabili hoc genere sermonis colloqui? Quidni lucrum istiusmodi meis æramentis aureas tuas Epistolas mercari? Ioannem Bembum ex humanis excessisse permoleste tuli. Ita moderatè vixit, præfuitq;, vt cunctis funus eius acerbum fuerit, licet in extremo flexu ductum seræ senectutis. Huic Donatum suffectum gaudeo, Virum pietate, & consilio eximium, maximèq; Reipublicæ vsui futurum, si illi vsura vitæ longior contigerit. Vrbes Venetæ ditionis quotquot sunt, totidem tetrastichis descriptas ad te mitto, mei in te amoris monumentum, argumentumq; otij futuras: quod, nimiùm breue licet, inter huius anni initia sum nactus, Brumâ adhuc rigente, cuius sanè niues vereor, ne, etiam me tacente, ipsius carminis † ψυχρότης abundè exprimat. Vale Vir amplissime, & philologiam cum politica res, nostra ætate, planè † ἀζυγκλώστους, vt nunc facis, necte.

† Frigiditas.

† Difficiles nexu.

NATALI RICCIO.

DOleo te reiectis literarum studijs opes summâ ope quærere, congestasq; alijs valde inuidere. Nec verò addubito, quin, si scires, quantum lolij hæc seges, quantum aloës mel istud habeat, quas modò deperis impoten-

potenti animo vltrò oblatas protinus abijceres, ne mentem tibi humo affigerent, vnde sunt inuitissimâ naturâ erutæ. Sæcula aurea auro caruere: nostrum hoc æuum nimio plus affluit, ferri scoriâ deterius. Hinc facilè conijcias, propitijne Superi, an irati dederint, quod Cœciæ instar tot nubila vitæ mortalium inuexit. tales sunt diuitiæ, quæ soles nostros in noctis meridiem conuertunt, dirumq; in nobis alunt habendi hydropem, quem neq; Tagus ipse restinxerit obrizo manans, nec imber aureus in Danäes gremium dilapsus per impluuium. Declamare me putabis argumento hinc sumpto, ne me in campo Rhetorum exerceam. contra est. expertus meo periculo te moneo, vt caueas ab hac falsùm nitente laruâ, ne tibi accidat, quod olim Satyro flammam, quia fulgeret, amplexari auso. Ego fratre sospite tantum ex meis vectigalibus priuatis colligebam fructuum, quantum satis superq; esset ad vitam non modo commodè degendam, verùm etiam suauiter. Decessit ille me hærede scripto, hoc est, vt ipse interpretor, onere Ætnâ grauiore, meis humeris imposito, quod me vsq; premat, discereq; cogat, quàm Archimedeum problema sit, explicatùq; arduum, quod Græcię Sapientibus Apollo Pythius proposuit, cubi duplicandi; quàm verè ille ludens dixerit magnam ærumnam custodiam magni censûs esse. Quotidie aliquid emergit noui, quod me mihi eripit, transuersumq; rapit in Acroceraunia curarum. Insuetus talium es, dices. non nego. sed quis illæsus mergi assuescat medijs in vndis? aut inter carduos horrentes spinis somnum caperet? Hæc mecum subinde cogitanti cohibere me vix possum, quin proclamem. Solus tibi sapis Crates, cœteri desipimus, qui Plutum tamquam diris deuotum caput, scelerumq; omnium piaculum, ne te ipse mergeret, occupans mersisti. sentín? an surdo fabula hæc canitur, multum porrò veri habitura. Vale.

N.

IOannem Cornelium Contareno Principi suffectum primùm nobis nunciauit æs de turre propinquâ lætùm perstrepens : mox multorum litteris, sermoneq; omnium famæ creuit fides, gestienti lætitiæ animos datura, vt eis indicijs se se foras promat, quibus talia publicè noscuntur. Accensi per fora festi ignes, nocturnis diem vmbris intulere : additi symphonijs cantus, quos faustæ acclamationes sæpe interrumperent. Itum ad puluinaria Diuorum, vt precibus exorati diuturna esse velint, quę dedere. Quibus consuetudo cum Musis intercedit aliqua, hos nunc gaudij sequax cura tenet carmen meditandi in domum imaginibus maiorum, & reliquâ indulgentis fortunæ claritate aliorum fastigia ita supergressam, vt ampla argumenta Vatibus suppeditatura videatur. Rhetoras cogitatio par excitat ad panegyrica scribenda, in publicâq; acroasi recitanda. Inter tot occupatos Claudius noster, cui nec dolium esset, quod ritu Diogenis Cynici reuolueret, nec priuata res aliqua, quam ageret, ne consertis manibus sederet, hos pangere versus Thuscanicis modis est aggressus, nullo sibi, vel Musis negotio exhibito. Neq; enim, quod pleriq; omnes solent, dum Phœbum patitur, aut vngues demordet sibi, aut cœdit pluteum, sed noctu postquam edormiuit, galli cantu excitus pöeticam materiam quærit, inuenit, disponit, aptat numeris sententias, carmen deniq; totum exasciatum ad vnguem, dolatumq; dat sub lodice iacens, vbi neq; stylo locus vllus est, neq; palimpsesto, neq; adeò lucernæ lucubratoriæ studiorum testi, sed omnia silentio vndiq; insessa, obsita tenebris. Quinimo Musæ ipsę, vbi diluculauit, fenestræq; diei radios admiserint, actutum inde proripiunt sese, non ante rediturræ, quàm Sole discedente vmbræ cadant. Nycticoracis ingenium ad lucem nictans viro esse crederem, nisi eius fœtus nocturna ora minùs ferrent. an mentis aciem aliorsum auocat lux ista? scito

to in id Heracliti facinore, oculos sibi eruentis, ne contemplationes interturbarent importuniùs. Noster certè Claudios Musas nunquam videt, nisi noctu facibus extinctis: Cimmerius planè Vates, & nisi nomen græcum aspernaris, † ἀλυχνος. Carmina cùm legeris, coniecturam ipse de natalibus eorum facies haud difficulter: nobis quidem nec prorsus illepida videntur, nec procul ab imitatione abest animus curarum, ac tœdij pertęsis, quod tacitè obrepit, dum lituręscriptis inducuntur per crebros calami cursus, & recursus: memoriæ pugillaria multò tenaciora reputo, ac fideliora: illic exarare licebit mentis cogitata absq; manus defatigatione, impensáue vlla in papyrum. Vale.

† Lucerna carēs.

HENRICO DAVILÆ.

VEnit ad me Liuius, imò liuor ipse squallenti ore, tabefacto corpore, oculis transuersùm sub cauernis superciliorum intuentibus. Is, cùm interuentor deforet, qui me tamquam Deus ex machinâ seruaret, aures mihi vasto illo suo sermone obtudit sesquihoram ampliùs. Non vnum colloquij argumentum erat, si modò illud colloquium vocandum est, quod vnius vociferatione, alterius silentio transigitur. Tessellata versicoloria pauimenta referebat nullo tamen nitore, aut artis lenocinio spectanda. prout quodq; in buccam veniebat, statim expuebat sputatilicus, vt Sisennæ vtar vocabulo, Orator. Post communia illa: vt valerem, vt rem bene agerem? ansam primùm loquendi arripuit de tempore, quod erat Epiphaniæ peruigilium. Multa de illa dixit, sed protrita, nec indicta vlli. Deinceps è loco, vbi sedebamus, sumpsit, quod attexeret: conclaue sibi arridere, arrisurum magis etiam, si fenestras haberet ampliores: nam, vt nunc sunt, maligniùs diem, atq; auras admittere, unde ædium partes exclarantur. post hæc aulęis parietarijs oculos affixit, obtutu adeò immoto,

vt appareret illis cum non indelectatum. Erant enim partim florulenta, nemorosaq́;, partim belluata, atque † ἀνθρωπόμορφα, textricum opus Atrelatensium, anxiè inspecta laudauit frigidè, vt empturientes solent, cùm aliquid publicè licent. Inde acies versa in substrata tapetia Alexandrina, quorum ille postquam fuit sortem miseratus, quod soleis plerunq; lutosis premerentur, nonnihil inspersit eruditionis condimenti loco de Ægyptiacis mercibus, pipere scilicet, & palmulis, quibus Eremicolarum cœnæ instruuntur: largiter sumptas capiti inducere languorem memorabat: quod vt magis crederemus, iuratum, expertumq́; testem domo afferebat, capulare suum caput, cuius porrò intemperies luculentam occasionem illi dabat, vt se in diuerticula proriperet medicorum propria, dum causas accuratè quærit hemicraniæ, epiphorę, catarrhi, quem sibi per molestum esse, quasi fidei parum foret dictis, excreatu testabatur crebrò, nasiq́;, quod in sene mirum fuerat, infantiâ. Postremò in nimias opes Sacerdotum inuehi: inuidiosè nimis recensere sumptus, quos noui homines faciunt, natalibus indecores: ad rauim vsq; raucam succensere aduersùs luxum, famulitijq́; pompam nouus Censor nullius suffragio creatus. Non missura cutem hirudo vibatur, cùm ecce de turre sacrâ æs increpuit nos ad preces vespertinas opportunè vocans, cuius ille strepitu conticuit, ego assurrexi tædio affectus non vulgaris notæ. Quod ne te quoq; ex mea relatione capiat, finem faciam scribendi, si te priùs admonuero, hominem caueas non secus, ac fœnum in cornu habentem bouem. Vale.

† Speciem humanã referẽtia.

BERNARDO FLORENIO.

LEgi nuper immanes Elogiorum fasces, quibus Contareni funus Principis defletur: legi, inquam, & mentem admirari subijt, vnde tanta seges non ita pridem Venetijs

netijs succreuerit talis scriptionis. Omitto Principem, & rerum capita, Viros Consulares Laticlauios, queis omnis ætas id honoris dedit. Nemo vel minorum gentium, ne dum Optimatûm hodie effertur, tumulóue conditur, quin eius statim Manibus eo genere monumenti parētetur adeò à plurimis, vt præter sandapilariorum collegium, atq; pollinctorum, aliud sit multo populosius instituendum lugubrium elogiographorum, quos libitinarij subinde euocent ad pompas mortuales honestandas. Ex quo mos hic tenet, Elegi interquieuere. credo, quia non minùs arduum omnibus habetur peragrare Heliconis auia, quàm adire Corinthum olim fuit; & anxiè syllabas inter se connectere res est plena solliciti laboris. Quem sanè laborem raro in consilium vocari ab inscriptionum autoribus, documento esse potest earum plerasq; parùm lucernam olere, multùm exoticam barbariem. Neq; enim in scholis ediscuntur hæc sub magistri ferulâ: verùm vnusquisq; sibi dictat per lasciuiam, inconsultis Romanæ facundiæ peritis. Hinc adeò fit, vt non plus offendat sepulchrorum fætor, quàm eorum adoperculis inscripta Nænia: ad vtraq; nasus tibi illac pretereunti corrugandus est, qui Musarum delitijs assueuisti. Huic mori, seu morbo veriùs Asclepiadæ, qui Vrbem tot vrbium parentem colunt, medicinam faciant, nisi ipsi quoq; eisdem intemperijs correpti curatore egent. Mihi satis erit aduersùs hoc malum epidemium pro alexipharmaco vti elogiorum (vt quodq; est absurdum, inamœnum, importunum maximè) crebrâ lectione: sic mihi etenim eueniet, quod ingenuis Spartiatarum pueris temulentorum spectaculo admotis accidebat, alieno periculo vt hanc labem caueam. Similem errorem in populo Ferrariensi olim adnotarat, non insciti ingenij scurra inter ludicros aulæ artifices tunc satis celebris. Is, cùm sermo incidisset coram Principe, quodnam vrbanorum Collegiorum corpus foret numerosius, alijs aliud dicentibus, ipse senten-

tiam

tiam rogatus, Medicorum dixit: nec id verbis asserere contentus, pepigit multam luiturum, nisi id probasset: Placuit conditio, statutaq; dies rei comprobandæ: ad quem ille diem cùm fascijs genas obuolutus, delibutusq; medicamentorum vnctionibus Principi prodijsset obuiam, rogatus, satin ne res salue? compositus in omnem miserationis simulationem, vt iocis non esse locum appereret, à dentibus se respondit laborare, tunc omnes tamquam ex antecompacto certatim aliquid remedij afferre dolori leniendo. Princeps ipse ante alios quin tu, inquit, os proluis absynthite vino, pipere, & semine urticę temperato? Ad has ille voces: Vicimus: exclamat. atrium ipsum scatet Podalyrijs: ne foris accersam, qui meæ dentagrę opem ferant. Concludamus igitur, omnia passim esse plena non tam medicis, quàm inscriptionarijs id genus; nec vllam annonam, quàm istorum sit copia, fore viliorem, si modò emptorem inueniat. Vale.

IACOBO CARDINALI *Peronio*.

PErincommodè accidit, vt dum Venetijs aduentus expectaretur tuus, ego in extremis diæcesis meæ finibus, lustrandi gregis causâ morarer. Vnde mihi, ne festinè, vt summopere optabam, iter ad te arriperem, compedes impegit articularis morbus, quo iampridem vtor familiariùs, quàm vellem, Hinc, dum occasionem officij præstandi video præreptam, tanta obuenit animo molestia, vt vitam mihi esse acerbam putem. Neq; enim me magis angit meæ valetudinis infirmitas, quàm cogitatio huiusmodi discruciat non potuisse tibi flagrantissimum meum studium, summamq; obseruantiam coram testari, cui me omnia debere sentio. Verùm hæc nos si non æquoanimo, at forti saltem perferemus, si intellexerimus ita ab Amplit. tua accipi, vt non tam veniam, quàm miserationem nobis ali-

quam deberi censeas. Erit certè humanitatis tuæ, quâ non minùs, quàm singulari doctrinâ, ac virtute mensuram imples tantæ dignitatis, quicquid hoc litterarum est, quod obliuionem mei impedit, meq; ad Amplit. tuam, quà licet, quasi postliminio reducit, boni consulere; & me, imò tuum ipsius in me fouendo iudicium tueri. Vale clarissimum Galliæ tuæ lumen, amplissimiq; Christianæ Reipublicæ Senatus ornamentum.

IACOBO BAROCCIO *Oratori Clarissimo.*

VIdi nuper Menini nostri carmen, quo ille Marciæ aræ gemmas non tam mihi describere videtur, quàm styli nitore æmulari. Vidi, inquam, legiq; diligenter, & quod me deterrere maximè debuerat ab eodem loco pertractando, id magis, vide frontem, impulit nescioquo pacto, non vt paria cum illo facerem, veterano Vate, & tot Musarum stipendia emerito; improbum enim id foret, & subimpudens; sed vt ingenium experirer huius argumenti subitâ correptus delectatione. Itaq;, dum mecum ipse cogito Vrbis istius pulcritudinem nulli non, etiamsi patria non sit, amabilem, † μουσάληπτος repentè euasi. Quod mihi accidisse minùs miror, qui sciam pietatis in Patriam multò maiores esse vires, quàm vel indignationis, vel amoris: quorum tamen hunc Musicam docere, illam versus facere vetus verbum est. Hoc igitur qualecunq; carminis recentis, ac planè incompti ad te mitto, Iacobe Amplifs. quem & Patriæ peramantem in primis, & huiusmodi studiorum scientem cum paucis cognoui. Tu munus à me profectum boni consules, meq; tui cupidum amabis. Vale.

† *Musicarũ arreptitius.*

Ara maxima Ædis Diui Marci regali sumptu Venetijs instaurata.

Marcia diuitijs ingentibus Ara renidens
Te adoro supplex: te meæ
Miror honos Patriæ, Veneti pia cura Senatus.
Te pulchrius nihil videt
Omnia collustrans Phœbus, nec quod mage vultus
Eius micantes exprimat.
Regia, quam Soli Vates finxere diserti
Minùs coruscat: sit licèt
Aurea, purpureis ac intercincta pyropis.
Tot vnde gemmas nauita
Aduexit, vada salsa secans? quibus extudit audax
Gazam beatam rupibus?
Gangis opes, ferro indomitos Adamantas, & Indi
Lætos smaragdos littoris,
Sardonichas, cœli referentem luce colores
Sapphirum, amœnum Iaspida
Defixi, obtutuq; vno spectamus biantes:
Ardescit anthrax, æmulus
Flammarum, tenebrasq; fugat: candore niuali
Miroq; turget pondere
Bacca Cytheriacis olim sub gurgite conchis
Reuulsa, multiplex, teres,
Et famæ factura fidem: quàm multa talenta
Vno haurienda spiritu
Regina Ægipti apposuit. mirabilis Vrbis
Quæ parte in ista conspicis.
Orbe pererrato vix non inuenerit hospes.
Nam quod potentum in ædibus
Est medijs Regum diues thesaurus: id orbi
Est ista toti Ciuitas.

DONATO MAVROCENO
Senatori Amplißimo.

ITalia Menini nostri Poësin augusti illius sæculi in certamen prouocat: tantum in ea cothurni, ac leporis est. nec minor in elogio Pignorij venustas. Profectò sic est, nobile par istud probatissimorum auctorum: vterq; in suo quidem scriptionis genere ita primas tenet, vt maximo infra se interuallo videat quotcunq; proximum locum hac nostrâ ætate occuparunt. Polæ oratio sanè præclara: præfatio satis digna, quæ proximè orationem subsequatur; elogidia certè eius dixeris, qui libris inscriptionum editis, effecit, vt inter eos iure reputetur, qui antiquario cœlo vti sciunt in huiusmodi epigrammatis marmori incidendis. Ferrarium animus nec deserit, nec ingenium vegetum moratur. Verùm quid, inquis, tibi quæso in mentem venit Aristarchum agere, seu potius tutorem vltra crepidarium? non aliud Hercules, quàm cupido per epistolam tecum garriendi: cuius tu aspernabere, sat scio, breuitatem, nisi hinc inde hos argumentorum centones mutuarer. quos inter non minor appareret ratio similitudinis, quàm equinæ ceruicis sit cum capite humano in pystrin, seu aliquod aliud pelagicum monstrum desituro. quid facerem? Pagella hæc erat tota illinenda alicunde, si tuas elicere longiores vellem. Sed quis, te rogo, Todescus ille est, Odes architectus in Bembum Principem? nę is non inuitis Musis carmen pangit, sed quod legat ipsa Lycoris. ipse Philarmonicum se vocat, & verò præstat etiam, ni mihi Batauà auris omnino est ad Musica ista acroamata. & hæc quidē hactenus. Nunc ad Liburni tumultus Panica deuenio. Catoritanę nostræ cohorticulæ non tā anni, lociq; frigore conglaciant, quàm otio, quo illis abunde frui per vicinos licet, hostile

nihil molientes. Ad Gradiscam plus nimiò calere res nunciabantur, sed rumore incerto, & cui vera iuxtà ac ficta canere tralatitium: manum certè non exiguam præsidiarij militis vapulasse constat. Nos tuas expectamus, quæ, quo res stet loco, nobis explicent, simul consilium dent, permanendum ne nobis in hibernis sit, an ratium aliquid habendum in Anaxi portu: contra Liburnorum securiculas negant tutius hoc munimenti genere quicquam reperiri. Vale.

VINCENTIO QVIRINO *Viro Illustriss.*

Litteras tuas amanter scriptas? & si Faustinum in optimâ causâ concidisse miserandum, cæteris autem omnibus, vt postea à nostris hominibus accepi, etiam irridendum. Nunc scilicet hoc à me requiris, vt rem tibi totam ex ordine. Viderat homo mirus suæ causæ causam solam deesse: cæteris itaq; rebus auctam, exornatamq;, quantum in ipso fuit, eam esse voluit. dumq; id ageret, se architectorum adiumentis ab aduersariorum telis circumsepsit. Suarum enim ædium formam affabrè dimensam, vbi morientem nouercam, assidentem ad quæsita pietatis officia Virum, ancillulas etiam ex spiranti ligno verba pro foribus excipientes cerneres, exædificauit: eamq; publicè inspiciendam exhibuit, credo, ne topographia domus suæ Iudices latêret. Quæris? res mira, atq; ostento similis visa, vt quidam ex XX. Viris se illâ quasi Archimedeâ machinatione circumuentos, inductos, in fraudem coniectos dicerent. Quid tandem Epeus iste fabricator effecit, inquies? quid? idem, quod pessimi Poëtæ, qui malè concinnatas fabulas, cùm aliter non possint, machinâ dissoluunt. Sed nimis multa de nugis, in quibus tamen cohortatio & illa quidem seria, si nescis, continetur. Architecturam enim vobis magnis Oratoribus ad vestra studia pro cumulo adiungen-

gendam censeo; vt vos non solum verborum, quod & Tullius amicus vester præcepit, verùm etiam formarum ædium architectos post hac rude vulgus appellet. Sed de his tu videris, cuius interest. Nos enim & Oratoriæ iamdudum, & reliquis disciplinis nuncium remisimus; alteriusq; vitæ, quæ tota in nihil agendo occupata, distentaq; sit, quoddam quasi initium cogitamus. Rides? At idem Ciceroni vestro, quanto Viro? quàm gloriæ cupido? placuisse video. Nam, cùm sibi procul à Republicâ, quàm nullam putabat, reliquam ætatem habendam decreuisset, Antij manens, se tum fluctus numerando, tum lacertas captando oblectabat. Mirificum venationis genus, & à Xenophonte indigno scelere prætermissum inquies. Fateor. Sed vir ille alioquin strenuus totum se in hanc curam contulerat, vt Cyri pœdiam solum obseruaret; Arpinatum disciplinas penitùs neglexit dignus, qui à vobis Arpinatibus vel hoc nomine exagitetur. Vides, vt quicquid in buccam? quid enim aliud ab eo, qui cum amico familiariter garrire discupiat: quod scribat, non habeat. Argumentum igitur des nobis, censeo, longioribus ad nos quocunq; sermone placuerit, litteris perscriptis. Nam quæ proximè nobis redditæ, fuerunt illæ quidem Rhetorum, in quibus tamen ingenium scribentis mihi antea quoq; planè perspectum agnouerim. Acta vrbana, quibus me summopere delectari scis, desiderarem. Sed dum ita scribis, video, quid agas: Ciceronianus enim videri vis, quod ita per me assecutus es, vt nihil possit vltra. Nam, quòd me rogas, vt tuas corrigam, facis tu quidem modestè, & vt Ciceronis alumnum decet: cùm & ille dux vester idem ab Attico suo non semel exigat. Tuæ verò mi Vincenti, litteræ eiusmodi sunt, vt nonmodo mei iudicij limam, quæ nulla est, verùm etiam Attici illius, cuius miniatulas cerulas vel ipse Cicero pertimescebat, si is nunc viueret, summâ cum laude sustinere possint. Hui quàm ambitiosè? nunc

enim

enim primùm animum aduerti. illud verò, quod est in postremâ Epistolâ. iteradum, obsecro te, mihi eadem illa. Ioannes Nabosidius suos persequitur mores? malè mihi sit, si vnquam quicquam aquè me ac postrema illa de Ioanne. Sed heus tu: æquum ne esse putas, te ei operam tuam non præstare? non mehercule, si tibi sapienter consulis. neq; enim est concordiæ vestræ diuersa sectari, & non potius eadem in huiusmodi rebus sentire. Rescribes ad hæc, si quid voles: non feres tacitum. Hieronymo Frachetæ plurimam salutem. Nabosidio etiam. Vale.

ANGELO LOLLINO.

† Circularia. † Fenestras intellige.

STamus animis, Angele mi, & citatiore in studia animo etiam nunc sumus: eademq; † ἐγκύκλια, & multiplicia. Nam & mathematicum puluerem palęstræ illius nostrę perueteris pauimento inspersimus, & † ὀπὰς... in tecto aperuimus ad cœli variabilis æternos illos oculos suspiciendos, obseruandosq;, quibus efficitur, vt & in reliquum omne genus exercitationum lacertis nescioquo pacto valentioribus vtamur. Adde, quòd ætas ingrauescens authoritatis, nisi me animus fallit, nonnihil affert: restinguit certè quàm plurimum præcipitis illius audaciæ iuuenilium annorum. Hanc enim nos iampridem grauiori cogitationum genere, quasi repagulo ita cohibuimus, vt oblectamenta illa nostra, subuerita Musarum offensionem, quod furentèr illæ in errones credantur irasci, reliquerimus non omnino tamé. Huius rei multa signa sunt: non minimum, quod fabellas tibi hîc inclusas habes. Etruscè perscriptas, inquies: fateor. hoc enim vnum occupationibus perè obruto mihi deerat. Nam nosti nostri temporis Aristarchos: nosti illorum egregia de hoc sermone præconia. gerendus erat mos, atq; ex eorum præscripto ingenium deformandum, ne nos illi † ὑπερηφάνους: &, vt in summâ dicam, incesserat

† Superbos.

rat animum libido quædam tentandi, quid in hoc genere præstare possemus hominibus nostris. Has habe, qualescunq; sint; quas tamen, caue, putes à me vel paulò diligentiùs elucubratas. neq; enim tantum est nobis otij à rebus nostris, vt seriò iocari liceat. vix tanti totam Etruriam cum illâ suâ peruetustâ Aruspicum disciplinâ facimus, vt ea nos à nostris cæptis seuocare debeat. Altiora cogitamus, mihi crede, habemusq; in omni literarum genere ingentis otij opera animo iam dudum dimensa, atq; in quincuncem redacta, viuamus modò, perficienda. quid quæris? Fortunæ solùm veteris aduersariæ nostræ iniurijs conflictamur, quam, tantum abest, vt hoc itinere ad gloriam demitigauerimus; vt etiam multo quam antea acerbiorem reddiderimus nobis. Sed de his ipsa viderit, quæ nos immerentes gratuitò oppugnat. Illud accidit perincommodè, quod frustrà meã operam ab his sentio requiri, quorum me causâ omnia velle, nihil non transigere par erat. par erat autem? Sed prestat circumrodere, quod deuorare nequeas. Non me fallit hæc esse † ἐκ τῶν αἰνιγμάτων Est tamẽ hæc obscuritas & rationi nõ aliena nostræ, & tuis coniecturis haud vsquequaq; imperuia. Nota enim mihi ingenij tui vis, nota celeritas. Da operam igitur, vt hinc emergas. quod si assequeris, non is tibi in postremis labor ineundus, vt animos nobis suboffensiores recolligas. Distulisse nos maturitatem illis morem gerendi, non penitus abiecisse dicas; beneficijs familiam nostram dandis potiùs, quàm recipiendis amicitias conquisiuisse, conquisitas aluisse. ipsum illud testimonio sibi esse posse. Sed iam satis affusimus tenebrarum. Luci nosmet reddamur. Danieli nostro Hippocrateum volumen ab ipso votis expetitum curabis quamprimùm perferendum. Eidem (fui enim datis ad eum litteris sanè breuis) si, quę tibi ad suas cogitationes pertinere videbuntur, ex hac epistolâ descripseris, non molestè feram. Bibliotheca, delitiæ nostræ, dum hæc scribebam, aspectu me admonebat suo,

† Ex ęnigmatice dictis.

ſuo, vt tibi ſe, ſuumq́; ornatum commendarem. Id ego non ægrè facio: noui enim te in eâ exaugendâ miro quodam modò affectum eſſe. Nos quidem id etiam ex ea capimus commodi, quòd amicitias ſummorum Virorum nobis illa conciliat. Noſti Galliarum Regis Oratorem, omni eruditionis laude circumfluentem. Is nos in oculis fert planè. Huic accedit ſupremus Cæſareæ Maieſtatis Theologus, Vir hiſpanus, linguarum peritiſſimus. Scotiam ex longinquo illo, rigentiq́; terrarum angulo, iuuenem nobis dediſſe ſcito, vnum omnium elegantiſſimum, duo de viginti annos natum: heptatechnum, heptagloſſum: ex tempore de re qualibet † σωκρατικῶς diſceptantem: poëtam venuſtum: declamatorem egregium: mathematicum etiam non nequam. Quæris? delitium humani generis à nobis appellatur; ab alijs etiam ſæculi noſtri Phænix. Cœtera de eo non me latet rumorem hominum hinc ſoluentium ad vos multo vberiora allaturum. Tu de his nulla hyperbole exemptâ, velim, iudices: admiranda ſunt etenim. Sed chartam nobis deeſſe vides. ego etiam, quod amplius ſcribam, vix habeo. Nicolao Phyſico Viro docto, & noſtri ſtudioſo multam ſalutem. Eidem de Conſtantino Nepote referas, velim, tum ita erudiri, vt omnia magna, elegantiq́; medico digna in ſpe habeat. Nos eum plurimum amamus. Venetijs.

† Septem artium profeſſorem ſepti linguem.
† Socratice.

VINCENTIO QVIRINO.

VAletudine factum eſt meâ, vt & nullas ad te antea litteras dederim, & in præſentiâ dem penè nullas. eâ enim perincommodâ per ſex perpetuos dies vſus ſum, neq; dum reliquiæ morbi exciderunt: tantus fuit ipſius ferocientis impetus ille primus, quo me immerentem, ni aliter tu ſentis, quatefecit. Animum tamen mi Vincenti nondum demiſimus: menſq; ipſa nobis vbi tuq; Hieronymuſq;

noſter

noster habitatis, manet incolumis. Habet in hoc fascicu-lo Epistolam, quâ ipsius Hieronymi amantissimis litteris respondimus. Cuius hominis in nos studium, atq; beneuo-lentiam ita amplectimur, vt omnibus officijs eam prose-quendam iudicemus. Tu interim, ne totus langueam, va-letudinem tuam cura diligenter. Venetijs.

E I D E M.

SVauior ipsa salus accidit mihi, per te tam amanter exo-ptata. Quamobrem me saluum, restitutumq; non minus tibi, quàm meis velim existimes. atq; vtinam eum diem videam, cùm vnà esse nos, consuetudinisq; nostræ fructum quàm iucundissimum capere possimus. Nam ta-metsi tui, mi Vincenti, memoria adeò meis sensibus ada-cta sit, vt ea vix inde extrudi posse mihi persuadeam, fit tamen nescioquo pacto, vt præsens nostra collocutio, & aspectus ipse tuus quiddam sibi peculiare habeat, quod neq; litteris, neq; vllâ recordatione cōpensare possit. Nūc ad tuā Epistolam, in qua cætera belle. Illud mirum, Riccobonum Candidos, Academicos suos appellasse: quos ego, vt etiam oloribus fuerint candidiores, admixtione tam atri homi-nis, qualis est ille, quem tu inter eos nosti, subfuscos iam pridem redditos putabam. Quod autem tam crebrò de fe-licitate declamitat, facit ille quidem ex officio, qui sui nominis interpretem agat, & probitas enim in eo est, &, quas vos Peripatetici nimis ambitiosè in homine beato requirere soletis, diuitię. Sed hæc, vt nos planè conualuis-se sentias. nosti enim iocum aureę sanitatis comitem fin-gi. Hieronymo nostro plurimam salutem per me. Ioanni verò, quantum tibi videbitur. equidem tuæ in me taci-turnitati, cessationiq; subirascerer, ni bilem mihi omnem morbus consumpsisset. Vale.

N.

NOn tam tibi amplissimam dignitatem consecuto, quàm delatæ tibi dignitati gratulor. vtrinq; in alterutrum existimationis multum venit, ac splendoris. Illa te titulis honestat, tu illam inuidiâ exoneras, quasi in indignos pronior feratur. Pulcherrimum omnium exhibet spectaculum, & plausus superûm, mortaliumq; simul exciturum conspirans concordia honoris, virtutisq; ex quo vitio temporum parùm conuenire inter se cœpere: nam ante vna vtriq; mens erat, vna sedes gradibus eisdem adeunda. Eo magis lętor, spemq; haud dubiam animo concipio fore, vt cumulatiora beneficentiæ exempla in commune præbeas, quanto tibi maior nunc facultas est plures demerendi. fallor? an opibus obarmata liberalitas nulli opis suæ indigenti defutura est haud sanè aliter, quàm oculis ad inspiciendum aptis solis radius. Hæc ipsi de te, tuâq; eximiâ indole nobis auguramur, pollicemur alijs. Neq; timor est, ne sponsorem frustrati promissi fide vllo vnquam tempore appellent. Vale.

FRACISCO Bencio.

† Exercitationis lyricæ.

DRamma tuum † γυμνασιῶδυ annis superioribus in Collegio Romano actum sanè quàm auidissimè perlegi. Est enim eiusmodi, vt cultam illam veteris æui elegantiam, ac festiuitatem mirabilem in modum exprimat. Itaq; & tibi gratias habeo quàm maximas; & intermissioni illi tuæ octimestri plusculum etiam me debere fateor: quæ in causa fuit, vt me libello isto aureolo demitigares. Occupationibus enim tuis eram subiratior, per quas tibi nos alloqui minimè licebat. Nunc omnis illa deferbuit † θυμῦ ζέσις, auctusq; amor, immane quantum, qua te litterarum, & suauitatis morum gratiâ prosequimur, prosequimurq; dum spiritus hos artus reget. Tu modò nostri meminis-

† Ira feruor.

se memineris. Vale mi optimè Benci, & meis verbis Quęrengum, Virum omni virtute, officioq; ornatissimum saluta. Venetijs.

ANTONIO *Vaccæo.*

SI sponte sua olera olla ipsa legeret, vt Vulcani tripodes solebant operę defungi, cui destinabantur, vna minùs cura modò destinerer coqui perquirendi, cùm domi veru, sartago, lebes, & id genus instrumenti culinarij suppetat abundè: ille tantùm desit, qui eis graphicè vtatur, & ex arte. Illic fortassè aliquem inuenies muneri non imparem, vbi ex tot caminorum siluâ nidorosus fumus exilit frequentiùs. Nam apud nos Heroicorum temporum mos tenet, vt ipse sibi quisq; obsonetur. Palatum domini habere coquum oportere vetus cautio est. is mihi à naturâ tributus non rudis adeò, vt nesciat, quid sapidum differt fatuo discernere. Condimenta pręter famem, & salis modicum non admodum anxiè requiro à puero eductus cibo simplici. orexim integram in caput cænę affero, siue id capus sit, quo tamen non valdè capior, siue harmus vituli ex iure, siue assa perdix, aut pipio, pisce non ita ducor, nisi sit saxatilis, oua, si per me staret, incubitu matris sinerem in pullitiem excludi. Locum non soleò relinquere placentę, etiamsi Samia mellita sit: eius vices pomenta subeunt. Nihil me ęquè offendit ac opimitas, siue foris accersita, siue innata. Neq; ideò macie altilium delector, quæ eorùm arguat esuriem: quod inter vtrumq; sit medium, hoc vescor libens. herbis mihi interdixi omnibus, vno asparago excepto, quia herbidi nihil planè refert. nuces mensa exegi, salgama proscripsi: de allio idem cum Flacco sentio, parricidarum esse cibum capitalem, execrabilem. lac, lacteaq; cuncta ita odi obstinato animo, vt indigner nutricem mihi infanti vbera adpressisse, si adpressit modò, nec

nec me, vt Chiron olim Achillem, aluit. futurum apud me coquum monitum in anteceſſum volo, ne quid eſculenti caſeum ſubolere domi meæ ſinat, noxam ieiunio triduam luet, ſeu imprudens, ſiue ſciens id commiſerit. In has conditiones venienti pro mercede, quos tu ſtatues in menſem, denarij præter veſticontubernium dabuntur. Vale.

ÆGIDIO SVO.

MIra eſt conciliatrix amicitiarum inter doctos fama: præſertim cùm plurimum de vero trahens intra fines hiſtorię ſe cohibet. Huius relatu Flauius inductus, te ſummopere compellare ardet, meq; obnixe rogat, vt ſibi ad te venienti Comes eſſe velim per epiſtolam. haud difficulter impetrauit, quod meâ ſponte oblaturus eram, ſi reſciſſem. Quod enim obire munus volent litteræ libentiùs, quàm interpreti eſse loco apud literatos ad eos mutuâ familiaritate vinciendos? neq; ideò alias, quàm nomenclatoris, partes mihi ſumo. Ipſe tibi ſe commendabit multo meliùs, cùm ad te acceſſerit. Sermo, vultus, oculi ipſi amoris illices te in eius amplexum ita rapiet; vt alio Conciliatore non ſit opus. raró ad modum, & neſcio an vnquam aliàs candidiorem animum ſingularis eruditio ingreſſa coluit: hæc illum plura ſcitu digna edocet, ille hanc gloriâ ventosâ non efferri: Noſti ſat ſcio, doctorum noſtri ęui pluſquàm Campanum ſupercilium, & plenos dedignationis faſtus, quibus fit, vt nec eos æquo animo feramus, nec literę ipsę vulgò benè audiant. Sed nolo aliorum inſectatione Flauij clariorem reddere modeſtiam. tibi integrum iudicium relinquo, vt de mea ſententia decidas, veráxne ſit, an ob amoris blanditias aliquid effingat. Vale.

LAVRENTIO REGOSIÆ *Medico Bellunensi.*

LEuiter ego semper istis benè volui, qui humanioribus, quas tractant, literis tantum suæ afficiant atrocitatis, vt iam amplius eis huiusmodi appellatio conueniat magis, quàm furijs Eumenidum cognomen: atq; ideo ipsos ludimagistros non ante dixerim, quàm iudicatum fuerit ludum, & iocum esse fustuarium: cùm potius sint lictores Tribunorum vapulariùm vocandi, aut certè militum ex eorum numero Centuriones, qui impotenter in libera tergora vite vtebantur. Hæc mea mens, quam vt tibi (rogas enim) pluribus significarem, testimonia mearum Musarum aliquot vndiq; collegi, quæ ad te in vnum fasciculum coniecta mitterem. Ex ijs facile cognosces, nisi fallor, quàm non immeritò alieniori animo in gentem ferar, ingenijs perdendis natam, & cuius diritati ætas nostra debet plus æquo restrictam annonam doctrinarum: nam literas pueri quin oderint, ærumnarum sibi causas futuras? mihi quidem nullo negotio causam suam probant, quod procul à Væioue, à verbere procul, quantum possunt, se proripiunt, eunt in alia omnia libentius. Vale.

Ludimagistros truculentos.

Formido turbæ maxima inuestis: Deæ
Osor Vacunę cognite haud ioco magis
Quàm Soli Auerni regio nigrantis. tuum est
Crimen, Camœnas quod prius pueri oderint,
Amare quàm satis queant. fastidium
Gignit diserti mi poema Virgili
Per te explicatum: nauseat Propertij
Lepos, Catulliq; ore dum prodit tuo
Flos Tullij, arens concidit: frigent sales

Plautini

Plautini: Homeros excreans tussi mala
Fit Chærilo ipso ineptior. quin tu pedem
In atria atra Ditis inferi refers,
Vnde extulisti? vernulas Proserpinæ
Docturus artes literatæ inscitiæ.

ALIVD.

Digne magister agi manibus post terga reuinctis
Per fora, per spacia ampla viarum à pube falisca
Verbere multiplici, terroris dira verendi
Larua, Mineruale enim haud aliud, preciumque laboris
Conuenit inuiso pueris. tibi lora supellex
Lictoris, ferulæque truces, & verbera cordi
Non mißura cutem nisi tincta cruore. satelles
Cur non Tesiphones, & amantis tristia Ditis
Manibus accedis pauor aut nouus, aut Rhadamanto
Officium seruile locas? non membra nocentum
Dirius ille alio posset laniare ministro.
Tune odia ante animis musæa recentibus indis,
Quàm vel amare queant, molles vel cantibus aures
Vatum aptare. minas modò & arma horrentia voce
Ferali ingeminans iuxta, manibusque retractans
Stultus, & vltrices Phœbi non respicis iras
Præsidis Aonidum, cuius pacata nefandis
Orgya contemeras flagris. mellita solebant
Arte Palæmonia insignes dare crustula alumnis,
Discendi vt vellent longos perferre labores
Præmiolis capti puerilibus. ilicet almæ.
Virtutis radix subamara, in læta licet se
Fundat adolescens sensim ramalia flores
Omnigenos olim latè, fœtusque datura
Ambrosios. Subigat tardos sua rura colonos
Percolere, imperijs & herilibus increpet Acgon

Ignauum famulorum agmen. Sergestus aperto
Æquore dum certat cursu: vel verbere crebro
Remigium officij admoneat; ne segnius vndas
Palmula verrat iners. iussis modò molibus instet
Conciliare animis doctor virtutis amorem
Dexter, & ingratum dictis lenire laborem.

ALIVD.

Stat vultuosus tetrico in ludo Ortalus,
Immite sceptrum virgeum, enode, horridæ
Propaginem inuisam arbuti, quaßans manu;
Minoa credas, Aeacum aut trucem, nigri
Prætorem Auerni territare pallidas
Vmbras nocentum. Circum Ephœbea agmina
Silent, tremuntque donec ad subsellia
Adire tempus tristia, & thema aggredi
Laboriosum. Tum malorum haud amplius
Timor: malorum sed glomus præsentium,
AErumna pregnax, maxima, in pœnas minæ
Deductæ apertas: verbere actos diceres
Trochos; vel ictu quos per alta montium
Crebro caballos mulio asper excitat
Fessos. amores & tamen Didonios
Plagas tot inter mussitant ingratijs,
Tantum seueri terror vrget imperi.

LAVRENTIO REGOZÆ *Medico Bellunensi.*
De tubere terræ disquisitio epistolaris.

TVbera mihi præclari muneris loco (si modò ea tubera) missa esse scito, mi Laurenti, eaq; terrâ hac nostrâ ac indigena, vt tibi, & olitoribus nostris gratulandum sit, qui salgamariæ annonæ consulant egregiè, & mecum, ea-

quam

quam in paginam naturalis censûs referri debeat huiusmodi fætura, cogitandum. nam & si inter ea recenseri soleant, quæ terra vitæ haud quidem experria progignit, tamen si Aristotelis, Theophrastiq; primorum in philosophiâ hominum, ac signiferorum castra sequi volumus, vbi tubera ista reponamus, non habebimus. adeo illorum definitionibus veluti edictis censorijs vrgemur, nequid de plantarum genere putemus, quod radice, caudiceue, aut caule careat omnino. his enim minimùm partibus plantarum constant definitiones, quas partes in tubere frustrà requisieris, vbi nec articulatum, nec distinctum aliquid apparet, quod stipitem, aut caulem præseferat; sed totum qualecumq; illud est, teres, atq; rotundum est. quod si dicas ea radices bulboras stirpium referre, aut meras ipsa radices esse, haud satis dixeris. cùm enim radix inter ea sit, qua ad aliquid dicuntur, vnde caulis nullus radici innixus germinat, aut assurgit caulex; ibi ne radix quidem vlla fuerit apud proprietatum vocum non ignaros, & quos, quid quæq; significent, non fugit. vt omittam siue radice prouenire tubera summos autores decreuisse, qui ea à plantis secreuere sub hæc verba: Plantæ, fungi, tubera; & his similia. Scitè me hercules, & argutè Plinius, qui tubera terræ callum vocans nodum solutu perdifficilem perquàm Macedonicè discindit. nisi quòd genus illi vestigandum fuerat, quo callos istiusmodi reijceret, præsertim cùm talia memoratu lepida philosophia hactenus admittat, si earum ratio menti nostræ constet: & callos ego inter vitia corporum atq; impedimenta potiùs, quàm membra numerem, quæ tanti naturam fecisse, vt eorum propagationi voluerit consultum absurdum dictu planè arbitror, atq; inconsultum. nec terræ aliquam partem veluti aprorum obcalescere, nisi pictoribus, eorumq; consanguineis poetis sit credibile, qui telluri vultus quoq;, & verba tribuunt, quibus apud Iouem conqueratur se penè Phaëtontis rogo concrematam.

matam. quæ cùm ità ſint, in hanc cogitationem tibi incumbendum cenſeo, ſint ne tubera, Peripati magiſtris incuitiſſimis, in ſtirpium album tranſcribenda, an animo cominiſcenda ſpecies alicubi aliqua, quæ iſta à re plantariâ ſeiuncta, ſeu ancipitis generis, ac amphoterizonta, vt Platoni in Libris R.P. videtur, ſinu complectatur; quam tu ad curam ſi Hyppolitum Obicium collegam tuum Philoſophum, Medicumq; præſtantiſſimum aſſumpſeris, & mihi perſanè gratum feceris, & tibi eum ſeu ducem, ſeu comitem aſciueris, qui cuiuis Theſeo erit conferendus. interea quid ego mediter, paucis exponam, iudicijq; illud veſtri faciam. Principiò præter quattuor illa prima ſumma plantarum genera; arborum nempe, fruticem, ſubfruticem, ac herbam, in quæ Ariſtoteles atq; Theophraſtus, nobile par philoſophorum, quicquid vbiq; terrarum pullulat, eſtq; naturę abſolutioris plurimarumq; partium, diſcreuit; quinctum quoddam genus animo dimetior, atq; cominiſcor, vbi reliqua iſta terrę ſeu † κύηματα, ſeu fœtus vocari gaudent, reponam. cuiuſmodi ſunt tubera, nihil aliud, quàm radices meræ; tametſi cuius ſint radices, nihil planè habeam, eiſq; non abſimilia Miſy, ebinum, ieburq; foſſile, ceraunium, quæ non ſimpliciter plantæ, ſed plantarum rudimenta ſunt veriùs parte tantùm vnicâ conſtantia, prætereaq; viſcum, epithymum, epithymbram, aliaq; de hoc genere non multa, quę quamuis in plantarum hiſtorijs recenſeantur à veteribus † πολυμέρειαν tamen perfectioribus plantis debitam non habent, vnâ parte tantummodò contenta, hæc mea ſententia paulò confidentior, non nego, quæ ampliare ſtirpium diuiſionis pomæria ſit auſa. neq; ideò vllam cauſam dico, quin vos illam, ſi videbitur, arctiori finium gyro claudatis, ne extra, quod aiunt, oleas excurrat alienam meſſem inuaſura, etſi audendi auctores habeam præter Galenum, lumen illud veſtrum, Dioſcoridem her-

† Germina conceptus.

† Particularum multitudine.

bariæ rei peritissimum, quorum ille eandem stirpium diuisionem duobus membris auxit, hic de quadripartitâ quinque membrem fecit; haud sanè satis dignum operæ obpretium, quod ue huic necessitati, quæ nos, & alios ad nouandum impulit, comparari possit, nisi credimus (etiamsi ipse peculiare aromatum genus non constituisset) hæsitaturos fuisse homines huiusmodi rerum non incuriosos, quonam illa reduci possent non obtorto collo. Verùm hæc vos melius quorum cogitationibus id etiam relinquo, cur Theophrastus apud Athenęum læuem tuberum corticem vocauerit, cùm scabrum, & verrucosum eum esse constet, cur item cortice carere ea non secus ac mora, fragaq; dicat, in commentarijs in Theophrastum Scaliger, si id experientia ipsâ, & historia penitus refellit? quare Plinius rimas agere locum, vbi tubera gignuntur, neget, si solo hiante conijcere pastores solent, quâ parte ea latitent potissimum, noto in id Martialis carmine.

Rumpimus altricem tenero de vertice terram.

cur deniq; à tonitruis, & imbribus prouenire credantur, cùm nusquam lętius proueniant, quàm in Africâ, vbi nec funduntur imbres, nec in nubibus tonitru disploditur. Et hæc de vero, ac germano tubere dixisse hactenus sufficiat, cuius ea apud antiquos extitit dignatio, vt probri loco foret regioni Thellespontiacę eo caruisse, vt Agesander Delphicus testatur. Nauclidis verò solitudo, vt est in prouerbio, iure putaretur, vbi neq; tuber, neq; thymus proueniret. nam quæ nunc nobis tubera obtruduntur hortorum Bellunensium vernacula; vereor, ne cum tubere nihil habeant commune præter nomen, nataleq; solum subterraneum: cęteroquin non terrę sagina in vnum, vt Ruellius ait, conglobata, non naturæ fœtus monomeres, atq; vniformis, radici similis, sed fructus absolutę plantę radice, fibris, caule, folijs, flore quin etiam constantis; quæ vbi oculis mihi primùm occurrit, Arachidna est visa, non

Theo-

Theophrastea est enim illa (quod notatu per quam dignum arbitror) foliorum expers; non Pliniana, cuius (quod miremini magis) neq; caulis, neq; folium supra terram extat. sed quam ex Hispanijs aduectam narrat Clusius, Americâ oriundam, vbi Papas proprio nomine à Quiti incolis vocatur; Italiæ verò oppidis quibusdam ob mirificam fæcunditatem (nam ad quinquaginta vsq; bulbos ex vnâ stirpe prouenire aiunt) adeò non raram, vt suibus quoq; saginandis, cuius est id animal impense cupidum, pro merendâ sit. vnum in tantâ partium concordiâ disconuenit, quod illius fructus (sic habet ex Hispano autore Ciezâ Clusius) granis sunt referti; quæ huius nostræ fructibus, quantum oculis conspicari potui, non magis insunt, quàm rapo Curij obsonio. Quod & si tanti apud me non sit, vt sententiæ mihi ansam præbeat mutandæ, non possum tamen reticere, quod apud Cæsarem Scaligerum nuper obseruaui in commentarijs in Aristotelem de Plantis, vbi de huiusce generis fœtibus suo more differit subtiliter, allatum sibi tuber ex vltimâ Vasconiâ cyclamino formâ per quàm simillimum, cætera purum putum tuber, quod ipse inter illa numerat, quæ naturæ variantis lusui, nobis sunt miraculo, quales fungi quoq; in Pyrenęis saltibus reperti, antiquitati, vt ipse censet ignotissimi. sed desinam Phormionem agere apud viros istiusmodi rerum apprimè consultos; si prius dixero non videri ad idem genus (quod nemo putat) tubera, & fungos pertinere. nam, præter quam quod ea inter se distinxit, & quidem assertis verbis Aristoteles, cuius apud sapientes auctoritas pro ratione esse debet, cùm præcipuè partes plantarum sint sölum, ac superficies, radix nempè, & quod è radice supra terram emicat: tubera quidem tantùm sine superficie sölum imitantur suo modo; epithymum sine sölo superficiem: fungi verò vtrunq; habent enim, & quod radicis sit loco, & quod eis, quæ de radice pullulant, proportione respondeat aliquâ ex parte.

LAVRENTIO *Regosiæ.*

GRaphicè tu quidem mi Laurenti decerptis hinc inde floribus, est quando etiam encarpis Spartam tuam ornas, quorum tamen pars non exigua ad rem minus facit quæ contenta doceri, ornamenta respuit. Neque tu ideo minori es prçconio dicendus, qui rerum, ac verborum copiâ exundans, ægrè te te comprimis, quin in decliue latiùs ferare: Iuuentus hos quidem tibi hercle facit animos alit ingenij vbertas, lectionisq; quâ polles, omnigenæ varietas. nobis (neque enim nostrum ẽ scalmo in littore reperto, nauem exordiri) pauca sunt pertexenda crassiori filo super ijs, quæ tibi dubiæ fidei videntur, Negas radicem non minùs quàm caput, & manum esse † τῶν πρόςι, euocasq; à Simplicio suppetias milite caligato scilicet aduersùs summum Imperatorem suum Aristotilem, cuius verba aliorsum spectant. At modus, inquit, reperitur aliquis in tam vberi prouentu cogitationum humanarum, quo radix non aliò refertur, sed suo censetur censu, suo stat peculio. Quid ad me? dum alius aliquis supersit modus, & quidem multò quàm prior ille vsu tritior, & in eruditorum sermonibus sanè valdè frequens, quo radix ad aliquid refertur. Hoc non est nostri (ni fallor) argumenti aciem retundere, verùm potius obliquo responsionis flexu declinare. addis tibi non licere tam audacter esse audaci, vt plantarum quadriuio relicto, quod Theophrastus suo olim ingenio, ac impensa secuit, strauitq; subsecuti dein Philosophi triuere, de via in semitam deflectas. amarem istam animi verecundiam tui vel potius religionem, si tibi perpetua foret, nec haud multò postea eundem auctorem, nescio quâ diuina virgulâ immutatus, modò abs te extra omnem reptehensionis aleam sepositum apertè carperes, quòd in fungis semina non viderit. verùm hæc nominum, ac dignationum pondera omittamus

† *Eorum quæ sunt ad aliquid*

mittamus, rem putemus ipſam. Placètne tibi in herbarum tribum tubera, quorum natales controuerſi fuere etiam apud veteres, tranſcribere? valde vellem equidem, quod cupis; ſed rationes erant eruendæ tibi alicundę haud paullo illis fortiores, quas in medium adducis. nam rudimenta naturæ tubera vocare, fingere herbas primùm addiſcentis lepida quidem ſunt, non inficiamur, memoratui, & à Plinio non omnino infeliciter deſumpta, ſed quæ vim perſuadendi nullam habent. quale enim rudimentum illud, oro, fuerit, quod folia, partem herbarum ſpecioſiorem, & quibus illę maximè noſcuntur, ne leuiter quidem deſignat, ne dicam, exprimit? nam quòd ſententiæ tuæ adſtruendæ tubera cum bulboſis generibus herbarum comparas, quibus folia decidunt hyeme rigente, perinde eſt ac ſi parùm diferre putes caluum Myconium à Monaco Carthuſiano ſtrictim attonſo, & ad cutem vſq; aliud ſanè eſt, ni ego potius fallor, nihil prorſus enaſci de radice, quod in plantis Theophraſto ignotum ac indictum fuit, cuiuſmodicunq; illæ ſpeciei cenſeantur; aliud enaſci, ſed ita frigoris iniuriâ areſcere, vt rurſum vere nouo reuireſcat. hoc herbarum: illud tuberum eſt, quę nedum germine, verùm etiam radice carere prorſus aſſerit Plutarchus lib. 4. quæſtionum conuiualium, ea † ἄριζα vocans, atq; † ἄϐλαςα, nihilq; cùm plantis habentia commune. Cætera tua argumenta, quibus tubera plantas eſſe probas, mecum faciunt, qui id ipſum ſentiam: licet nullùm omnino inueniam, qui velit ex quattuor illis earum ſummis generibus Theophraſtæis, tubera vel ad biduum hoſpitio excipere, niſi vì admotâ. poſtremò quod ſcripſi mirari me Scaligerum maiorem putauiſſe tubera non aliter ac mora cortice carere, damnas veluti mnemonicum erratum. Equidem obliuioſam eſſe, cuius iam limen tero, ſenectutem, & fateor, & patior non iniquo animo. neq; ideò minùs arbitror eſſe † ἰζοδύναμα, vt Grammatici loquuntur tubera tota edi ſolita non ſecus, ac

† In fecũda non germinantia.

mora,

mora, & tubera veluti mora, quæ vix tenuissimâ cute muniuntur cortice carere. Quod ni credis, digitos ea conspice legentium haud multo minùs, Hercule, rubentiores, quàm facies Sileni Virgiliani fuerit. Et verò cui non in mentem veniat mirari Scaligerum, quem virum? omissis ficubus præsertim aridis, multipliciq; genere pirorum odoratiorum, quæ tota esse vesca ob cutis teneritudinem nemo est qui ambigat, tubera tandem inuenisse rugosi & praeduri corticis, quæ cum moris, ac fragis compararet. calceato sit gutture oportet, qui id, si expertus tubera irrepurgata cortice vorauerit, non sentiat. verùm de his fortasse plus satis, tibi pręsertim acumine ingenij non minùs, quàm maturitate iudicij præstanti.

EIDEM.

De vesica in ventrę quorumdam piscium inuenta.

DIcam equidem, mi Laurenti, quid de geminâ vesicâ sentiam, quæ in fluuiatilium quorundam piscium ventre reperitur. industriam nostrorum in eâ vestigandâ hominum amplector, quibus parùm fuit Aristotelis, Aeliani, Plinij, Triumuirûm constituendæ Halieuticæ historiæ dictis acquiescere; nisi huic curę sedulò incumberent, vt de suo aliquid afferrent ex anatome nouiter compertum. rationi verò non ita facilè assentior, ob quam à naturâ, quæ nihil agit temerè, fictam arbitrantur, assensurus procul dubio, si quis mihi tui similium scrupulos exemerit, qui in causâ fuerunt, vt in Ephesticorum castra demigrarim. Obseruatum à vobis est non ita pridem vesicam aëre differtam in Tincâ, Scarduâ, ac Lucio piscibus indigenis, dorsali spinæ adhærescere, in duas partes diremptam inæquales, quas tamen ita inuicem cartilaginea fibula connectat, vt arenalis horologij ampullas referant. Quòd ad me vos quidem

dem ipsi detulistis tanquam ad collegium Augurum, scitatum, quid sibi in eâ moliendâ proposuerit natura; crederém ne illic collocatam, ne pisces eâ præditi prægrauante corporis pondere submergerentur, vel potius, vt eâ veluti suspensi enatarent, in aquis expeditius? quod ijs, qui non dum sine cortice nare assueuerunt vsu venire videmus aliquando, cucurbitis, culeisue ad brachia vtrinq; alligatis. ego, qui respondere meditatis vestris percunctationibus prorsus imparatus, inconsultæ plenum aleæ putabam, differri mihi vadimonium in alijs occupato tantisper postulaui, dum rem totam attentiori mecum animo recogito. simul quod deprehensi solent, postquam præsens periculum effugerint, vt auxiliares raptim copias conquirerem ex eorum librorum lectione, qui piscium historiam pertractant haud perfunctorie. quod mihi non ex sententiâ planè successit: mirum enim de huiusmodi vesicâ fuit omnium silentium, vnum si Rondelitium excipias, virum cùm multiplici eruditione perpolitum, tum experientis medicinæ, quæque in opere consistit, consultissimum. Is quod ad vesicę vsum attinet, eadem propemodum, quæ vos nuper in medium adduxit, de situ eiusdem ac naturâ addidit nonnihil, vt doctorem veteranum decuit, & qui maria omnia, lacus, flumina, huic rei intentus Vlyssæo fermè fato circumiuerat. Scilicet præteruesicas fella continentes, in piscibus aliam reperiri plenam aëre, interdum vnicam, vt in Barbo, interdum geminam, maximè in fluuiatilibus. nam & in pelagiorum etiam non nullis visitur, in alijs huius vicè spatium esse inter spinam, & perìtonęum aëre plenum. quorum ego fidem, quia prosecutionem omnis generis, Neptuni pecudum aggredi non vacat, nec, si vacaret, in procliui foret homini è decurijs maritimorum in mediterraneas ac montaneas tribus iam transcripto, penès ipsum autorem, luculentum illum quidem, & facundum deserens, discutiendam mihi rationem sumam, vesicę nobis vsum

demon-

demonstrantem. nempè ne ea præditi pisces submergantur. quæ sanè ratio si de alio animantium genere aeris vel terrarum incolâ nobis ageretur, cui submergi disperire est, locum aliquem esset habitura, nunc vt verear, ne parum afferat subsidij, facit peculiaris piscium diæta, ac consuetudo se se in maris ima, vrinatorum instar, demergendi: postquam in summo ludibundi paulisper innatauerint. quod vt magis obeant ex voto, capita illis naturæ prouidentia effinxit corporum proportione maxima. Sunt enim inter fluuiatiles potissimùm nonnulli, imprimisq; Attilus Padi peculiaris accola, cuius caput, & partes capiti attiguæ, si Cælio Caleagino credimus occulato testi, iam proportionis ad reliquum corpus rationem obtinet, quàm quat tuor ad vnum. si igitur piscium pleraq; genera † νανώδει sunt, &, vt Plautinè dicam, pumilionacea. cuius formę non aliam rationem reddit Aristoteles (cui nunc fasces philosophi cæteri submittunt) quàm vt faciliùs mergantur: si in eandem sententiam it Plinius historiæ naturalis autor grauissimus, ipseq; adeò, quocum nobis nunc res est, Rondelitius in libro de piscibus fluuiatilibus; quid tandem, quæso, causæ naturæ fuit, cur consilij suppęnitens vesicam, ne submergerentur, piscibus assueret, quorum plerisq; ne immersabiles forent, summâ ope cauit, immani capitum mole pręgrauante? præsertim cum ipsis aliâ viâ fuerit consultum, si quando superenatare opportunum foret, id vt peragere possent non in commodissimè, nam cum pisces partim apricationis, animiq; causâ, partim vt latibula, pastumq; parent, quemadmodum terrenæ animantes, huc illuc se transferant, in hocq; maximè differre videantur à Zoophytis, terræ plantarum in modum defixis, pīnę alijs tributę, & squammosis omnibus. alijs latitudo corporis pro pinnis est, vt Raiæ, & Pastinacæ. Buglossis verò, Rhombis, passeribus vtrunq; suppetit, nam & pinnis, & latitudine feruntur, plerisq; à vario flexu corporis mobilitas, vt

† Nana.

Con-

Congro, Ophidioni, Murenæ. quibus notis non modo in aquis suspensi permanent, cùm se dat occasio, verùm volant etiam nonnulli, & quidem telo ocyùs, quos inter Miluago, alati mugiles, Hirundo ad lapidis vsq; iactum aërem pinnis tranans aliquando, vt opus non fuerit auxilio vesicę in vno, aut altero pisce minorum gentium, cuiusmodi vulgi opsonia Tincę, & Lucij habentur, qui nec pinnis carent, nec ob carnis, aut nimij adipis saburram, nouo machinarum molimine erant suspendendi. cùm Thunus prægrandi corpore, & qui nomen à celeritate impetus inuenit, nec multis eo minor partibus Delphinus, absq; vesicâ volucrior auibus euadat, Troctęq; ipsę, Salmonesq; item fluuiatiles contra aquam se ad fontes efferant aduerso flumine, pinnis solummodo innixi. Quæ prout longiores sunt, & membranis valentioribus contextæ, ita pisces motui reddunt aptiores. Cùm itaq; nec demergi piscibus insuetum sit, nec exitiale: sed solenne potius, atq; translatitium; suspendiq; eos in aquis expeditius, non ad Tincæ modò pertineat, Lucijq; rationes, sed ad omne genus aquatilium, quod in udo degit, ecquænam ista improuida fuerit prouidentia naturæ, si vesicę id leuitas præstaret, voluisse tribus, aut quattuor speciebus piscium consultum, reliquosq; susdeq; habuisse, & numero, & censu potiores? latiùs huiusce rationis, quæ affertur, ambitus pateret, si de veritate aliquid traxisset, quàm vt tam angustos intra fines coërcendus foret Tincarum atq; Luciorum. nam quod aiunt, marinos pisces haud ita facilè demergi, ob humoris pelagici crassitiem, ideòq; vesicas eos subleuante non indiguisse, eisdem videtur esse in erratis, etiam si hipotheci minime falsâ subnitatur, marinę scilicet aquæ crassitudine. vesicam enim in nonnullis pelagicis obseruauit Rondelitius, maximeq; in Pagro; in alijs verò quibusdam vesicæ spatium analogum, aëre differtum. Quod sicuti eorum argumenti vires nimiùm eneruat, ita cum huiusmodi

Aa coniun-

coniunctum appendice non omni piscium generi, quod flumina lacusq; incolit, vesicam ventri adpressam, atq; applicatam; mirum est quàm omnem illi fidem omnino eleuet. quò enim marinos pisces à fluuiatilibus tanquam cancellis quibusdam inter se dirimere, quibus ob aquæ leuitatem, cui incidunt, vesicam tribuas, si eorum planè perpauci, imò penè nulli, vesicam, nè dum omnes habent? nec adrenum ea careant pelagici? + ἀσυλλόγιστα hæc mihi surgunt, ac + ἀπροσδιόνυσα, vesicam non omnes, non plurimi, non deniq; pars eorum quotacunq; habent, quibus inesse deberet ex istorum præscripto. eandem nonnulli ex his pisces habent, quibus non est opus, si vera sunt, quæ isti afferunt. alius ergo est comminiscendus vesicæ vsus, quàm sit natatoriæ cucurbitæ. quâ cum illa nihil habere commune (similitudinem si rectè compares) facilè cognosces. nam piscis primùm vesicula illa digitalis visceribus est sic agglutinata, vt ab ipsis obruatur vndiq; atq; opprimatur. cucurbitę verò extra corpus natatoris superfluitant: quod quanti momenti sit, nemo, opinor, non videt; modò mechanicarum subtilitatum non omnino rudis, quæ docent in contralibramentis, ac retractionibus, externum esse agentem oportere, scitâ in id pollicitatione Archimedis orbem se iactantis loco dimoturum, si extramundani spatij aliquid daretur, vbi vectem, & hypomochlium aptaret: quod illi vnus virorum Epicurus in intermundijs suis erat præstiturus non grauatè, si resciffet. omitto similitudinis in eo quoq; dissimilitudinem, quod cucurbitarij, quos exempli gratiâ inducunt, natatores, vt primùm sine cortice nare didicerunt, adiumenta ista extranea abijciunt, impedimento ipsis potius futura, brachiorum agitationi, & totius corporis flexui assuetis. pisces, ex quo illis in lucem editis natura natatûs instrumenta simul ac præcepta dedit, nunquam tyrones eius artis deprehenderis. quòd si vrgere pergas piscibus non omnino inutile futurum aliquan-

+ querum ratio iniri non potest.
+ absurda.

quantulum äeris congeniti, cuius ope ex aquâ emergere, ſuperneq; eminere queant, præterquàm quod tibi fruſtrà erit laborandum in veſicis in omni genere piſcium ſcrutandis, illud quoq; ægrè à nobis obtinebis contento in veſicis äere illum non aliquanto ampliorem eſſe, qui caua replet conceptacula piſcium corporibus interſita. cuiuſmodi ſunt venter, & ventris in pleriſq; omnibus multiplex appendix cum ſpatio inani veſicę æmulo, quod Rondeletium in quibuſdam obſeruaſſe admonuimus; nec nobis integrum eſt vacuo id refertum opinari, niſi prius expungi nos ex Ariſtotelicorum albo patiamur: quibus piaculare facinus fuerit tale quid proferre. Anguillas certè demortuas ob id potiſſimùm non ſuperfluitare ait Ariſtoteles, quòd cauitatem ventris habent perexiguam, in qua parum quoq; ineſſe aëris ingeniti neceſſe ſit; quid igitur de totâ cauſsâ tu ſentis, inquies? dicam equidem verecundè tamen, & cunctanter, nec niſi ad aurem, ne quis eorum, qui quidpiam Epiſcopum neſcire nefas putant, quem vnctio omnia docuerit, excipiat. In quo à vobis diſsẽtiã, abũdè habeo: quid ipſe ſentiam non item; niſi fortè quod Magiſtri ipſi Peripati elegantiores de Cerui cornibus, marium mamillis, & (ne longè nos à mari abripi ſinamus) de lapillo ſentiunt in capite Lupi, Auratæ Phycidis inuento: quem Ariſtoteles ſibi apprimè notum, annotatumq; in hiſtorijs non indiligenter, vbi de partium quaruncunq; animantium vſu, naturæq; in his elaborandis ſolertiâ diſceptare cœpit accuratiùs, ſuſpenſo quod aiunt vomere præterijt, expectationem non minùs noſtram, quàm ſua pollicita fruſtratus. credo, quia religio inceſſerat virum nihil non ſcire profitentem, eò deuenire loci, vnde ſibi de ſalebris euadere facile non foret, niſi dignationis maximâ iacturâ, quæ non perinde in ſilentio, cui non vna excuſatio obtendi poteſt, ac in hæſitantiâ periclitatur, abſurdaq; cauſæ aſſignatione, quæ ab ipſo quantum exagitari ſoleat, in alijs ad deriſum vſq; nemi-

nem eorum fugit, qui vel pagellam eius operum versauerint: nos vnico contenti erimus exemplo, quia mirè ad rem facit. Inquisierat Plato in Timæo nimiùm anxiè atq; diligenter felleæ vesicæ vsum, in eamq; venerat sententiam, vt crederet fellis aspergine iecur, concupiscentiæ sedem, comprimi, ac veluti morsicatione quadam excitari, ne voluptate continuâ flaccesceret, ac resolueretur. quod Aristoteles eò improbat potissimùm, quia animalia multa concupiscunt, quæ felle careant. multa itidem acutis febribus, pulmonumq; inflammationibus tententur fel non habentia, cui morborum istiusmodi peculiarem causam Anaxagoras attribuit, errore nihilo minore, quàm Plato in indicatura causæ deceptus, cùm fel nullum in plerisq; sit, in quibus tamen easdem affectiones videas, quæ felli amarori adscribuntur, non ob id planè à naturâ conditi, sed tantùm vt esset excrementi loco, vel colliquamenti propter corporis vitiatum habitum. non enim vt in scholis loquuntur, omnia fiunt alicuius gratia, sed pleraq; ex materiæ necessitate, quorum causas rimari velle scrupulosiùs nihil aliud esse, quàm nodum in scirpo quærere, ac extra rationis septa non sine ratione aberrare. Talia fermè refert summus Lycæi præceptor in Libro IV. de animantium particulis, vnde non deuium foret coniecturâ assequi, quid ipse de vesicâ aëre plenâ sententiam rogatus responderet iuxta doctrinæ Peripateticæ principia, quibus magis consentaneum videtur conceptaculum ipsam esse materiæ in corpore piscium colliquescentis, seù potiùs, si dicere fas est ad Græci sermonis regulam, aërescentis. quod raro in flatuosis hernijs contingit; in fellis verò folliculo solenne est, licèt humor ille crassior sit aëre: quod non tanti autumo fuisset, vt Aristotelem de gradu sententiæ deijceret proprijs positionibus innixæ. de nobis alia est ratio, qui præterquam quod alienas theses non tuemur, nec animi credulitatem nostri, assertionibus diuinis iure mancipatam,

tam, ad philoſophorum dictata detorquemus. ne id quidem, quod ex Ariſtotele deduximus, omni exceptione maius arbitramur, ſi ad Critolai libram fuerit expenſum; id quod exequi minimè pigebit, ſi res feret, dabiturq; otium huiuſmodi curis indulgere. Interea pauca hæc leges epiſtolari conſcripta charactere, quem in non abſentes quoq; vſurpari ſolitum Augusti exemplo declaratur, Liuiam ſuam non aliter plerumq;, vt Suetonius tradit, alloquentis, & ſi in eiſdem, quibus ille ædibus commoraretur. His à me hunc in modum exaratis, comperiſſe vos anatomes ope nunciaſtis, idq; oculatâ fide, Scarduam emortuam, ſi ei veſica ventoſa eximatur, aut perforetur, continuò demergi, qua tamen ſuper enatet incolumi. quod non tale eſt, vt eò me loci adigat, vnde effugere non poſſim, niſi velim nolim fatear ſupernatationis cauſam veſicam eſſe. nam & in aquis fluitare, non Scarduæ modò, verùm etiam reliquis fermè quot ſunt piſcibus exanimis, veſicâ quoq; carentibus, commune eſt. & demerſio non eo potius ſubſequitur, quòd veſica aut perforetur, aut eximatur, ſed propter corporis diſſectionem, per quam interaneæ concauitates accipiunt inimicum imbrem, rimiſq; fatiſcunt; hæc diſſectio ni foret, Scardua non magis veſicoſa fluitaret mortua, quàm veſicæ expers.

Eidem reſpondet.

NIſi ita eſſem à teneris affectus erga veri veſtigandi ſtudium, vt victoriam, vel ouatione dignam reputarem aliquid addiſcendo ab his vinci, qui potiora in medium afferrent, iure nunc hercule ac meritò crabrones me irritaſſe quererer, qui velitationibus meis perfunctorijs, atq; imbecillis validos in me lacertos, confertámq; telorum nubem concitarim. ſic enim mihi vocare libet argumenta omne genus, quæ tu mi Laurenti, ex armamentarijs deſum-

deſumpta Philoſophorum, atq; Medicorum meę ſententiæ oppugnandæ admoues, contorqueſq́; adeò pancraticè, vt me iam vix Aiacis clypeus tueri poſſit omnia tentantem: atq; vtinam ne fruſtrà, aut ſi fruſtrà quidem, ſicq́; Marti placitum, at ſaltem cum aliquo fructu diſciplinæ, poſtquam neq; flammę lux aliter, quàm conflictu igniariorum, nec abſq; altercatione veritas excutitur, ſcito in id Gręcorum dicto † παθήματα ἡμῖν εἶναι ταμαθήματα. Sed pręſtat tela emiſſa recolligere, vt ſi quid eorum nequicquam clypeo pependit, id è diſciplinâ militari retorquere poſſim. Arguis argutè veſicarios piſces eo præ cęteris adiumenti genere indiguiſſe, quòd eorum corpora, quàm cæterorum omnium ſint compactiora, ac terreniora, ego ſic redarguo. Lucium, veſicâ præditum, nimis confidenter dici piſcium grauiſſimum, noſtratem præſertim illimium amnium indigenam nam de lutario illo Auſonij non loquor. Idem iudicium de Pagro, quem cùm tu Mulo per omnia ſimilem efficias, Galeni ſententiam ſecutus, veſica quoq; aſſuenda illi per te fuit: nec alia planè de aſellis ratio, quos qui viſcoſos, atq; duricarnios appellat, is mihi videtur palatum ſuum non conſuluiſſe; nam quid ego de marino Gobio, quid de Troctâ dicam? quæ ſi veſicæ non expers per peritos anatomes renunciatur, quàm vereor, ne poſitionis tuæ fundamenta funditùs conuellat. illud primùm, ſi quid ego iudico, erat euincendum inductione per ſingulas piſcium tribus ductâ hoſtiatim, veſicam niſi in pituitoſâ carne præditis reperiri nuſquam; quod quàm tibi non facillimum futurum ſit, tu tuo periculo ediſces, ſi rem pertentaris. Ego certè ex multorum ſermone compertum habeo ploroſq́; omnes piſces Ponti accolas, qui non niſi ſaliti ob carnis craſſitiem, ac viſcoſitatem veneũt in hichthyopolijs, ex eorum eſſe genere, quæ carent veſicâ. nam in Scombro, Anguilla, Sturione ipſo, quem quo nomine Latinè vocem, adhuc quæro res eſt apertior, quàm vt peregrini viſoris operâ indigeat.

† Piſcarijs Varron.

Mulus

Mulus verò, qui per æstatem in æstuarijs Veneticis capitur nõ infrequens, adeò est muco, lentoreq́; grauis, vt lutum cœno mixtum non sapiat modò, sed redoleat. quam ob rem cùm nec idiomata, quæ vesicosis piscium generibus attribuis, illis solùm quadrent, itáue sint inter se similia, vt non multis in rebus differant, agilitate nempè, formâ corporis, naturâ: alia est nobis via munienda, quàm cui nunc insistimus, in omnia alia, quâm ad caussæ inuentionem, perductura. nam quod ais non omnino parem esse rationem vesicarum fella continentiũ cum his, de quibus modò disceptatur: ne nos quidem id inficiamur, qui illarum exemplo non ad similitudines inter eas comparandas sumus vsi, sed vt eodem argumenti genere positionem oppugnaremus tuam, quo Princeps ingenij, ac doctrinę Aristoteles Platonem, atq; Anaxagoram refellit: in reliquis si quid felli deest ad probandum piscium aëre plenas vesicas non alicuiùs rei causâ, sed ex necessitate materię creatas, id sanè, quod è lapillis in quorundam piscium capite repertis à nobis petitum est exemplum, suppetet abundè. qui sanè lapilli non huic modò pisci, illi minùs insunt, sed omnibus, qui eiusdem sunt generis, ex æquo. idem à me dictum reputato de piscium prægrandi capite, quod non eò vergit; vt omnes ad vnum pisces in capitonum numerum reijciam, aut pumilionum. non ea mens animo, eáue oculorum hebetudo fuit: probandum tantummodo desumpseram mersionem in piscibus non ita exhorruisse priscos autores, qui capitum granditatem eò plerisq; illorum à naturâ attributam dixerint, vt mergerentur expeditiùs. Vesicas quoq; piscium extrinsecus alligari debuisse dixi, eorum sententiam redarguens, qui illas suberis, vel cucurbitarum loco esse voluere. quasi verò pisces, ex quo nati sunt, natatoriam artem edocti à naturâ, nondum sine cortice nare edidiscerint. Et de tuis quidem in nos argumentis hactenus, quorum si aciem minimè retudimus, quid mirum? cùm

cùm tu quidem in tuo foro litiges, nos palęstra longè alia exerceat quotidie. cui tametsi curam, studium, cogitationem deniq; nostram omnem debeamus, præstemusq;, quoad eius fieri potest non indiligenter, fit tamen nescio quo pacto, vt ad Medicas istas vestras diatribas diuertamus aliquando, tuis omnium horarum allocutionibus: est quando etiam scriptionibus allecti; his enim efficitur potissimùm, ne nos longa istiusmodi rerum capiant obliuia, quas ne à nobis parùm accuratè lectas causeris, nonnulla præterea notauimus, quæ si operæ pretium videbitur, tecum recognosces. Piscium grauitatem leuitate aëris vesicâ inclusi magis quàm infusi per caua corporis sustentari asseris, quod hic liberiori discursu dissipetur, ille in se se compactus, atq; conglobatus, sic enim ais, fiat efficacior, quasi aër, vt suæ leuitatis vires exerat alacriùs, conspissatione indigeat vllâ, vel compressione. nec potius illi comprimi, densariq; idem fermè sit, atq; è naturâ propriâ excedere, vt videre in fumo est lebetum feruentium operculis adhęrescente paulo compactiùs. hoc ego qui nouerim ventos ab Aeolo Homerico huiusmodi rerum non planè ignaro, in culeum consutos nihil eorum moliri potuisse, quę ad ventos pertinent: solutos continuò per auras egisse, rapuisse omnia, dubito ne quid scrupuli injciat peruicacioribus, & qui altercandi studio ducuntur. sicuti illud, vbi dicis, piscium corporibus plus inesse aquei elementi, quàm terreni. Vidimus non semel marinarum belluarum ossa, quæ Gigantum esse falsò credebãtur; legimus quin etiam Balenas scopulis æquatas à quibusdam, nec rarò etiam reuulsis cycladibus, non paulo vt mihi videtur veriùs, quàm à Virgilio naues, tanta eorum soliditas, tam vasta, atq; immanis magnitudo. sed quid ego cete, piscesuè memoro, Æsopi patinâ maiores? vel in ipsis aquis tam exiguis, tamq; ferè nullis terræ aquam prędominari nullus vnquam credidi, nec verò in posterum credam, nisi tu priùs persuaseris.

ſcris. quod etiam ſi tibi eſſet obuium futurum, rationibus tamen tuis minimè omnium conduceret, quarum è re foret plumbeos eſſe piſces, ne dum terreos, vt quo grauiores eſſent, eo magis veſicæ egerent adminiculo. Sed nos in præſens veſicarum cauſam, tam diſertè, ac mirificè à te defenſam non ſuſcipimus, ſententiam tantummodo rogati. quam ſi ſecunda admurmuratio ſequetur, retinebimus, quoad libertati philoſophicæ intererit: ſin minus, in caſtra tua nos conijciemus transfugarum more. quod tamen ante nõ facturi ſumus, quàm tu rem accuratiùs examinaueris non tam ad rationis normam, quàm anatomes † ἀκρίβειαν. nam, vt nunc ſe habet, aqua mihi, quod aiunt, adhuc hæret, multis hinc inde difficultatibus mentes diſtrahentibus, quominus à perquirendi labore conquieſcat. niſi tu fortè putas (quod & non obſcurè innuere videris) quia, quem ad vſum veſicam finxerit natura, non dum liquet, iccircò neceſſe nobis fore illis aſſentiri, qui contendunt eam appoſitum quiddam habere ad piſces in æquoris ſummo ſuſtinendos. quod ego non eſſe tanti autumo. quid enim? ſi vſum eius ignorari dixero? quæ ne nunc quidem de facie niſi admodum paucis eſt nota, ante verò Bellonium, ni fallor, nemini. Is enim inſpector primus fuit, dum Adria, Ionio, Ægeo, Pamphylio, Boſphoro tranſmiſſo, admiranda perluſtrat marium, atq; terrarum Orientis homo Celtogallus. ab illo poſtea Rondelletius accepit: ab hoc vtriusq; cornicula Geſnerus. tantúm ne igitur crimen fuerit, tam piaculare vix omnibus vndis expiandum, ſi iſta nos homines natos fugiunt, quibus noſtra quoq; ignorantia neſcitur? ad multò clariora, quàm hæc ſunt, & quæ quotidie oculis occurrant, caligamus. cœlum ne ſtet, vnde ſemina vitæ haurimus: terra parens, vbi degimus, an circumuoluatur, ſunt adhuc qui ambigant: & nobis incutiet ruborem profiteri, mente non ſatis aſſequi, quorſum bulla turgeat, viſceribus non nullorum piſcium incluſa? quæ non à me idcò dicuntur,

† Exactā diſcuſſionem.

tur, vt cursum ingeniorum laudis amantium inhibere velim, quominus equis, velisq; ferantur ad arcana naturæ vestiganda. non ita malè de studijs sum meritus; sed vt paucis declarem dubitare de singulis vtile videri, morisq; ingenui plenissimum; scientiam earum rerum vendicare, quæ nondum nobis liquidò constiterint, non item: qua in re quàm mirè inter nos conueniat, argumento sunt postrema illa verba scriptionis tuæ, quæ ad omnigenæ eruditionis lauream pręclaro tibi labore comparatam, lemniscos mihi adijcere videntur modestię præstantis, philosophoq; dignæ verecundię: quâ fit, vt qui facundiæ vi polleas quàm plurimum, & te mutas artes agitare dicas, & nobis tantum tribuas, quantum neq; noster pudor, nec obtrectatorum liuor erit vllo vnquam tempore laturus.

EIDEM.

TV quidem paradoxum putas piscibus plus terreni elementi, quàm aquei inesse: quòd vita in humido consistat; ossa sensu careant, sepulcralisq; cinis vix octogenam partem cinefacti corporis exæquet. Ego contrà te veram, ac integram sententiam incrustare arbitror, in eaq; quod ipse domo attuleris, damnare. tuum si quidem est, quod nos elementum aqueum vocauimus, humidum trasnominare: nisi tu nihil differre putas, humidúmne, an aqueum dicatur, omnesq; omnium generum humores ad elementum aqueum, quod ne humidissimum philosophi agnoscunt, refers nouus Thales, qui non aliunde principia rerum omnium petebat. Longe aliter se re habet mi Laurenti. humoris ambitus latiùs se porrigit, quàm quò aqua ipsa peruenire possit: etiam si nouo cataclysmo aditum aperias. Asclepiadę tui, quorum te edictis iurisiurandi religio obsequentem reddit, ex quattuor humoribus animantium corpora compingunt: quorum humorum nullum, si phleg-

phlegma excipis, ad aquam referunt, terrę verò, quicquid in corpore solidi, quicquid ossei fulcimenti est, quod scire te puto, quàm nõ sit exiguum, pręter bilis, & sanguinis crassiores partes attribuunt. Cùm igitur vobis hæc sciscentibus, phlegma elementum aqueum præseferat, atra bilis terreum: in eoq; par penè sit amborum ratio: si terræ superpondij loco ossa quantacunq; sunt, adiudicamus, quis nisi Aquario astro genitus mirabitur, in viuis corporibus non aquam, sed terram primas obtinere? vitam in humido consistere, non obtusa adeò gestamus pectora, vt inficiemur: quod tamen si tu aqueum edixeris, medicos ad vnum omnes collegas tuos, ne dum philosophos, tacitos non feres, quorum quænam sit de semine, atq; humido primigenio sententia, quàmq; ab aquæ natura dissentanea, nec te credo fugit, neq; nos vti centones consuamus, ista scribimus. ossa, reliquaq; omnia apprimè sicca sensu penitùs carere iuxtà verum esse, ac nihil ad rem facere fatemur. De rogali cinere vt Licetum huc aduoces, causę non est, cum frustrà exemplo rei nemini non cognitę vtaris, & cui, si credulus fidem adhibere porrò pergas, negandum tibi sit omnino vel ligna ipsa querna in se plurimum continere terreneitatis, ex quorum conflagratione cinis, qui fit reliquus, ne sextulam quidem pendet lignarij ponderis totius. Non enim quicquid in ligno terreni est, omne in cinerem collabitur: sed partem eius haud modicam fumus secum effert, parietes fori infecturus. Verùm hæc tu meliùs, qui experientis philosophiæ abdita rimaris. Nobis satis fuerit sententiã nostram paucis pinguiori Minerua explicasse.

BERNARDO A COLLE MEDICO. *Venetias.*

LAurentio nostro succenserem, quòd is, quę non ita pridem familiari stylo sibi, & mihi de vesicâ piscium plenâ inanitatis exarabam, clam me Venetias trasmiserit: nisi

constitutum haberem nihil eorum, quæ ab amicis bonâ fide fiunt, duriùs accipere, quàm leges Iouis Philij permittunt: præsertim cùm ad te ea mitterentur, cuius ego & amorem expertus amo vehementer, & iudicij candorem facio quàm plurimi; quorum altero scriptorum nostrorum te lectorem non iniquum fore sperabamus, altero plus æquo etiam fauentem. verùm cùm quicquid illud est libelli, liberiùs istic per eruditorum manus peruagatum inaudiuerim, suspicio mihi est oborta, ne cui cupido incedat eundem locum pertractandi accuratiùs: quod sicuti per mihi gratum futurum est, ita nihil minus malim, quàm nequis aliorsum verba mea accipiat, quàm à me sunt dicta. nihil ego in eâ disquisitione, mi Bernarde, statuo, nil tanquam arbiter honorarius definio, sed tantùm (qui mos Scepticorum fuit) in dubium ab alijs definita reuoco, ne ijs viderer assentari, quorum opinione dissentirem plusculum. id fuit, cur ego paucas illas paginas illeuerim, argumentis hinc inde ex occasione arreptis, quibus, quantum in me foret, declararem nondum os è puteo Heracliti veritatem problematis illius extulisse. porrò incumbendum operæ pro virili istiusmodi rerum studiosis, eius expiscandæ. quòd quàm non insolens fuerit veteribus illis, vnde nunc philosophiæ dogmata petuntur, satis magno argumento esse possunt, vt alia omittam, Methaphysica summi præceptoris, in quorum primo, tertioq; in primis quæstiones quæstionibus glomerantur adeò, solutionem maximâ ex parte nusquam habituræ, vt manifestum appareat illius viri mirifici acumen, quo tantum se iactat Græcia, subtiliùs veritatis vestigia perquisiuisse, quàm adinuenisse; collimare quidem paucis concessum: neq; ideò cuiusuis est ex arte sagittariâ iacere ad scopum, de singulisq; dubitare non inscitè: quando nisi cum curâ quæsita res inueniri nequit. Mihi igitur non infimæ laudis erit loco, si cotis instar secandi prorsus expertis, aliorum aciem acuerim; modò nequis putet

tet me affirmabundum aliquid dixisse, aut eius sententiæ fuisse, quam ab Aristotelis philosophandi instituto propius abesse sum testatus. aliud est, quid cuiusq; principijs consentaneum sit, quærere; aliud aientibus verbis quidpiam inducere, quod sententiæ loco astruendum sumas. in illo ita me versatum fuisse fateor, vt negem vllam seu propriā, siue alienam thesin acrius fouisse, sed potiùs sermonem sic à me institutum, vt quid in alijs leuiter probarem, paucis exponerem. hinc illa de contralibramentis, quæ eos tantummodo respiciunt, qui pisces natatoribus comparant cucurbitarijs: nec aliò referri debent, si qua nobis de fellis vesicâ disputantur, quàm vt Aristotelicę rationem methodi ostenderemus, quâ ille in re non omnino absimili est vsus. aliorum quoq; fermè par est ratio, quorum in ea commentatione fit à nobis mentio. quæ cùm ità sint, eos ego oratos velim per te, quos istic eadem cura distinet veri vestigandi, vt si nostra tanti esse duxerint, quorum inter scribendum meminisse operę sit pretium, non aliter id faciant, quàm supra à nobis est præscriptum, nihil scilicet præter dubitandi libertatem, tanquam peculiare dogma nobis tribuētes. quod si, te præsertim suasore, potiorem à me inire gratiam maluerint, easdem dubitationes, quæ sibi fortasse succursurę erant, etiamsi nostra non legissent, agitare poterunt nobis prætermissis; qui, vt Lucilius olim Cosentinis suis, hominibus tantùm nostris illa scribebamus. quod minimè omnium te fugit, qui scias quàm arctâ custodiâ † συνταγματα cohibere nostra soleamus, ne quò pedem efferant è Musæi limine sine commeatu: quem illis morosè nimis, nec ante nouennale spatium temerè concedimus. Hęc de re leuicula verbosiùs fortasse quàm par erat: sed me dulcedo quædam tecum colloquendi sensim à Laconismi littore abripuit in altū ęquor Asianæ † πολυπραγμοσυνης, ac garrulitatis. Bibliotheca nostra valde tibi debet, nosq; eius nomine, qui eam & quàm instructissimam impensè cupimus,

† Commentaria

† Curiositatis.

mus,

mus, & verò speramus tuâ freti diligentiâ, ac sedulitate. Vale mi Bernarde, & meæ absentis memoriæ dare operam, vti facis, perge. Laurentius noster solertis Medici, pariter & gnaui mariti obit munia mirificè Hygeiâ, & Iunone pronubâ fauentibus. tu qui Hymenillum concinere præsens noluisti, Genethliacum iam per otium meditari poteris; ne, cùm tempus aderit, in morâ sis. atquî, inquis, possim, nisi priùs Caldeos consulam de fęturæ genere? equidem huius tibi rei auctor non sum, præsertim cùm eam † αδιαφοριαν in carmine seruare liceat, vt quicquid nascetur denique, id ei examussim quadret. iterum vale, & fide, quæ in te est summa, athleticè valentem mihi fratrem redde: hoc mihi gratius facere nihil potes. Belluni idibus Septembris.

† Indifferentiam.

LAVRENTIO REGOZÆ *Medico Belluni.*

De die Cinerali, & Jeiunij nostrorum temporum luxu, & saturitate.

PAucis me philosophari cogit, vel mirari potius ingenij humani inconstantiam status Sacræ Ecclesiæ, solemnisq; ritus quotannis recurrens in hunc diem. Cineris exigui super capita iniectu feruor ille resedit animorum, qui omnes velut æstro percitos in insanas furias agebat. redit bona mens pudore comitata liberali, excessura rursus, cùm Ianus licentiam reuoluto anni spatio reducet, iusq; nequitia dabit nouus Prætor. adeò desipimus sapimusq; alternis, prout vsus iusserit, qui nos ratione iam explosâ regit pro arbitrio. Ieiunium resumptum, quod non frugalitatis amor, verùm fastidientis stomachi cruditas inuexit, pro pharmaco saturis futurum crapulæ excoquendæ. quod dum fit, interea epulę quęruntur, quàm priores illæ fuerint, tanto lautiores, quanto piscium esus non erudito Apitiana-

tianarum artium palato gratior habetur. nam Neptuni pecudes præcipuo in pretio, honoreq; apud veteres fuiſſe norunt, qui aliquam dipnoſophiſtices partem attigere: noto in id conuicio elegantiorum aduersùs Agamemnonis commilitones, quos rudis gulæ fuiſſe, ac agreſtis vel inde arguunt, quòd Helleſponto nobilium piſcium altore claſſibus per integrum decennium inſeſſo, bubulâ, & eâ quidem aſsâ abſq; vllo embammate ſint paſti. Verùm nos exempla minimè moramur, quotidianâ experientiâ contenti, quæ nunquam ſecum agi beatiùs fatetur, quàm cùm aquatilium eſcis lances inſtruit. huius ego prolato teſtimonio noſtrorum hominum præpoſteram vrgeo intemperantiam, qui quo maximè tempore eſuriales ferias agere deberenr, eo ſe ſuamq; cutem curant accuratiùs, conquiſitis vndique edulijs cupidini nobis ad nequitiam inſitæ faces admouentibus. vnde animum ſubit ſubuereri, ne ciborum iſte delectus, ciborum quidem omnino delectus ſit, ſed opiparorum, & qui cariùs in piſcatorio macello veneunt; cùm neminem eorum lateat, qui modò inter vrbanas tribus cenſeantur, trilibrem Mulum pluris quam vitulum, aut eius parentem bouem, & quidem aratorem conſtitiſse multis, conſtareq; plurimis; ne putes degenerare ætatis noſtræ Neoptolemos à maiorum ingluuie ac guloſitate. accedit ad pulpamentorum Sybarin vini vſus largior exotici, varij, generoſioris. quòd opinio iſtiuſmodi nepotum mentes occuparit, fortaſse haud fallax, piſces in ventre, quippe ex aquis genitos frigere, niſi plurimo mero concaleſcant. cuius & rei cauſsâ eis ſpecierum aromaticarum vim inſpergunt perquam dapſiliter, quibus non tam cibi frigiditatem corrigant, quàm innatum condiant ſaporem, orexinq; vel torpentem excitent mirificè. nota ſunt philologis, quæ de id genus ſcitamentis Cicero conſcripſit, ſuo periculo edoctus. nam cùm is lege ſumptuariâ Cæſaris vigente apud Lentulum augurali epulo cœnaret, fungis, he-

luellis,

luellis, oleribus, quæ erant lege exceptá, ob idq; lautioribus suauissimè condiri solita, se auidè adeò impleuit, vt in diarrhœam inciderit, morbum edacitatis proprium, & quo male Epicurum, quòd esset ei obnoxius, Stoici accipiebant. quę cum ita sint, neminem non videre arbitror, quantas vires condimenta habeant etiam insulsis per se rebus, quales herbę habentur, prataq; illa Plautina patinaria, ne dum dapibus ganeatis, & quæ Ædilem timent, superaddita: nam de vino quid attinet dicere solutæ in omne scelus lætitiæ datore, Veneris parario? cuius est opus præcipuum malorum omnium ebrietas, quæ mentem poculis mersam sic dementat, vt suo munere fungi minùs queat, quàm Homericus Polyphemus Cyclops, postquam epoto Maronei vtre lumen, quod vnicum habebat, perdidit. fallor? an Baccho cum ieiunio tantumden conuenit, quantum cum balneo cani? nisi eo permodico vtamur, pro medicamento ob non satis firmam valetudinem; quæ Pauli pręceptio est non ita per interpretationem peruertenda, vt non nemo facit, quasi modicum non mensurę modum, sed vini patriam, genusq; denotet non secus, ac si Mytileneum dixisset, aut Chium. Poculum cum fletu miscentem Dauidem cùm audis, credo, nisi es Exocęto similis, qui cor in ventre gerit, sat intelligis, cuiusmodi calices se se ob commissa piacula afflictantibus conueniant. Minutos quidem pisciculos, Terentianæ quoq; scenæ non ignotos ieiunij tempore homines frugi, & antiqui moris retinentes esitasse legimus: contra verò immanis pretij ponderisq; pisces, & à quibus rescire aliquid potuerit Philoxenus de suorum naufragio, Saliaribus cœnis seponi solitos, in quas à coronatis ministris tamquam Accipensere dignatione non inferiores inferrentur, fistulatore modos faciente. Non alienum à loco, quem tractamus, fortasse fuerit paucis complecti, quod duobus Monachis accidisse ferunt ex eorum numero, qui Numini militantes, nostrorum castra secuti fuerant

Sala-

Saladino Syriæ Sultano bellum religioni votum inferentium. Hos exercitu pio profligato in potestatem hostium redactos Sultanus, vt erat miti ingenio Princeps, cùm ex ipsis de suo sodalitio, et uitę, victûsq; genere priùs accepisset, à captiuis reliquis diremptos in liberâ custodiâ benignè habuit, nisi quòd mutatâ prioris diœtæ ratione pro pisce, cui assueuerant, carnem eis apponi iussit enixè primò renuentibus, verùm ad victoris iussa relanguescente sensim pertinaciâ, necessitati denique parentibus. cibus erat ex præscripto simplex, nec magis paratu, quàm confectu facilis ex iusculo caro vitulina fami non superfuturus: poculum ex Isräelis fontibus petitum: bellariorum loco geminæ proiectæ procacitatis meretrices ad labefactandam ipsorum castitatem accersitæ. quod tantisper illis frustrà fuit, dum mutari prandij scenam Sultano libuit, & pro carne elixâ, multiplicem importari piscem, magno emptũ, nec minori condîtum: pro frigidâ è profluente haustâ nectar viteum, atq; † ἀνθοσμίαν. tum demum labare cœpit hominum constantia, per vinum & pisces postremò à Bacchidibus illis expugnata. quò sanè successu sicuti Saladinus lætari potuit, cui religio nostra ludus fuit, ita nos oppidò docemur abstinentiam ab esu carnium nobis summa cum ratione sacris à sanctionibus præscriptam salutarem fore, si viribus cum frugalitate sociatis caueat, ne sibi à luxu imponatur, qui non minus sub Accipenseris, quàm Phasiani patinâ latêre solet, ne ve fraudi sit solemnis proscriptio cœnarum, vbi earum vicem subeunt bellaria, quæ instar cœnarum quantumuis dubiarum esse possint etiam famelicis, ne dum prolato in longum prandio distentis. Sacchareas ego paraturas fructuum, nucleorum, seminum, omnigenis acetarijs, oliuis, ouisq; salitis piscium permixtas nunquam, si palato sapiam, inter ea numerauerim, quæ ieiunantibus iure permittuntur, antequam cubitum eant pro somni breuis commeatu. qualis esse olim solebat buccel-

† Odoratum vinum generosumq;

lati frustum, aut vuæ passulæ racemulus. Verùm iam censurarum satis, nisi potius, vt præsagit animus, nimio plus satis apud eos, qui dies afflictationi corporum decretos geniales reddunt per intemperantiam: cui si neq; diuinæ leges, nec humana iura fibulam innectunt, cuius quæso tandem temeritatis fuerit, modum dictis imponere sperare? exempla vix medius fidius aliquid proficerent adductæ ob oculos præcipuę alicuius virtutis, atq; sanctitatis, præsertim vbi vitium legis obtentu fetuetur, quasi carnibus interdictis cętera permittat. Hæc enim est in ore istorum frequens ac translatitia nimis excusatio veluti cum Deo paciscentium à carnium esu abstinentiam, reliquorum verò omnium flagitiorum, quæ ob incontinentiam committi solent, indulgentiam. non sic desipimus, vt gulæ ambitum, ad pomorum vsq; illicitã appetitionem sub ipsis generis humani primordijs porrectũ macelli tantùm finibus circumscribamus. longè profectò se extẽdit latiùs, &, vt nunc sunt tempora, imò vt olim fuere, atq; porrò erunt, maria, lacus, flumina pertingit. à quo ne Nereidas quidem exclusas dixerim, si retibus, aut hamo capi possent. Ieiunium, dolenter equidem dico, vt à nobis hodie obseruatur, saturitati multo est similius, cui expellendæ fuit institutum. hinc fit, vt non aliàs magis intestinorum morbi, tusses, ac grauedines latiùs grassentur. quas non tam ex affluenti ciborum copiâ præcipuè oriri, quàm abstinentiâ tolli si quis ambigit, huic ego suaserim, ad cœnobia vt adeat Græcorum, vbi os ad ructum, aut excreatum laxare non multo sanè turpius habetur, quàm alibi ventre aduersùs tonitrua obstrepere. & verò vnde in ijs purgamentorum materia succrescat, quibus panis lapidosi crustulum aceto intinctum, aut, cùm se lautius accipiunt, oliuarum patina pro cœna est? erit fortè ex istis gulæ patronis aliquis, qui id Græcię cœlo tribuet; Fauonijq; genitabili auræ, quę perpetuò tractum illum perflat, estq; popularibus suis alimenti

instar.

instar. quasi verò non eadem sit frugalitas Sarmatarum Monachorum, aut, qui Boristhenem accolunt, Moscouitarum, quibus nihil alsius, nihil est niuosius, vt omittam quæ Saxo Grammaticus de Danis vitæ religiosę addictis memorat, solere eos ieiunij tempore lacubus in glaciem concretis ita se defodere, vt vix extent humeris, ne quæ non facimus ipsi, ne ab alijs quoq; fieri putemus: neu quis nos promissis minùs stare causetur, quibus præter figularem disciplinam in amphorę molem iam exierit vrceus primùm fingi institutus. & si vt censura hæc tempori conueniens alios perstringat, te minimè omnium tangit Laurenti, ieiunium non minùs ægris ex Iasidarum arte, quam tibi piorum more præscribentem ad animi valetudinem aduersùs intemperiem luxus percurandam. Vale.

ANDREÆ MAVROCENO *Senatori Amplißs.*

CVm essem in secessu Castilionæo, quem Pierius Valerianus Bellunensis vergente in senium ætate sibi olim, & Musis amæno in loco huius regionis exędificarat, redditæ mihi sunt litteræ tuæ, quæ, si quid erat ruris, abstersere animo. Sunt enim perscriptę luculenter, petitisq; ex reconditiore rerum Venetarum lectione floribus adeò distinctæ, vt lectorem perfundant mirâ voluptate, pręsertim qui nolit in patriâ peregrinus esse. Equidem semel, aut ad summum iterum accidisse rebar, vt in comitijs X. viralibus absentis alicuius ita ratio sit habita, vt ad Principem in Republicâ locum capessendum missis, qui arcesserent, euocaretur; quod tu septies in hanc vsq; diem euenisse testificatò, vt mihi sanè videtur, rectèq; subductâ ratione temporum demonstras, additâ, ne quid deesset ad nos, qui longè istinc absumus, enarratione rerum lepidissimarum oblectandos, solemni Principi suo occurrentis, & quasi ex vrbe egressę Ciuitatis pompâ. Non sum adeò

natura † φιλοθέωρος, vt huiusmodi spectaculorum paratu vehementer capiar, & tamen ista, quæ me, dum agebantur, fortasse, si istic fuissem, minùs tenuissent, acta nescio quo pacto in tuis litteris perlego auidiùs; absentiæq; meæ hoc quoq; debeo, quod in causâ fuit, vt imagines ingenij acie perspiciam rebus ipsis, quas exprimunt, elegantiores. Idem M. Mario Pompeianum suum incolenti contigisse legimus Ciceronis beneficio, dum ludi apparatissimi Romæ spectarentur: cuius ego epistolam tuæ perquàm similem, quâ eos ludos fuit prosecutus, haud paulo pluris facio mehercule, quàm quicquid conari potuit Ædilium veterum industria prodigiosis opibus in populi gratiam abusa. Liceti liber, in quo de spontaneo viuentium ortu disputatur, opportunè admodum est ad me allatus, cùm temporis ab interuentoribus vacui nonnihil suppetit, quod in eius accuratâ lectione ponendum mihi iudicaui. Amo viri officiosissimi erga me amorem, cuius tu interpres extitisti. Doctrinam verò, & exactam philosophandi rationem sic demiror, vt eâ potissimum nunc inniti putem Lycei Patauini opes, atq; dignitatem. Vale exemplum antiqui officij, & humanitatis; nosq; tuæ collocutionis fructu diutiùs sanè quàm vellemus, quàmq; nostra animorum coniunctio exigit, carentes solari, quod facis, perge, crebrâ missione litterarum. Bonus noster, vt optimum sui nominis interpretem decebat, diu, multùmq; decumanis fortunæ fluctibus iactatus, Patauij, hoc est tutissimâ in statione, ac exoptatissimâ anchoram suæ vitæ iecit; vnde me sæpissimè non tam amantissimis epistolis ad scribendum, quàm exemplo ad sui imitationem prouocat, vtinam ne frustrà; adeò hîc clauo amoris, ac officij suffixus hæreo.

† Spectandi cupidus

Belluni tertio Idus Iunias MDCXVIII.

EIDEM.

HEri cùm in eo essem, vt lucubrationibus perfunctus me sopori darem, publicus ad me cursor attulit epistolam, quam xiv. Kal. Martias dedisti: quâ perlectâ sensi haud de nihilo dictum grauiores curas nocti malè credi, quòd eas illa semel apprensas indulgenter alat. enimuero peruigilium pro somno mihi fermè fuit, dum solicitudo de tuâ opthalmia hæret animo, in maiusq; omnia dat amor in te meus singularis. Hem, dicebam mecum ipse, nocturnę tenebræ mihi sunt molestæ vigilanti † ἀνοδυναι licèt, & b reui exorientis auroræ lumini cessuræ; & illi quid fiet, cui dolor veluti Tribunus violentus intercedens vetat, quo minus interdiu luce pulcherrimâ rerum frui possit; morbus verò etiam impacatiora minitatur? quæ auræ differant, nec sinant Adriacæ gloriæ sidus, ocellumq; Curiæ longiori eclypsi laborare. Fallor? an euentura omnia propediem, vt volumus, spem Numen facit tam piè à te cultum, quàm à nobis oratum pro tuâ incolumitate obnixissimè. De editione quod addis mearum rudium curarum, valde vellem equidem huiusmodi forent, vt partem aliquam tibi ægritudinis leuare possent: omnes ad te, vt sunt in scrinijs obsignatæ, mitterem: sed vereor ne & famam earum minuat præsentia, & eruditorum imponat expectationi. Quotidie aliquid meditor, non nego, quod obfirmet stylum, comitem à me adscitum lectioni, vt habeat, qui eius fastidientis tædium abstergat gratâ vice. Quicquid tamen illud est, non ita intentis oculis admiror, vt simiæ solent suos fœtus, qui illis multo pulchriores signis Phidiæ videntur, quamuis genetrices ad viuum exprimant. Ego sic Horatiano illi, *Dele sodes*, pareo, vt non putem alijs obelis nimium nostri amorem confodi meliùs. Hæc mea mens, cui non tantum tribuo, vt ęgrè sim in sententiam tuam descensurus,

† *Leuationem doloris aff r.ntes so n. num accersendo.*

surus,

ſurus, ſi ita prorſus te velle ſenſero. De Palazzioli elogio plurimum te amo. diu eſt, cùm viro ob eruditionem faueo, eximiumq́; in te colendo ſtudium, atq; pietatem multifacio. Priorem epiſtolam in eundem faſciculum coniectam antea dictaram, quàm de tuâ ægritudine inaudiſſem; hanc tuus anagnoſtes tum tibi perleget, cùm animus à curis, ac dolore liber acroama aliquod requiret, quo ſe occupet. Vale, & qui publicę ſaluti conſulis, te ipſum etiam diligentius, quàm ſoles, cura. Hoc nobis, quibus tua valetudo ſummæ curæ eſt, facere gratius, nihil potes.

VINCENTIO CONTARENO *Viro doctiſſimo.*

NOn ita me, meaq; perditè depereo, vt non videam, ſi quid in ijs placui, quę in Andreæ Mauroceni funere conſcripſi, argumenti eſſe potius, quàm artis; quæ, vbi affectus doloris, ac deſiderij deferbuit, quàm ſit in me exigua, facilè cognoſces vel ex harum litterarum ſcriptione. ille mihi ingenium, animosq; dictus faciebat etiam poſt fata, cuius viui amore nihil in vita habui iucundius: quem cùm tu perinde colueris ac ego, non eſt ſeu humanitatis tuæ, quâ cedis nemini, ſiue facultatis, quâ cæteris præſtas, eius nomen, quantum in te eſt, obliuione ſinere vrgeri. vnus tu, nec me fallit amor, amico nobis, importuniſſimo tempore erepto otium paucarum horarum nactus parentare potes elogio meritis eius digniori, quàm vel meum, vel vllius fuerit. quod vt facias, ſi officij tui ratio admittit alienas preces, maximo te opere rogamus: amamusq́; eo quoq; plurimum, quòd & nos tam amãter, quàm disertè per epiſtolam tuam appellaueris, inter muſarum cimelia nobis aſſeruandam: & quia tantæ vir in litteris dignationis, tanti censûs eò te demiſeris, vt cum typographici prœli operis, hoc eſt cum tot errorum excetris; & quibus, licet cum litteris negotium ſit planè perpetuum,

nihil tamen est illitteratius, statueris tibi deluctandum: tuiq; non in hos vsus quæsitam ingenij † ἀκρίβειαν in re contriueris haud multi pretij, præsertim cùm familiarium curarum mole premerere: quę genus vitæ † μισοπράγμονου sectantibus, de me coniecturam facio, quàm molestę accidant. Equidem ineptijs meis subirascerer, quæ tantum tædij abs te expetere sint ausæ, nisi tu de ijs aliter sentires: & is verò esses, cui plurimum debere pulchrum mihi ducerem, quoad se mihi omnia circumspicienti occasio in conspectum dabit gratias, quas tibi maiorem in modum nunc ago, habeoq;, fænore cumulatiores referendi. Interea animum ab officij obliuione vindicabit non tam sponsor locuples, & omni exceptione maior Octauianus Bonus Vir amplissimus, quàm grata studij, amorisq; erga me tui recordatio. Vale.

† Solertiã

† A negotijs curandis aliena.

EIDEM.

SVaues meas lacrymas, & multo, quàm querelæ sint lusciniæ, iucundiores, quæ mihi tot doctissimorum hominum gratulationes, tot laudationes peperere, immeritas fortassis, & immodicas: sed quæ tamen effusum in me illorum studium, amoremq; maximè declarant, cui, imprimisq; tuo Contarene optime minus respondere non eius fuerit, qui se officio vinci turpe putat. Dabo itaq;, quantum potero eniti, operam, vt te priorem certasse mecum minimè pœniteat. Diu est, cùm ego te inter eos numero, qui sæculi sui ornamento, bonoq; Reipublicę nascuntur, hinc factum, vt permolestè sanè tulerim te omisso publicè profitendi egregio labore, plures tibi demereri desijsse: nisi fortè tu bene subductâ otij tui ratione longè vberiorem fructum ad te, posteritatemq; adeò ipsam putas rediturum, si horas, quas prælectionibus terebas, lucubrationibus adieceris: quod vt magis sperem, facit perspecta

iam mihi operum tuorum ante editorum elegantia. Interea dum nos hæc fiducia ſuſtentat, ſaltem per epiſtolam crebrius inuiſe. hoc nihil potes mihi facere iucundius alpem hanc, niuemq́; incolenti, & quem non ſecus ac olim Philoctetem ἔθαρβάρωσεν ἤρημιά. Vale.

† Barbarum reddidit ſolitudo.

EIDEM.

SOſpitem te ad tuos rediſſe gaudeo, Illyridis orâ perluſtratâ, quam vilem à Propertio vocari, cùm piſces eximię nobilitatis educet quamplurimos, te verò Arbitrum elegantiarum non inuitum tenuerit tam diu, admirarer, niſi compertum haberem poëtis nonnunquam pro ratione voluntatem eſſe. Equidem vnius Amphitheatri ruinas in deſerto littore Polæ procumbentes pluris facio, quàm inſanas barbaricarum † Νεοπόλεων ſubſtructiones. Inde quin tu inſcriptionum aliquid attuleris, quod vetus latium redoleat, nullus ſanè dubito, qui norim eruditos homines haud temerè vnquam ita ſoluto animo peregrinari, vt non ſecum pugilares circumferant & ſtylum Plinij exemplo. Vidiſſe me olim memini apud Epigrammatologos antiquarios nonnulla id genus non omnino † ἄμουσα. à te multo plura, & emendatiora expectantur, cui nec otium, nec cupido veſtigandi defuit, ingenium verò etiam ſuperſit ad maiora natum, quàm ſunt iſta bellaria Muſarum. Vtcunq; ſit, facit humanitas tua, animiq́; candor ſingularis, vt ſperemus non vni tibi tot † πολυιςορίας opes congeſiſſe. præſertim cum Octauianum commune litteratorum Bonum ſponſorem huius tuæ voluntatis habeamus, quem meis verbis ſalutabis, valebisq́; à me plurimum tui cupidiſſimo.

† Nouarum vrbium.

† Inepta.

† Varia hiſtoria.

FOR-

FORTVNIO LICETO *Philosophię Professori, Primario Patauij.*

MAgno non ita pridem teste studij erga te mei, eodémq; spõsore tui in me amoris sum priuatus Andreâ Mauroceno vtriusq; nostrûm cupidissimo, ad quem cùm postremis meis litteris plura de te, præclarisq; tuis de spontaneo viuentium ortu libris, quos ille ad me perferendos antea curarat, perscripsissem, accidit profectò perquàm incommodè, vt Vir immortalitate dignus, conciliandisq; inter se eruditorum amicitijs aptissimus, priùs morari apud nos desierit, quàm tibi meo nomine gratias referret. hinc factum, vt occasionem tui alloquendi auide arripuerim, mihi nuperà nostro Obitio oblatam. Is enim tuam Epistolam ostendit ad se missam, vbi de me mentionem facis. Ego sanè te mi Licete ob ingenij candorem, singularemq; doctrinam, dotes haud repertu promptas diligebam plurimùm, nunc verò propter studium in me istud tuum tam effusum, cui non respondere turpe fuerit homini Philosophię candidato, vehementer amo, & qui mos est amantium peculiaris, de te & audio, & loquor libentissimè, te vnum, vel cum paucis superesse prædicans, cuius præstanti eruditione tot monumentis ingenij testatâ Peripati dignitas hodie fulcitur, quæ à me non eò dici credas, velim, quòd meum iudicium amor exambiuerit: diu est, cùm in eandem sententiam, te ne prænsante quidem litterariæ Tribus cõmune suffragium tulerunt. Ego si quid erit, in quo mea vti operâ statueris, quam vt tuo iure exigas, impensè rogo, enitar, vt, quanti te meritò faciam, cognoscas. Vale.

EIDEM.

DIgnus es tu quidem cum ista tuâ eximiâ eruditione mi Licete, qui ad æternos lucernarum ignes sedulus euigiles ea commentando, quę nec vlla aboleat vetustas, neq; carpat liuor. nos verò haud sanè digni, quorum tu spem, desideriumq; morâ nimium in longum ductâ excandefacias. Annus iam vnus, & alter in sua vestigia volutus abijt, ex quo tuos lychnos expectamus, æmulos stellarum, cùm tu interea promissa differs lentum nomen, atq; ideo appellandum crebriùs. tanta est tui ingenij fæcunditas: is vigor animi quantumuis abditis rerum subtilitatibus superfuturus, vt suspicionem cessationis non admittat. ne aliò cursum deflexeris, hoc vero nobis est verendum, qui tuarum lucubrationum lecturâ capimur. Sed hæc tu, cuius de fide agitur; non negliges. Ego, cùm per litteras te alloqui auerem, nec satis materiæ suppeteret, hinc occasionem arripui, vt se mihi dabat, epistolę familiaris conscribendæ. Hanc (ni mihi tua humanitas spem faceret) subuerer equidem, ne philosophia, quæ te totum per hos dies in scholis occupat, vt grauis est, nec ad iocos nata, tamquam interturbantem Dauum procul abs se abigeret, quod ne fortè accidat, desinam tua tempora, quæ publico commodo impendis, pluribus morari. vale, & amicos magnos, qui mihi tecum, atq; adeò cum ipsis Musis communes sunt, saluta meis verbis.

EIDEM.

NOn id à me quæsitum fuit Vir doctissime, vt te, quem lætum, florentemq; cupio studiorum bono, mœstitiâ afficerem ex scriptorum meorum lectione. Dolori me tantùm meo indulgere iuuit, qui tempore, quo demitigari maxi-

maximè debuerat, nescioquo pacto magis recrudescit. Neque ideo ijsdem te affectibus duci, quibus ego moueor, permolestè fero, vel ob id potissimùm, quòd tuo viri sapientissimi exemplo hanc animi mei mollitiem, ac teneritudinem aduersùs philosophię conuicium tueri statui, quæ in nobis vt non Stoicã† ἀπαθειαν efflagitat,† μετριοπάθειαν tamen meritò requirit, Peripati disciplinę consentaneam. Veris, vberrimisq; lacrymis deflendus erat Viri amicissimi excessus; quod sicuti nos abundè præstitisse non inficiamur, ita nullam inde laudem captatum iuimus facundię elegantioris, cuius vix vmbram vnquam assecuti, non ea orationis ornamenta in nostro opere agnoscimus, quæ illi seu amor in nos tuus, siue iudicium amore eblanditum tribuit. vtcumq; sit, nostra à te, quem nemo non ob mores, & doctrinam probat, minùs improbari sanè nobis periucūdum, perq; gratum accidit, plurimùmq; te eo etiam nomine amamus, officiaq; omnia nostræ erga te testandę obseruantiæ deferimus. Vale, & negotium posteritatis, vti facis, vrge, cui magno te fidei pignore obstrinxisti breui fore, vt problema illud plus quàm Archimedęum, de antiquorum lucernis industriâ tuâ explicetur.

† Indolentiam.
† moderatam perturbationem.

ANDREÆ MAVROCENO *Senatori Amplis.*

MVsarum mearum fæturas à te non improbari eo magis gaudeo, quò minus mihi erat exploratum tutòne censuræ limatioris iudicij hominum, tuiq; persimilium concredi possent. remanet tamen nescio quid scrupuli, qui animo inhęrens nimium mei amorem longe à me arceat, te scriptis scilicet meis non indelectari; quòd me eorum autorem diligas impensiùs. nulla enim res ęquè ac amor iudicium quantumuis acre, atq; Lycurgęum eblandiri solet. Vtcunq; sit, interea vsurâ fruar voluptatis, quam ex amore non minus tuo, quàm ex iudicio percipio, miro me quo-

dam modo affecit Bembus tuus, cuius tu non tam disertè postrema defles, quàm famam, vitamq; adeò ipsam extendis decorissimis præconijs, vnus vel cum paucis artem illam callens, quâ fit, ne, quos amamus, etiam post funera ipsa Lethes obliuia excipiant. Nos, quibus præclarum est vestigia tua ponè sequi, eiusdem Manibus dicandum nescio quid carminis exarabamus: quod, si vacat, leges. meq; Amplitudinis tuæ cupidissimum, vt facis, diliges. Henricum Dauilam virum fortem, eruditum, & vtriusq; nostrûm amantissimum pro meo in eum studio tibi commendarem, nisi mihi foret perspectissimum nemini te eorum in illo tuendo, ornandoq; cedere, quos sibi deuinctos habet Viri virtus. per mihi tamen erit gratum, si eum ita omni officio, comitateq; tuâ fueris complexus, ac si à me tibi de meliore notâ esset commendatus. Etiam, atq; etiam vale.

LAVRENTIO PIGNORIO *Patauino.*

AMorem ego in me tuum, mi Laurenti, conspicillo comparo nuper apud Belgas adinuento telescopio. ambo immane quantum rerum, quas vident, species adaugent. hoc ille habet etiam præcipuum, quòd laudes ingentes nedum de modicis, sed de nullis facit, vt non mirer ampliùs Ouidium in mateotechnia alumnis disciplinæ suæ præcepisse, puluerem licet nullum de adamatarum vestibus vt officij causâ excuterent. Adeò amori vni in nihilum ius est; illud quæsitis Rhetorum hinc inde floribus exornat haud secus, ac si foret aliquid eximium, magnâ legentium admiratione, summâ voluptate; cuius ego sanè rei testis (ne alios foris euocem) satis sum idoneus, quem, ex quo hanc alpem, niuemq; inhabito, nullæ vel per paucorum litteræ maiore voluptate perfuderunt, quàm tuæ. ita in eis elegantia cum beneuolentiâ certat dubio certami-

ne, vtra

ne, vtra palmam referat de alterâ. Musæ vestram fidem? vnde tot sales Cecropio thymo, melleq; obliti; vnde tot lepores emanarunt, nisi de vestris præclaris fontibus? Sed me comprimo, ne videas Icario conatu præstantiam epistolę imitari tuæ, quam vel pro dignitate admirari indicium haud vulgaris profectûs arbitror non minus, quàm Apellæas lineas suspicere in Protogenis tabula arrepto penicillo properanter sparsas. Vale patriæ tuæ decus alterum, & Gualdum eximię virum eruditionis, atq; dignitatis, cuius epistolis natiuâ venustate refertissimis capior mirificè, nec non Sandellium florentis facundiæ hominem saluta meis verbis.

DONATO MAVROCENO *Senatori Ampliß.*

ET si vereor, ne nimij desiderij tibi esse videar, qui, postquam aliquid velle cæpi, valde velim; me tamen continere nequeo, quominus à te vehementer petam, vt, quod nuper de tumultu Insubrico tibi, & Musis exarasti, ad me mittas, Musarum si non Achatęum comitem, at certè veterem, vtcunq; licet meritum clientem. auidè id videre aueo, seu historiolam vocas, siue commentarium, seu de titulo non dum statuisti, quia postrema ille cura autorum sit, quamuis prior legentium oculis occurrat. quod si quæras, cur tam perditè id amem, quod inspexi nunquã, si visus amorem gignit, &, vt disertius Græci, Τό ερᾶν ἀπὸ Τοῦ ὁρᾶν. Dicam equidem germanos eius fratres geminos qui viderim, de illis coniecturã facio, qualis tertia ista fætura tua sit. nec timor, ne coniector parùm verax dicar, tanta in illis formæ liberalitas, tanta elegantia. & verò post gemellos Castoras inspectos, de Helenæ pulchritudine quis dubitet? Accedit testis non illius quidem comici, quod aiunt, sed quo nunc + Paredro laterali Prætor noster vtitur, + Assessore.
non omnino parui facienda auctoritas. Is se, cùm Patauij

esset

esset apud Foscarenum, qui ibi cum potestate est versatus, Scriptorum tuorum recitationi narrat adfuisse, quę in concione iam perlecta, approbataq; concordi eruditorum pręconio, quàm ęquum sit diutius à me desiderari Iouem Philium appello, cuius sub tutelâ sumus tot necessitudinum nexibus inter nos coniuncti. Hîc ego te rubore suffundi video, cùm audis arcanum consilij tui euulgatum, ad nos vsq; peruenire potuisse alpini culmina dorsi incolentes. Sic est profectò, secretum malè creditur rimosis, atq; vndequaq; effluentibus; prȩsertim cum est huiusmodi, vt detectum autori decus, delatori verò ipsi sit iudicij commendationem allaturum, quasi procul ab omni liuoris ærugine semotus, laudem præclaris ingenijs summo iure debitam bonâ fide tribuat. Atq; hæc non eo dicuntur, quod istorum sequi vestigia decreuerim, qui candentes ore fauillas potius, quàm commissa seruant. contra est, ori obdam pessulum, seramq; labijs Laconicam: quin pennas verbis ipsis pręcidam strictim, & ad cutem vsq;, ne foras auolent. libellum verò tuum ita quandiu apud me fuerit, custodiam, vt non turris olim ahenea arctius inclusam Danäen impluuio etiam obstructo accuratè, ne quid fortè illabatur imbris aureoli, quod custodem fallat, Argo licet oculatiorem. Verum hæc per iocum. Seriò quod sequitur, nec absq; aliquâ animi commotiunculâ, quam tamen amor in te meus leniet tandem aliquando. Ergo dissimulare tantum posse piaculi sperasti, vt clam me haberes, quod te pandente vni, & alteri innotuit? nec te amicitię iura tenuere sanctissimè tibi culta; meaq; ipsius exempla, qui recentes ingenij mei fœtus, nec dum lambendo planè efformatos censurę tuæ examini exhibere soleam? festinè nimium non nego, & fortasse importunè etiam, si ad occupationes respiciam tuas: sed amanter tamen, dum nihil differre puto apud me ne sint, an te, me alterum. Sed præstat par pari referendo iniuriam vlcisci, quàm persequi

eam

eam verbis velle muliebriter. Epistolam igitur hanc veluti clarigatione claudam, nisi tu tua ad nos mittis è vestigio, iracundiam nostram demitigatura, curaturos nos vicissim, ne posthac pedem domo Musę nostræ efferant. Nam si semel commeatum illis liberum permiserimus, dubium non est, quin ad te sint rectà perrecturæ. Quod si te hoc vindictæ genere minùs exterreri sensero, tamquam molestissimi muneris vacationem tibi allaturo, aliud aggrediar atrocius. Scrinia mea omnia excutiam, & ibi quicquid cum tineis luctatur pagellarum, in fasciculos redactum ad te mittam protinus. Habes paucis, quid parem: tu, si periculo caues, vnâ operâ & tibi ipsi consulueris, & nos scriptorum tuorum expectatione tam longâ liberabis. Menini carmen in Barocij funere non legi. meum verò, quod mihi non Musarum fauor, sed dolor dictauit, lacrymę penè deleuerunt, his adiungi iussi. De bibliothecâ quod scribis, pergratum est. libenter ego, nisi cupidum emptorem interim inuenerit, laboris aliquid impendero ei perscrutandæ, appetente vere: ad illud enim tempus aduentum meum ad vos distuli: nec fidem hercule fallam promissorum immemor, si me Deus sospitem seruauerit, quem tibi propitium, fauentemq; vehementer cupio. Vale.

Monodia in funere Iacobi Barocij
Oratoris pręstantissimi.

Deflendis genitum carorum casibus, acer
Nunc angit heu dolor, viam
Nec lacrymis laxat, miseris nec verba querelis.
Minora fari, & grandia
Damna silere tuus docuit me abscessus. Vt aures
Tristis repentè perculit
Nuncius: obstupui, medijs & faucibus hæsit
Vox ægra, cui viuens dabas

Argu-

Argumenta olim toties pręclara merendo,
Suspiria, inuersam vicem,
Das modo; dum subeunt animum tua tristia fata:
Heu sęua fata, quæ Fori
Extinxere decus Veneti, Suadæq; medullam,
Floremq; Musarum aureum,
Non tam Aganippæis, Sophiæ quàm fontibus altum
Teneris ab vsq; nec minùs
Quàm vultu, pietate grauem, linguæq; disertæ
Paripotentem, ac consilij
Munere. Quis varias versantem pectorę curas
Duro senectæ in limine,
Leniet alloquio? quis me, turbante procella
Mentis serenum, ac litium
Extollente æstus, portum sperare iubebit?
Astrum vt gemelli Castoris
Deprensos tumidis in fluctibus Amphitrytes
Arcturi ad occasum trucis?
Pluribus occumbis lacrymabilis: optima mater
Testis, superstes quę suæ
Viuit adhuc vitæ exanimis, Manesq; sepultò
Nil audientes flens vocat.
Vnanimisq; cohors Fratrum, comitumq; per vrbem
Atrata vadens, attamen
Flebilior nulli liquisti luminis oras
Quàm mi, perenniter tuam
Ob mortem dolituro. alij te carmine dicant
Disertius multò: fleam
Tę te ego dum lacrymis miserabilioribus, ingens
Decus tuorum, sed breue.

ALE-

ALEXANDRO SYNCLITICO *Legum primario Professori, in Academia Patauina.*

CVm tu rem apprimè nobis iucundam, atq; exoptabilem, aduentum ad nos tuum minaciter nimis proximis litteris tuis miniteris, nisi iter Venetias properè arripimus; mirari sanè non debes, si, quod tu mulctæ nomine adscribis, illud ipsum præstolari malumus, quàm eius timore, quod alioquin in procliui foret, liberari. Veni igitur, si Vires, & vnâ, eâdemq; operâ votis nostris obsequi, ac tuas iniurias vlcisci perge. Nos te quidem hîc, haud aliter accipiemus, quàm per æstatis maximos calores, terra hiulca siti imbrem tempestiuum. Valetudini, mihi crede, ipsi, quâ non commodissimâ te vti audio, non parum conferet prælectionum cogitationibus prolatis in Nouembrem Mensem, interea laxamenti aliquid ex pererratione horum amænorum montium percipere; quibus, dum niues absunt, in supplementa copiarum fluminum solutæ, nihil sanè alsius, nihil quod Thessala Tempe magis referat, facilè reperias. Neq; enim Ascra aliqua Hesiodęa nobis, quam inhabitaremus, obtigit hyeme plus nimio rigens, æstate feruida: contra est, cùm vos istic maximè caletis, præclarè hîc nobiscum, beatèq; agitur absq; culice, & musca, puluereq; non illo vestro odoris exotici pleno Cyprio, sed ex quo nubes excitantur oculis diem erepturæ. Modò ne curas domo afferas huc tecum, comites minimè omnium comes, nusquam te libentiùs fuisse dixeris. Vale.

FORTVNIO LICETO *Philosophiæ professori primario Patauij.*

QVod tibi doctissimo viuorum non inter postremas curas fuerit veterum lucernas, quas hactenus non

tam ruinarum rudera, quàm ignorationis tenebrę tegebāt, pristino nitori restituere; idq; nuper egregiè præstiteris ingentis argumenti, laborisq; opere in lucem edito, sæculo nostro gratulamur, cui tu non prælegendo modò, sed scribendo consulis: nobis gaudemus, quibus senescentibus iam contigit problematis omnium abstrusissimi, ac plus quàm Archimedęi causas addiscere: quò sanè nomine plurimum tibi deberemus, nisi studio isto in nos tuo, eruditione singulari, morum infucato candore pridem effecisses, vt omnia tibi meritò debentes nihil non tuâ causâ vellemus. Plura ad te, cùm librum ad vmbilicum vsq; non perfunctoriè peruoluero. nam hæc ex tempore pauca dictaui, postquam limis vnam, aut alteram paginam perlegi raptim, vt haberem quo veluti embammate mearum ieiunitatem condirem litterarum, simul lętitiam animi tam prę claro gestientis munere testarer. quod inter Musarum cimelia à me repositum in Bibliotheca, sui splendore luminis illam illustrabit, haud sanè secus, ac polymyxus lucernæ fumi expers, olei non indigens. Vale mi Licete, & Lyceum istud tuum (hoc enim tibi pro Sparta est) vti facis, orna. Belluni.

EIDEM.

ET si ea est tui in re literariâ nominis celebritas Fortuni, vt quam tu cunq; professoriam cathedram sessitaueris, illam ego sim omnium supremam iure habiturus, dandum tamen est aliquid amori, quo te prosequor, dandum mori, qui nunc passim obtinet. Gratulor igitur ex animo si non tibi, cui nihil accedit noui ad virtutem, at Philosophiæ saltem, cuius maximè interest alumnos suos iudicio honestari Principum virorum. Sæculo verò nostro etiam vehementer gaudeo, quòd dignitatis tuæ incrementis ingenti inuidia leuatur, quasi antea studijs non perinde fauerit, ac eorum vtilitas meretur. Nam quod te albis qua-

drigis per ampla Lycei spatia currentem incitem, vt materiam, quam nuper es nactus, ingenij tui in dies magis, ac magis ornes monumentis, nihil causæ est. abunde id tua sponte præstas nullo non plaudente, nemine hortante. vel quę modò ad nos transmittis, qualia? quàm condigna Cedro, aut si quid Cedro in Musarum hortis crescit immortalius? multum tu quidem communi pręceptori debes Aristoteli, cuius scholæ præes, gloriæ succedis, nomine ornaris: multum ille tibi, qui eius obtrectatoribus os obstruis, ne porrò importuni obstrepant. plurimum te ob id munus meritò amamus: simul quod nos post tam egregias tui otij fæturas quid nunc animo parturias, reddis certiores. Vale, & te tuorum expectationi longùm serua, vt quod libens facis, diu facias.

PAVLO GVALDO *Canonico Patauino.*

TV verò iam mi Paule haud paulum siles, quin nec multum quidem, sed perpetuâ intermissione cessas litterarum: tametsi ars tibi, naturaq; iuxta copiæ plurimum suppeditet, vnde abundè haurias ad vsum non modo, verùm etiam ad ornatum elegantioris scriptionis. Negotia, credo, causabere, quibus ad tædium vsq; distineris. equidem non ita causæ tuæ faueo, vt quidpiam de ingenio detractum velim quantæuis molis occupationibus supereminenti. Scilicet stylum timor hic deterruit, ne exarando aliquid litterularum ad amicum veterem lassesceret, cui scriptis egregijs volumina implere multo sit facilius, quàm imbri descendere, dum pluit. quid igitur? memoriâ ne tibi penitùs effluximus haud proximo interuallo dissiti tam diu? ne id quidem sanè facilis admittam, nisi tu fortè in aliquē ex etymologicis istis incidisti, qui amorē ab aspectu, vt sunt in vestigandis vocum originibus plumbei acuminis, deducunt. quasi verò oculorum acies magis vel lyn-

cea videat, quàm mentis, cui temporis momento remotissima queq; obuersantur. vna tibi latebra sit reliqua, vbi arcem excusationis struas tuæ, mei incusatio, quod tacendo silentium meum vltus fueris, vnde vt extraham, ecce tibi hanc epistolam veluti fæcialem mitto nunciatum, vt, nisi quamprimùm rescribas, te aduersùm confertum agmen præpares hendecasyllaborum, vel, quibus vis inest ad dimicandum acrior, iamborum Archilochiorum. Verùm extra iocum, quo sine familiaris quàm frigeat epistola, minimè te fugit, mirifica me cupido tenet tui alloquendi; quam nuper Bonus noster Senator optimus litteris suis quasi flabello quodã excitauit; Pãphilus Persicus sermone etiam longiore aluit. huius explendę occasio antequam se dederit, hisce te litteris interfari libet, quibus studium meum tibi deferam, tuum etiam explorem: quod tamen egregiè ætatem ferre, & nobis consenescentibus haud multum deflorescere nullus sanè dubito. meminisse enim te posse reor id, quod mihi frequenti meditatione redditur nuperrimum, quadraginta iam plus minus annis fundamenta nos amicitiæ Patauij iecisse, vbi nunc ratio tui istius præclari muneris tenet. illa quidem nec + ἀπροσηγορία sic conuellet vnquam, nec ipse rogalis ignis omnia absumens, quin monumenti aliquid posteris remaneat. tu modò paria facere in amore perge, & me cogitatione saltem, cuius ope tibi præsens adero, cùm voles, respice. Vale Vir inter primores amicorum haud immeritò mihi recensende. Belluni in statiuis.

+ *Silentium maximè inter amicos*

PAVLVS GVALDVS ALOYSIO LOLLINO.

VEtus adagio est, satis sapere eum, qui minime sapit, si tacere sciat. nimio ausu peccassem ego, si crocitans cornicula immiscuissem me vobis argutis, & suaue canentibus Oloribus; neq; detrectassem supplicium proca-

cis Marsyæ, si te sæculi nostri Phæbum Illustriss. Loi̅line prouocassem. Quòd ego igitur siluerim, id verò meræ venerationi adscribito, si placet: quæ etiam effecit, vt distulerim etiam nunc respondere humanissimæ epistolæ tuæ, eidemq; doctrina, & familiari quodam suauitatis Genio instructissimæ. Qualia enim sunt, te mei meminisse, te scripsisse ad me, te partem dempsisse de præclaris istis tuis occupationibus, vt me ad officium reuocares? minæ etiam tuæ medius fidius stylum hactenus inhibuerunt, gloriæ etenim & laudi duxissem confertum illud, quod polliceris, Iamborum, siue Hendecasyllaborum agmen, aperto latere excipere, dulcia inde vulnera relaturus, quæ Achillis hastam æmulata, & ictum inferrent, & continuo sanarent. At eadẽ veneratio, quæ cũ obsequio paria facere pergit, impellit me tãdem, quò vides. Verùm qua de re potissimũ scribã? in quo mea potissimũ versabitur oratio? Cum vis quædã maior auerterit Bonũ illud optimo pręstãtius, in quod mihi constitutũ erat dirigere scopũ vniuersæ cõscriptionis meæ, quod præclare scirem tibi neq; gratius, neq; iucũdius quidpiam accidere potuisse. Auguror tamen breui nos flebilium elegorum vice, quos dictat mœror, Cytharas, & lyras arrepturos, atq; Epinicium Bono Euentui meditaturos. Hic sisto calamum: tibi, quem eximiè veneror, Natalitia festa, & recentem annum Deus fortunet. Patauij.

NICOLAO PACIO *Samogitiæ Episcopo*.

MIrari te puto Vir amplissime, vnde tibi emerserit salutator nouus, & cuius ante fortassis nomen fando non inaudieris. admirationem huius epistolæ lectura eximet, amorem etiam studium in te meum, nisi fallor, gignet. nam ex quo ad me primùm est perlatum te Virum præcellenti dignitate pariter, ac nobilitate, posthabito natali solo, quodq; nunc mortales ferè omnes rebus omnibus ante-

anteferunt, luculento censu, ab vltimis vsq; Sarmatici regni finibus profectum, tabernaculum vitæ Patauij fixisse, cupido mirifica incessit animum te per litteras saltem alloquendi. Patauio simul ipsi amoribus meis gratulandi, quòd non minori celebritate famæ te incola sanè tanto, seu potius ciue inclarescat, quàm olim Athenæ Atticæ Palladis, ac Musarum domicilium Anacharsidis illius sapientis, Socraticoq; cõuictu inclyti hospitio. Postea verò quàm certior sum factus te Octauiano Bono, quo nihil habet res Veneta præstantius, nihil mihi carius, vti perfamiliariter, igniculus ille desiderij, quo tibi innotescere flagrabam, in immensum adeò excreuit, vt iam haud amplius intra pectoris septa cohiberi queat, quin litteris hisce se prodat, proferatq;, quibus tibi studium meum, pietatem, obsequium, officij deniq; omne genus quodcunq; abs me proficisci poterit, primus sponte defero amicitiæ causâ firmandæ, excolendæq; quoad viuam eâ fide, atq; obseruantiâ, vt vix Octauiano cessurus sim, cæterorum quoruncunque æmulus, quos tibi tua vel Virtus, vel Fortuna peperit blandæ necessitudinum conciliatrices. Tuæ erit humanitatis prouocantem te ad id certamen, quo animis ingentibus vinci turpe est, haud aspernari, sed litteris subinde datis alloqui tantisper, dum occasio inciderit mutui congressus: qui mihi longe est futurus optatissimus, tibi etiam (nam affectum tuum de meo metior) forsan haud omnino iniucundus. Vale Vir bonorum omnium studio dignissime, & otio isto tuo pleno dignitatis, pietatisq; quod raro exemplo, tibi comparasti, diu fruere.

PAMPHILO PERSICO *Bellunensi*. *Viro erudito, & perillustri*.

SI quis fortè erit palati tam inerudíti, qui addubitet Cyprium aucupium Norico an præstet, hunc ego manu iniectâ ad tua subsellia, Persice mi, sistam, posteaquam hanc

hanc patinam guſtaueris, quæ tibi pro ſportulâ veluti Iudici honorario defertur. Si coquus tuus ſapit, nullum verbum addo: ſin autem; at tu memineris auiculis id genus condituram pro coctura eſſe; inteſtinam pro vnguine pinguedinem. Vale. Liberalibus, cùm hilaritas vel Catonem decet.

EIDEM.

OVa ego Neptunij auitij, ſi mihi optio daretur, ſumerem libentiùs, quàm ab his incubitu matris editam pullitiem; quod de gallinaceis haud perinde dixerim, quæ vnico hauſtu ita obſorbentur, vt celeritas guſtum penè anteuertat Ariſtoxeni voto aduerſatrix. Idem quoq; tibi viſum iri nullus ambigo, præſertim ſi in his feceris periculum, quæ nobis Corcyra mittit Phæacum inſula, nos tibi. Vale.

ANTONIO QVÆRENGO *Referendario Apoſtolico.*

MEas abs te flagitari litteras, & ſi ſummo iure tibi minùs debitas, qui ad priores meas nihil reſcripſiſſes, periucundum tamen mihi ſanè fuit. ea eſt præclari tui carminis ſuauitas, vt non caro emi potuiſſe vel epiſtolis trecentis videatur, eisq; multo grandioribus, quàm illę fuerint, quas Tiberius Cæſar Capreis dabat ad Senatum. illo tu me carmine ita, ſumptis de tuo myrothecio pigmentis egregie ſanè quidem, quanuis parùm iconicè finxiſti, vt me ipſe vix agnoſcam, cùm intueor. Muſis verò noſtris ſummum tuum beneficium eò nonnullam etiam intulit iniuriam, quia poſthac ne hiſcere quidem, ſi quid in eis virginei pudoris erit, audebunt, ne longè alię ſpectundę prodeãt, quàm tu eas eſſe voluiſti. vtcunq; tamen ſit, quæ mea eſt in re litterariâ ambitio, prærogatiuam ſuffragij iſtius tui quamuis ab amore eblanditi pluris facio, quàm vel earum

rubo-

ruborem quantumcunq;, vel meam ipsius conscientiam, quæ, postquam se se accuratius excussit, caussam nullam inuenit laudationis tam propensæ. Vidi nuper editionem carminum tuorum, & ingemui tantum effundere potuisse tenebrarum operi clarissimo typographíne crimen dicam, an amici Agrippinensis negligentia? qui recepti muneris oblitus omnia peruertit. quęris? equidem Reipublicę Musarum, cuius tu Dictaturam geris, puto interesse opus quàm elegantissimè recudi. neq; enim si florentis vir facundiæ Synesius inemendatum codicem contingere sibi exoptabat, vt in eo ex tempore legendo ingenij periclitaretur sui † εὐστοχίαν, idem cæteris quoq; lectoribus in votis est, quorum pleriq; omnes ante nucem quàm frangere animum inducant, à nuclei esu abstinebunt potius. Verùm hæc tu melius, qui pater es. nos tabella huic epistolę apposita, quæ nostra sit sententia, liquido testamur. Vale.

† Vim rectè conijciendi.

In Editionem Coloniensem Poëmatum. Antonij Quærengi.

Rustica, stulta manus, chartis quæ illeuit ineptis
Non calamo, at stamno informes variante figuras
Natarum Cadmi, venerandi carmina Vatis,
Pieridum in cœtum quid non auderet? amœnas
Credo eadem Clarij lauros, & odora virentis
Parnassi rigido temerare rosaria ferro
Immitis poterat, vel conspurcare putentis
Iniectu cœni nitidas Permessidos vndas
E quibus Aonidum docti pia cura Poetę
Ora rigare solent an tu pręclara diserti
Ingenij monumenta, Venus quibus Attica nectar
Ipsa suum infudit gaudens, varioq; lepore
Posse dedit mulcere animos; longumq; per æuum
Temnere securi tenebrosa obliuia lethes,

Digna

Digna, quæ in aridulis maluæ descripta pagellis
Gemma tegat, Tyrioq; ardens prętexta nitore,
Oblinis obscuræ succo loliginis? ægrè
Perlegere vsq; notas, crebris inducta lituris
Verbaq; culta queunt mea lumina, comminus etsi
Præclaro defixa operi. conuicia prælo
Lingua iacit, dum sensa animus miratur, opesq;
Materiam eloquij superantis. plurimus error
Castigata subit furtim modulamina, sede
Nec sedet ipse sua. Vexet censura minores
Artificum tyronum operas, qui ritè metalli
Frusta typis signata manu glomerarę volanti
Haud potuere, dolo careat nec culpa. latinis
Ingenijs non æqua nimis Germania laudum
Inuideat sperata sibi præconia nunquam,
Atq; ideo radijs densas solaribus vmbras
Fuderit, obtrectans cœptis ingentibus vltrò.
At tu maior eras, quàm cuius carmina posset
Carpere liuor edax, morsu aut violare maligno
Condita fœlici auspicio, Phœboq; secundo,
Vt quantum se attollere humo, cœliq; micantis
Musa inferre caput posset sublimibus astris
Disceret admirans sæclis voluentibus ætas.

HENRICO DAVILÆ *Viro perillustri.*

INtempestiuo silentio perierit Vrbs Pythagorea: modo tu illius periculo cautior, aliquid ad nos saltem litterarum; quibus nobis probes te non omnino linguam Harpocrati vouisse. Rescripsi ad tuas postremas litteras vberrimè, adieciq; strenę loco carmen, quod tibi minus arrisisse silentium tuum argumento est. non puto causabere bellicos tumultus, qui memineris acerrimos quosq; bellatores esse vociferatores maximos. enimuero clamorq; virûm, clan-

gorq; tubarum arma comitatur. Sed nę ego Phormione ſum ineptior, qui te in tuo ludo iſta doceam? Maurocenus noſter neſcioquas ingenij ſui nuperas fæturas ad me miſit. ijs tu perlectis non dubito quin in acclamationes Laodicęnorum abiturus ſis, ſubinde illa repetens † καλῶς σοφῶς, et ſi quæ de genere hoc alia. nec verò iniuria. ſunt enim conſcriptæ more Rhetorum pereleganter. has poſtquam iterum, atq; iterum legendo longiores feceris, remitte in ſcrinijs Muſarum adſeruandas. De fęderibus vehementer vereor, ne illud nobis dicēdum ſit, quod Simo Terentianus in Comędia de Filij connubio. Quas credis eſſe has, non ſunt veræ nuptię. deludimur hercle, & ſpe longâ, ſed inani ducimur, imò verò nec ſpes nobis amplius ſit reliqua: bona fide negantur, & aſſertis verbis toties promiſſa. E caſtris Iulijs pacatiora ferebantur. Tu ſiquid habes, quo æſtum animi noſtri leues, committe fidis auribus. Nos te tuo merito amamus. nam diligere mores iſtos, atq; eruditionem parum foret, Vale, & rem bene gere Bellonę, ac Palladis delicium.

Benè † Sapienter.

EIDEM.

ORitanis tuis ſubiraſcor, qui te nobis ſuperbum reddidere. nam ex quo cacumina iſta montium inhabitas, cæteros quaſi tuis pedibus ſubiectos deſpicis. hic menſis, alter ab illo eſt, cùm litteras ad te tuo tabellario perferendas dedi garrulas illas quidem, & verſibus, tametſi haud multi pretij, refertas, ad quas tu pro reſponſo plus quam Pythagoricum ſilentium, cùm tamen à Sigæo Troadis promontorio tantundem abſis, quantum ad facundiam, arteſq; ipſas Rhetorum proximè accedis. Lupos nemorum iſtorum ciues incuſarem, niſi mihi eſſet compertiſſimum eorum obtutus voci plurimùm officere, calamo non item. Debueras ergo Antipatrū ęmulatus Stoicū, qui †Καλαμοβόας

† Calamo inclamās.

ob id dictus fuit, ore etiam conticeſcente, ſtylo loqui; dictionisq; vti interpretibus Cadmi nigellis filiabus, tibi longâ conſuetudine perquam notiſſimis. Sed quid ego tibi peccandi in grauiora negotia materiam longioribus litteris ſuppedito? cùm foret ſatius taciturnitatem iſtam tuam ſi non per + ἐχεμυθίαν, vt par erat, at ſaltem Laconica ſcytale + vlciſci. Vale.

+ Pythagoreorum ſilentium. + Epiſtola perbreui. vide Gellium lib. 17. cap. 9. Eras. in chili. Triſtis ſcytale.

EIDEM.

NOn committam, vt tot terrarum, mariſq; interiecti ſpacijs diremptus litterarum quoq; commercia, quibus vnis abſentiæ damna rependi ſolent, poſthac ſis deſideraturus, modó ne deſint, qui longæ nauigationis periculo perfunctas opportunè reddant. Amici magni fata, quibus ego carminibus eluxi crudo adhuc dolore, nec dum adhiberi ſibi medicinam patiente, ea ab Octauiano Bono clam me edita ad te mitto. in his haud ſanè video, quid magnopere probare poſſis præter argumentum: quod ingenij vires ſi non fouit, certè, quod verendum iure fuerat, minimè oppreſſit tantâ mole virtutis, dignitatiſq;. Verùm hæc iudicij tui cenſura fuerit, quę mihi lapidis Heraclei inſtar. nobis ſatis erit fidem promiſſi exoluiſſe, quâ receperamus curaturos, vt ad te quamprimum perferrentur. Per mihi gratum, perq; honorificum profectò accidit tantum à te amori noſtro tribui, vt eo incolumi reliquorum amicorum caſus acerbos illos licèt, & veris deflendos lacrymis minùs ægrè feras. iſta tua mihi calcar admouet animi inductio currenti quidem mea ſponte, nec verò lentè ad te pari ſtudio, officioq; proſequendum. atq; vtinam ratio vitę vtriuſq; noſtrûm pateretur, vt coram mutuò nos alloqui frequentius, conſuetudiniſq; fructu perfrui poſſemus: nihil foret familiaritate noſtrâ optabilius. nunc in tanta coniunctione animorum iniquis

locorum spacijs disiungimur; nec nos nisi per somnium, soporemq; interuisimus, nisi per epistolam inuicem affamur. Postrema litterarum tuarũ pars me pupugit de belli exitu solicitum. virtute Imperatoris, apparatu classis, militis quoq; robore non vincimur: ne dolis, astu, insidijs simus hosti impares, vbi vis minimè procedit, inde suppetias petenti, nobis obnitendum. ad extremum, vti spero, potiori causę tanto in summæ rei discrimine Numen pręstò erit, bonorumq; fauor. Vale.

EIDEM.

TE cessationis non equidem incuso, quamuis diu fuerit, cùm ad me nihil omnino litterarum. Epistolam tibi, haud dicam scribere decreui, cui tu luculentam sanè materiam dedisti, dum tædia diutinæ militiæ, cęliq; istius grauitatem pluribus commemoras. quæ mihi, qui te lætum, florentemq; cupio, ita sunt molesta, vt tamen tibi Spartanâ stomachi generositate percoquenda censeam Viro perpessitio, & incommodis belli assueto. Fides in Rempublicam tua, fortitudo, consilium, quo vales plurimùm, hos nunc tibi labores pariunt; eadem porrò decus, commoda, voluptatem dabunt. Sine modò Panica ista deferueant inimicæ classis, quæ mihi videtur terrorem hucusq; innocuum circumtulisse: nam ridiculum ne dicam, religio est. Nos eisdem, quibus ante, per vindemiales ferias studijs insistimus, aucupium cum litteris, pastoritióq; munere iungentes, seu miscentes veriùs. Vale, & vince.

EIDEM.

EGo vero Catarum istam tuam mi Henrice de Catarro potiùs deduxerim, prono satis etymi decursu, nec rei penitùs incongruo, si vera sunt, quæ narrantur, eorum capi-

capita grauedine nimiâ tentari, qui istic morantur. Nam cæteræ eius nominis originationes non me mouent magìs, quàm Varronianę illę hominem ab humo deriuantes, lucum à ne lucido. Huic meæ sententiæ si faues, simul valetudini tuæ si consulis, quid tibi porrò sit optandum, etiam me tacente vides, qui per te satìs, non ex formulâ alienâ sapias. Accedit aliud incommodum non inter postrema recensendum tibi amicitiarum cultori officiosissimo, quòd ea loca incolas, vnde tuæ litteræ profectæ Vlysseo sanè fato persunguntur: anus enim, nec tamen floris extincti, ad nos veniunt. neq; nostris est ad te iter mnltò expeditius: multum, diuq; æquore iactatas vix tandem, imò ne vix quidem, Risonicus vester iste sinus excipit. Hæc à me pluribus dicuntur, ne tibi lentus cessator videar, aut spei decoctor tuæ. Memini nam me tibi recepisse, cùm castra hinc moueres, crebras ad te litteras daturum. Historię Mauroceni nostri sub prælo sunt, quibus ego auctarium paro, vitam Auctoris: pannum purpuræ inquies. quid agerem? importunis amicorum precibus vrgebar. Ij non aliter, quàm parendo, sibi satisfieri passuri erant. Nisi nos typographus morabitur, breui apparebit, meá ne potior causa fuerit detrectantis, an illorum, quæ ferre recusabant humeri, efflagitantium. Vale.

EIDEM.

CAuendum mihi maximè censeo, ne vulgarís sermo interpres sit mei in te amoris, minimè vulgaris: semilatinè rem agam paulò commodiùs, postquam mihi non licet esse tam facundo, vt Romane loquar; ex animi tui sententiâ alterutrâ tu lingua vtitor, vtriusq; peritissimus, modò ne diuersa seqentes insecteris, vt eorum mos est, qui negant se ferre posse Romanum consuli forum, quotiescunq; calamus, vt fit, ex re natâ arripitur ad epistolas familia-

liares exarandas, præsertim cùm Etruscæ linguæ opes se nobis ingerentes prȩstò sint, quibus vti, frui commodè possimus vsq; ad prisci Latij inuidiam. quasi verò nihil, aut parùm differat patritiæne Matronȩ adamator habearis, an sordidæ Cupidinis ancillariolus. Equidem non ita voti ærumnosi sum, vt labore improbo me confici cupiam in studijs; nec tamen, si optio detur, recusabo, quin mihi Romanȩ linguæ vsus carò emptus contingat potiùs, quàm Etrusci dialecti gratuita peritia, qui quantus, quantus est è Gotthicâ barbarie, & obscuris penè funerati Romani eloquij reliquijs ita est concretus, vt nos subinde admoneat non tam fatalis Imperij augustissimi ruinæ, quàm subsecutȩ seruitutis vnius omnium miserrimȩ. Quȩ cùm ego censeo, non mihi in mentem venit sententiȩ huius meæ pænitere tamquam vel degeneris, vel procul à ratione aberrantis. Erectȩ indolis est, atq; liberalis, cladium monumenta ægriùs aspicere, quæ ne æterna essent, maiores nostri trophæa ipsa voluere non ex ære, aut marmore, sed subitaneo excitata opere iniurijs temporum obijcere. Idem mihi planè euenit Dei beneficio. Grauatè ad cicatricem tam atrocis Italiȩ inflicti vulneris oculos reflecto: ad pristinam nominis Romani maiestatem libentissimè. Adde, quod cùm non omnibus nasci Etruscis Superi concesserint, nobisq; idioma aliquod ediscendum sit, quo sensa animi explicemus nostri; quænam, oro, fuerit vecordia, vberrimâ linguarum prætermissâ, illorum sermonem exprimere conari, quem ne finitimi quidem ab amaris dicterijs intactum sinunt, dum alios eius suboffendit gutturositas, alios hiatus oscitanti, quàm loquenti magis consentaneus. Nam quid ego de eiusdem conquerar inopiâ, cui nisi Romanæ linguæ succurrat opulentia, vix verbasellulariorum opificum operis sufficiat? At res oleum, operamq; poscit operosiorem, ingenium verò non impar ausis. non inficiamur: sed facturos se operæ pretium nomi-

mine Musarum, quæ se sponsores dant, omnibus edicimus, qui præclarum hunc laborem desudunt nauiter. Ea fuit Romani Imperij amplitudo: ea est religionis nostræ dignitas, quæ non aliâ in promendis arcanis vtitur interprete, vt nulla sit tam remota regio, quò Romanè facundi hominis industria, famæ quadrigis vecta non peruenerit: quod Etruscilogis istis minimè continget; quorum elegantiæ theatrum vt demus fore vallibus sui Arni amplius, Italiæ certè fines non excedit, quantulæ tandem regionis, si cum terrarum orbe maioribus noto, ignoto conferatur? Indignatio me vetat admirari satis quorundam doctiformem ignorantiam, quorum in ore illud frequens est. Cui nam demum rei Romanam linguam Reipublicę suæ fato superesse, nisi vt casum defleat? mortuis sanè concedi illam iure posse; viuis, & æthereâ aurâ fruentibus non item; nisi velint cum laruis colloqui. O dignos, qui cum láruis luctentur, homines; qui cum doctis differant, indignos. potuisse eò deuenire impudentię, vt linguam mortualem vocent, cuius munus est, vt vitam mortui immortalem viuant in monumentis litterarum, in memorijs hominum? Sed nę ego prædiues otij, qui talia per epistolam in transcursu tractem; & vrceum institui cœptum, amphoram imperitus figulus efficiam. Quid facias? argumentum res parcè suggerebat, nec desiderio meo consentaneum, quo teneor te non tribus verbis, vt Prætores solent, alloquendi, sed sermone senili, longo, Asiano, qualis ille est, quem Homerus niuibus hiberno sydere effusis comparat. hinc ista styli diuerticula, quibus paginas opplemus sæpiùs de nihilo. Tu interea valebis, & ad nos prolixitate non impari rescribes.

EIDEM.

AD chalcographorum metalla vt mea scripta damnem, mihi quidem persuaderi minùs patior, licèt sit non nemo, qui mihi, vt id faciam, suadet. Pertinaciæ

causa non vna est. Terret me non tam præceps operarum festinatio, quàm supina correctorum negligentia, ac stupor; quæ omnia natiuos librorum nœuos aduentitijs cumulant erratis vsq; ad fastidium lectorũ, auctorumq; iniuriam, Grammaticorum flagris vindicandam. Accedit quod publici iuris facere, quæ ipse mihi, Musisq; condidi, periculosæ plenum aleæ videtur. Exscribant potiùs, si qui tanti mea esse putant, & sodalitij prærogatiuâ sibi habeant. Vt preli ludibrium fiant, & inter ineptas merces proijciantur bibliopolarum, scombros, & thura metuentes, neq; tuli hactenus, neq; porro feram, dum mihi per Prętorem rerum mearum permittetur cura. Atqui pulchrum est vncialibus excusum litteris legi in ipso libri vestibulo à prętereuntibus, & monstrari digito auctorem operum iam lucem publiciq; iudicij censuram ferre audentium. Egregium id sanè esse non negauerim illis, quorum facies ad nitorem ita sit detesa, vt manifestâ in luce clariùs refulgeat. Nocturna ora, & non tam artis impressoriæ fuligine, quàm operarum maculis infecta quin tutiùs lateant, non dubito. Equidem vnum, atq; alterum cognoui, cuius ingenij monumenta auidè quæsita in acroasi legebantur summâ omnium approbatione, acclamationeq;, dum cupidinem excandefaciebant sui raritate; quæ postea per chalcographos vulgata, situ, atq; carie cōtabuere in tabernis. Id ne meis quoq; accidat, & timeo, & præsensione quadã animi conijcio. Neq; ido alios meo exẽplo detereri volo, quin Famę, quà collibuerit, magìs innotescãt: per me vel faces phano Dianę Ephesiæ admoueant. Quod vero ad te attinet, nihil planè refert, meá ne edantur, an in scrinijs congesta lateant, cũ tibi nihil apud me occlusum, nil sub serâ sit. Huiusmodi affectus erga te nostri specimen vt habeas, cõmẽtariolũ mittimus, quo ventrẽ à calumnia vindicauimus, vt innoxiè illi indulgeremus per hæc tempora, quibus pleriq; Bacchanalia viuunt, & totos se ventri dediderunt. Vale.

Ven-

Ventrem ignauiæ falsò insimulari.

FAlsò, & summam per calumniam incusari à membris Ventrem in Apologo, quòd alienâ curâ saginatus iners, & planè ignauus obtorpescat, & in alijs sępè aliàs animaduerti, & ipse non ita pridem semel sum expertus. Cum enim me domũ post Saliarem cœnam recipissem ita saburrâ insuetâ grauis, vt me gliris somnum indormiturum animo conciperem, frustra fui. noctem enim, quàm longa fuerat, insomnem duxi eandem planè ob caussam, vnde mihi soporis plurimum speraueram. Epularum varietas diuersæ inter se facultatis, factionisq; mihi fraudi fuit. ca talem tumultum mouit in angustijs stomachi conclusa, vt mihi intemperantiæ pœnas luere necesse fuerit, stomacho verò insonti, immeritò quoq; plecti meam vicem. Tum ventris mentem subijt conditio, ærumnosa quidem, nec tamen cæteris membris miserabilis, quorum seruitio ille mancipatus ab ingrato labore ne punctum quidem temporis interquiescit. Vbi familia numerosa satis, herus copiosus; promicondi munus innumeris est sollicitudinibus exercitum, neq; ideò ventri comparandum, cui præter pænoris procurationem coquinaria quoq; prouincia incumbit omnium vna molestissima, & quæ assiduam operam efflagitat; pretium verò capit operâ haud sanè dignum, obtrectationem, dum vitio illi datur vniuersi corporis cura tam piè suscepta quàm solerter obita. Noctem munere Diuûm concessam humanis artubus, vt à labore diurno conquiescerent, soporeq; vegetarentur tempestiuo, venter in opus vertit, quo nihil operosius, nihil est miserius. cœnam enim per æsophagum affatim, auidèq; ingestam in linguæ, palatiq; gratiam ipse vigil, succinctusq; excoquit, redigitq; in chylum: deinde dispensatoris officio resumpto venis diribitoribus vsus alituram membris quaquauersum suggerit.

At enim suam agit rem, inquies, præcipuè dum alienam curat, quod nequiores coquos facere videmus, qui, si quid est inter obsonia opiparum, seponunt sibi, idq; clam hero abliguriunt. nihil eo frugalius, nihil est siccum magis: habitum eius priùs specta, & tunc luxum obijce. cutis totus exucta, & rugosa est, macilentiâ non minùs, quàm Bellerophon olim, postquam cor suum per mæstitudinem edere occæperat, enectus. Nec ei dies affert leuamenti quidpiam, cùm diluculescit. Ceteræ hominis partes ad sua quęque munia se erigunt: venter eamdem veluti incudem tundens modò cruda concoquit, modò excocta liquat, nunc liquato digerit ad id tempus vsq; cùm fames, seu mos potius suadet paratis ad prandium epulis accumbere. Tunc enim nouus est ei exantlandus labor, tunc certamen resumendum cum Intemperantia Lernæa bellua, & quam strauisse semel non sit satis, per ferrum, & cædem renascentem. In vino, & ioco quid non audet nostræ ætatis Phæacum, vbi animis concaluit, iuuentus? prandium præmature initum in cœnæ, somniq; tempora procudunt per plenam licentiæ epenthesin, quam non in Grammaticorum scholis, sed in Bacchi sanè Orgijs ediscunt. interea in ventrem tanquam in pertusum dolium tanta cibi, potusq; copia profunditur, vt mirer loci angustiam sufficere. Non ita certè publica horrea opplentur commeatu, cùm longa obsidio timetur hostium. Tunc verò quàm molliter otietur venter, quamq; supinâ diffluat ignauiâ, longiore oratione mihi non est opus, vt renarrem. neminem fore puto, tam triparcum, Pisonisq; frugi illius æmulum, qui ventriculi sui cruditantis æstus aliquando non persenserit, condolueritq; eius vicem, cui quasi alteri Herculi contigerit ærumnosus labor Augeę stabuli purgandi. Phagones equidem alios veteres prætereo obsonijs perdundis natos, quorum diurnum medius fidius dimensum annona mihi satis laxa fores. tantum duos Cæsares in medium producam hono-

honoris causa numero exemptos Vitellium, & Maximinum. De illius edacitate mira Suetonius: hic quàm strenuè se gesserit in patinis (hæc enim eius arena, hæc palæstra fuit) accipe, si vacat. Carnis sexaginta libras comedit vnâ die, vini Capitolinam amphoram exhausit, octies nempe, & quadragies tantum, quantum vnâ cænâ geniali Augustus: ne putes à maiorum virtute posterioris æui Principes degenerasse. Verùm hæc nihil ad bellaria Albini: quingentas enim ficus edisse legimus, persica Cāpana centum, melones Hostienses decem, vuarum lauicanarum pondo viginti: quæ ne corbis quidem nisi ampla caperet, ne dum humanus ventriculus caninum minimè excedens, siqua fides anatomen sedulò tractantibus. nam Aureliani parasitus in cœna integrum aprum, veruecem, porcellūq; confecisse, centumq; insuper panes traditur: bibisse autem infundibulo ori apposito plus Horca, quæ sanè alui vtrem superat immanè quantum. neq; mihi consuetudinem vomitandi obijce, quo venter leuabatur iniquo onere integra orexi. nullum enim horum ἐμετήρια adhibuisse nobis satìs constat. Prodeat nunc aliquis è numero segnitiem ventri exprobrantium, siue pes, seu manus: iactet ille se corpus circumferre, lassitudinem imputet longis sæpe itineribus contractam, articulos hiscentes, luxatosq; memoret, perfractos ve talos: nos magna ista, & præclara esse minimè negabimus, sed quæ cum officio ventris comparata plurimum decrescant. nam neq; discursatio perennis est, & requiete nullâ intersecta, qualis corporum cælestium continenti tenore sua se per vestigia circumuoluentium. & vbi vel obrepsit lassitudo, vel ægritudo repentè ingruit, extemplo cessatur, sellaq;, aut lectus quæritur, in quibus vel cum reliquo corpore desideat, vel immotus iaceat prætexens causam inertiæ. Seleucus mehercule Rex haud mollius oculum curabat suum, quem habebat vnicum, quàm podagerpedem, cùm indoluit. ne muscam quidem super-

uolare patitur, quin flabello abigat. quæ fomenta exinde adhibere, quæ vnguenta adlinere omittunt nihil profutura delicati isti, qui occasionem luxuriandi vel de morbo rapiunt? Idem de manu quoq; dictum puta, si quando labore victa, vel perfuncta opus deserit. idem de oculo, cùm quidpiam absq; nictatione contentâ obtuetur acie. ambobus fatigationem abstergit otium, feriæq; aut indictæ, aut extortæ etiam ab inuitâ voluntate. Ventris haud eadem conditio est. interdiu, noctuq; vacationem non habet laboris, ne quantum quidem lusciniæ à cantu interquiescunt: & tamen cùm somnum in tam molesto munere non secus ac in suo Consulatu Canius, non viderit, ignauus ipse non modò audit ingratijs; sed vt quisq; supinâ ad opus desidiâ occaluit, Venter appellatur, quasi non aliundè profluat inertia, quàm ex eo fonte, cui quod viuimus, quod valemus, oppidò debemus, adeò beneficia ipsa, & quidem immortales gratias promerita in conuicia sæpe vertit liuor, ingratiq; animi peruersitas. Non impunè tamen: neq; enim, si vt est in prouerbio, venter caret omnino auribus, idem & omni vindictæ caret appetitione: vlciscitur acriter, cùm se dat occasio, contemptores suos iniurias in eorum capita sępiùs retorquens, cum quibus ea coniunctio illi intercedit, tale fœdus, vt necesse habeat eius ægritudine ægrescere, præsertim cùm pridianâ crapulâ distentus, nouis subinde ingestis dapibus, poculisq; cogitur disrumpi. Quanto illi satius Graiæ sapientiæ Antistites, qui de ventre & perhonorificè sentiunt, & verò loquuntur, in cordis humani nomen illum adoptantes, quo nihil habet nostri corporis structura dignius. vnde praua ventriculi affectio καρδιαλγία (cordolium latinè dixeris) Hippocratidarum pueris vocatur ad hæc vsq; tempora, Hellenismo adeo infesta, vt Patrum memoria extiterit non nemo, qui dum veterum errorem corrigit, parum accuratè, vt sibi videbatur, discernentium inter cordis, & stomachi dolorem, de-

clara-

clarauit suum. Et verò, si noscendi veri studio tenemur, nullam corporis partem cordi dignitate magis parem ventre inueniemus, & qua sine animal durare nequeat. nam quod vitæ thesaurus, sanguinisq; ac spiritûs officina meritò habetur, huic ille diętim suggerit, vnde sanguis, & spiritus conficitur, vita toleratur desitura profectò non aliter, si is defecerit, quàm floribus frigore decussis apum mellificium. Hinc factum summâ naturæ prouidentiâ, vt absq; capite, & corde animal gignatur nonnullum, sine ventre nullum. Cùm enim duæ in primis partes in omni animantium genere vitæ necessariæ sint visæ ijs, qui huiuscemodi studijs ducuntur, quà cibus conditur, & qua eiusdem recrementa emittuntur, ad extremum inuentus est nihili animal Ricinus harum altera carens, qui suo exemplo eos admoneret de duabus illis partibus, quas necessarias prorsus ad vitam existimabamus, alteram esse minùs necessariam. quæ cùm ita sint, desinendum est nobis corporis partem præsentissimę ad vitam opis, expromptæq; adeò, atq; omnium horarum satagentiæ, torporis ac desidiæ insimulare: edicendumq;, ne cui posthac tam abruptè contumaci esse liceat, vt Ventrem probro audeat incessere. Sin secus faxit; ieiunus noxę causâ perpetuum triduum obduret.

N.

AVdio tibi Sacerdotium delatum renuenti, imò inuitum te iniecta manu trahi ad id munus nemini primùm sponte subeundum. Audio, inquam, & sæculo nostro sanè gratulor, quod te ediderit magnis illis antiquitatis nominibus non imparem, quibus indui trabeâ, infulisq; erat libertate exui. Macte tali virtute Vir eximie: sic decus ingens paratur, sic cœlum scanditur. Non aliam viam institit Ambrosius de fuga in cathedram retractus: non Basilius,

filius, ne sacris præficeretur, solitudini se abdens Pontice. Laus ista admodum rara vel tūc fuit, cùm vberior Heroum annona fuerat: hodie ne dum rara est, verùm singularis. Huiusmodi exorsa quantas progressiones habitura sint: qui finis maneat, vix spes ipsa concipit maximarum rerum ita capax, vt expleri difficulter queat. Dabis tu satis scio operam, vt omnes intelligant te non frustrà onus formidasse, cui humeros eras subiecturus. nam alij ne conantur quidem id humo tollere, contenti honore, qui illi loco premij adiacet, quo nihil videtur humana licentia audire turpius. quis ferat coronam muralem expetentem, atq; arripientem, qui nonmodo non euaserit ad hostici mænia oppidi, verum schalas ei non admouerit? Seriò meditatum opus, seriò reiectum cum quis denique aggreditur victus conspirante omnium consensione, hunc ego eò sedulò id peracturum puto, & huius mee opinionis autorem habeo satis luculentum, operis initium. De gradu nobilitatis, vbi te sors nascendi posuit, ita te demittis, vt nullius eloquio non pateas. nec affari egenos satis habes, quod tamen ipsum per se mirum sit in tanta Procerum dedignatione: dictis auxilium misces, spem affers, annonas tibi dimensas cum eis diuidis, qui alimentis inemptis destituti fame pereunt mortis genere miserrimo. par studium impertis in commune, vt pietas se in maius det, sacra sanctè tractentur, mores sint digni prærogatiua ordinis ad cultum Numinis sepositi. Exemplo ista doces tuos, etiam tacendo, quo doctoris genere nihil habent Christiane schole efficacius. Facundiam, qua polles plurimum, expromes alios in vsus: cùm dogma nempe suadendum erit, vel notandus error, nisi reuincatur, nociturus. His tu quidem artibus quid non efficies veteranus Præsul, qui talia rudimenta ponis in ipso militie ingressu? Viuas modò, nec te Deus nisi serò ad palmam capessendam ad se euocet, si id melius expedire prænouerit. quòd ego opto, ac te veneror, & omnia,

quæ

quæ tua causa possim, tibi ex animo spondeo, deferoq; demissius. Vale.

EIDEM.

NOn Vlyssi homini vafro, ac fallaci te compararenrim mi Henrice, sed Antenori potiùs, æqui seruantissimo; postquam per tot rerum discrimina Euganeos ex alto portus tenuisti, Camęnarum sedes; tibiq; eo nomine vehementer gratulor, mihiq;, cui posthac, vti spero, dabitur audire, & reddere voces multò sanè crebriùs, si non † ζώφις illas, & per aërem ad aures delatas, at saltem earum notas, atq; simulacra calamo descripta. Habes, totâ quod mente petisti, frequentes cum Octauiano, & Donato Reipublicę columinibus congressus, familiariaq; cum nostro Synclitico colloquia, quibus ego Illyricis oris omnibus imperitare non anteferam, ne dum in excubijs Ad Rizonium sinum cum militari manu persedere. Nos Autumnalibus ferijs iam indictis Castalionæus secessus detinet, vrbi (meministi, puto) adeò propinquus, vt inde forensium castrorum clamores audire possemus, nisi vindemiæ feruor negotiorum æstus absumeret. Hic me amici conueniunt non rarò, nil planè curantem, præterquàm vt vrbanas curas muscis molestiores procul abigam, remissiore tamen id quoq; studio, ne mihi negotiorum fuga negotij facessat aliquid. Sermones cum eis habeo, quales olim cum Horatio Męcenas, animi causâ varios, iucundos, & quos impunè vel rimosis auribus audeas committere. Ijs tu quoq; argumentum heri præbuisti haud sanè illepidum, dum tuas in acroasi litteras perlegeremus, ne putes, tui memoriam apud nos minùs celebrari. In quos de te sermones venerimus, perscribam aliàs. nunc, ne vana spe te lactatum conquer aris, calamo excepta mittimus fugientia verba, vt certò scias nos illis compedes inijcere aliquando, vt ratio constet colloquiorum, quæ persequi, & miscere consueuimus,

† Viuas.

cùm

cùm otiamur. A Laurentio valetudini publicæ pręfecto plurima tibi salus impertitur; nos fausta omnia adprecamur. Vale. Belluni.

Sermo Castilionæus.

RVs obsecuti Genio secesseramus molli quodam tempestatis autumnę die: cuiusmodi plures grata vice subeunt Sirij calores. Hîc curis agricolationis commodum resumptis, nam vrbanas pridem sepostueramus, in hortis perlustrandis multus eram, quorum vt fructibus perlibenter vescor, ita cultu delector maximopere. Inuberes adeò sunt visi, vt vel à calamitate tactos, vel villici incuria neneglectos crederem, nisi & ille quidpiam à se peccatum pernegaret præsens, & squaloris caussam in insectorum examina transferret, quæ vere iam adulto arborum folijs auidè depastis pauperiem fructuum domino efficiunt. Insperato damno aures perculsus iussi eum relationem ingredi accuratiùs: quodnam insecti genus illud esset: cuius facultatis: vnde domo rogans? Neq; enim perinde animos, ac aspectum afficit despicabilium rerum aut damnosarum contemplatio. Inuenias quos naturę noscendę murium, atq; locustarum cura iuuet, quibus nihil sit earum occursu abominabilius. Confidenter ille, ac securus animi, postquam vidit rem verbis extra neruum geri: cladis historiam pertexuit leuidensi licet filo. Ego non indelèctari, qui horas aliquas vt tœdio subtraham, sermonibus audiendis, reddendisue destinauerim varijs, iucundis, nulli certè noxijs, vel si in malè tutas aures inciderint. Cuiusmodi ille itidem fuit, quo Solem hesternum vacui cōdidimus, arreptâ, vt fit, occasione de re nihili, & lanâ caprinâ leuiori, gliris nempè somno; hunc enim laqueo captum inter aues aucupes attulerant. Nullus eo somniculosior quadrupes antiquis habitus; totam, quàm longa est, hyemem in annosarum arborum cauernis (hæ sunt illi pro geniali thalamo,

thalamo, consopitus dormit, si credimus famæ; quæ mentita fidem, inter alia vulgò credita mendacia, id quoq; nostris maioribus obtrusit; dum sibi persuaderi semestrem glirium somnum patiuntur æquius, quàm animum veritatem vestigare oculis inducunt: quod nobis non ita pridem vsu venit aliud agentibus. Cum enim ad nos sub ęstiuum solstitium allatus esset glirillus recèns à matris vbere depulsus, accurauimus, vt pomentis, ac nucibus educaretur à vernulâ, concreditum sibi munus subeunte non indiligenter. Nam & alumno dimensum præbebat bis in die, & temeti aliquid addebat dapibus, postquam illum potu non indelectari sẽserat, quod nimis audacter nullo facto, vt par erat, periculo pernegarunt veteres. postremò eò res deducta loci est, vt syluestrem animum glis prorsùs exuens parasitus aulicus euaderet, nobiscumq; colluderet à cœna scitulus, atq; adeò munditiarum non indiligens, vt mures Ponticos æmularetur, quibus fœdari est, quàm mori turpius: et, quod propositæ disquisitionis caput fuerat, ita rigorem subalpinæ hyemis perferret, vt Iani Calendas, & Saturnalia in contubernio nostro ludibundus ageret: fato verò non ante Vergiliarum sidus conditum concederet, diutiùs etiam, vti mea fert opinio, superfuturus, nisi puer per lasciuiam fauces eius arctiori catenâ compressisset. I nunc, & inquirere in antiquorum scita nefas puta: dum licet facto experiri, quæ gratuitò alijs creduntur. Mihi sanè vt inglorium, ita plenum periculi videtur, alieno palato sapere. quod & de gliris sopore, indeq; ortâ in veterum cænis Saliaribus dignatione dictum velim. nihil enim causæ inuenio, cur sumptuariâ lege vetaretur, ne quis glirem conuiuis velut Accipenserem alterum, aut Attagenem Ionium apponeret, nisi fortè obsonandi Romanus adhuc rudis arma magis norat, quàm artium Apitianarum lautitias. quæ censui dãnosæ, iuxtà ac stomacho graues, cane peius, & angue fugiendæ sunt nobis, quibus salubritas frugalitatis co-

mes loco pręmij proponitur; in cuius ſpem aduerſus irritamenta gulæ perduremus. Sermo hactenus proceſſerat de glire materiam vberiorem alijs atq; alijs, vt ſumus in otio, & ioco garruli, daturus, cùm ſodalium vnus Anicetus interfari cæpit in hæc verba. Diu eſt, cùm audio dubias lautorum cœnas perniciem haud dubiam ſtomacho afferre, dum obſonia diuerſo ex orbe petita contrarijs inter ſe ſe viribus plerumq; prædita tumultum in ventre mouent haud aliter, quàm in carcere Æoli incluſi: *Vnà Euruſq; Notuſq; ruunt, creberq; procellis Africus*. Quæ mihi non tam verè videntur dici, quàm appoſitè ad caúſsam apud Ædiles pro luxuria dicendam. Is enim patronorum mos ſolemnis eſt, vt culpam, quâ reus premitur, ex arte Rhetorum aliorſum vertant. Nam cui dubium eſt rectè exiſtimanti, gulæ, non dapis eſſe crimen cruditatem, indeq; velut à Pandorę pixide longo ordine prodeuntes morbos? Innocuũ incuſatur ſumen, rhombus, boleti, oſtrea Lucrini tanquam diuerſis ſaporibus palatum, qualitatibus ſtomachum afficiant quaſi verò elementis magis inter ſe conueniat, ex quibus Natura finxit corpora mortalium, quæ quidni contrarijs gaudeant, alanturq; maximè, nempe ex contrarijs conflata? Non igitur in victu ſimplici ſanitas conſiſtit, quam nobis Heſiodus præſcribit maluæ, atq; aſphodeli mirus laudator. non in Alimo Epimenidęo, aut orizæ ptiſanario, quorum nihil eſt, quod noxium non reddat vtentium intemperantia, coquorumq; fraus herbulis herbas condientium, noto in id Ciceronis ioco, qui ſe à betis, & helueolis deceptũ in † epiphoram ſcribit incidiſſe; ſed in animi paucis contenti moderatione, qui cibum capiens non voluptatis cauſsâ, verùm alituræ ſaturitatem non ſecus, ac ſcopulum deuitet. Vidit hoc quicunq; ille fuit, Hygię Diuarum maximę Sacerdos, qui valetudinem duobus dyſſilabis potiſſimum, eiſdemq; Græcanicis concluſit † τροφῆς ἀκορία, πόνου ἀοκνία. quæ ſi modo adſint, edico ſalubria omnia futura,

† *Oculorum morbum ab humorum influxu.*

† *Cibi inſacietate laborum impigritia.*

tura, præsertim consuetudo si accesserit naturæ æmula, cui anus Attica debebat, quòd impunè cicutam sumeret pro ientaculo; non secus ac veratrum turdus, Sinarum optimates colubros proserpentes bestias, si vera sunt, quæ de illis traduntur in historijs. Sed quid Sinas huc arcessere est opus, à nobis tam longè dissitos? Cartusiani sodalitij aliquem mihi cogita. pisce is perpetuò, & plerunq; salito; dum verò se curat lautiùs, duratis igne ouis, lacteq; in caseum presso prandia instruit haud multi sanè precij cibarijs, haud probi succi. quibus tamen in seram vsq; senectutem protrahit ætatem integer, roboreq; indeflexo vigens, quia crebrò ieiunium dapibus immiscet condimentorum saluberrimũ, prætereaq; assæ vocis in Choro, corporis in horto exercitium; ne dura messorum ilia commemorem, queis æstuante Sole sub canicula allium dat vires, arentisq; panis lapidosum frustum. Fallor? an nullum non obsonium iuuat, si sumas sobriè: nullum non incommodat, si ita intemperanter, vt tibi non succurrat ventrem te vix totam spithamam latum, non Danaidum dolium implere. Valde vellem Chrysippi scripta iniuriam euasissent longioris æui, vbi ille medicinam faciebat animis, vnde morborum corporis origo est. dignatio certè autoris Stoicæ porticus columinis haud parùm afferret momenti non tam nostræ sententiæ firmandæ, quàm eorum obiurgandæ pertinaciæ, qui quoties ægrotant immeritum corpus tanquàm culpæ affine probris insectari non cessant tetrum animi carcerem vocantes, peccandiq; illicem. Id verò quam inique, postquam Chrysippi libri adiri nequeunt, neminem fore puto, qui non videat; modò secum cogitet, quæcunq; in nobis fiunt, animi imperio fieri, corporis seruitio. Quòd sanè corpus, dum animus aberrat à scopo, non magis plectendum equidem censuerim, quàm telum, si à capto oculis vibratum minimè collimet, nisi ita sentiam, Phäetontis casum quadrigis insontibus adiudicaturus

rus, non ipsius audaciȩ. Curari humanum corpus, etiam dum valet, ægrum, cibi ingestu amat, qui vires recreet ingenito calore, ac lassitudine exhaustas. Assidentem animum velut Pæoniȩ artis peritum aliquem rogat, vt subueniat maturè. Ille tanquam alter Gnato Parasitus intemperantiæ suasor affatim escarum omne genus ingerit, quibus obruatur potius, quàm enutriatur, dignus, cui ob egregium istud beneficium contingat, quod Camello accidit, ante fari quàm animantes desijssent. Id fuit huiusmodi. Carpebat ille cum boue viam sarcinis onusto, rogan-teq; verbis perquam supplicibus, vt aliquâ ex parte se iam succumbentem onere leuaret, alioquin futurum, si in viâ vires defecissent, vt vnus seq; suasq; sarcinas portaret. Non puto te nunc requirere, quis huic adfabulamen fabulæ adiungat. per te satis vides animo vsu venire sæpe numero, vt corpus, quod ipse, cùm alleuare posset, iniquiori crapulæ fasce onerauit potiùs, postremò affixum lectulo sustineat, falsò se plecti dolens immerentem. Quod de animo Epicharmus ait, illum esse, qui videt, quiq; audit, cætera surda, & cæca esse omnia. Idem nos leuiter inflectentes dicimus, animum esse, qui concoquens alimenta liquat, artubus adglutinat, valetudinem regit, modò operi huic vni uacet, nec aut plus quàm par est, appetat, aut ventri ingesta manere indigesta sinat, auocatus curis aliò tendentibus. Equidem tantum abest, vt Theophrasto assentiar scribenti carò hospitium corporis animo constare, vt contraria mihi potius sedeat sententia: nullum esse morbum, quem corpus illi non referat acceptum. ostiatim id per omnia genera morborum ducerem, nisi longum foret, nec ad rem, de qua nunc est sermo, multum faceret, cui satis factum esse reor, si luxus incommoda non aliunde in corpus fluere liquebit. Nec mihi podagram gentile quorundam hæredium subijcias: rari quippe sunt de serâ posteritate hac correpti peste, quos Maiorum intemperantia

suo-

suorum non delectet. Nuperum chirurgorum elegantium inuentum est, non vulneri pharmaca illinere, sed gladio, qui inflixit vulnus. hoc nos exemplum secutos decet corpore omisso, cui iussa tantùm capessere veluti mancipio fas est, animo medicinam facere praua imperanti, & vtriq; noxia. Sic fiet, vt ciborum lautities non modò non noceat modicè sumentibus, sed & prosit quoq; voluptate nos deliniens haud inconcessâ, quà penitùs haud permoueri non ego esse hominis, sed lapidis silicis censuerim. præsertim cũ Asclepiadũ auctoritas accedat, sũmâ cõsensione decernentiũ, ea maximè omniũ cibaria nutrire, quę maximè omniũ palato sapiũt. quorũ de genere cũ placẽta sit à placendo dicta, si Gulę credimus, Græcorũ Etymologias minimè moráti, quolibet pignore ausim contendere nihil eã incõmodi corpori laturam, modò cœnæ non appẽdix, sed caput sit, ad quam integram famem conuiuæ deferant, haud vllis ante dapibus libatam. Harũ enim pręceptio in caussa est, quod ad lancium cõaceruatim ingestarum aspectum in modum pullorum hirundinis hiamus, haud ita medius fidius facturi, si (vt sodales Philippus Macedo pater Alexandri admonebat) locum aliquem placentæ seruaremus, nec velut patinis abliguriendis nati, cuncta voraremus, quæ vel raritate commendantur, vel varietate. Solenne in Sacris faciundis olim verbum fuit *Hoc agamus*. quod maximè sanè vellem in conuiuijs quoq; obseruatum, vbi nunc non tam Genio litatur, quàm linguis cernitur in effręnem concertationum libidinem effusis. non aliàs rixę gliscunt acriùs ad conuicia vsq;, probra, reliquaq; Lapithum bellaria erupturæ. ne credas à cœna disputationes modò de litteris institui, vt Romulidis saturis mos erat. Mirari ergo tandem desinamus, si coctionem, sine quâ fermè sanitas non constat, tot auocamenta interturbant; curemusq; potiùs, quantum eniti vires nostræ possunt, ne † polyphagia cum polyposiâ fæderata, ac multiloquentiâ fanda, & infanda plau-

† Edacitas libacitate.

plaustris, quod aiunt, profundente in venenum deleterium conuertant cibum, quem nobis pro alexipharmaco Natura tribuit, vt foret vnde famis intestinę hostis damna pensaremus, commeatumq; præberemus somno. quem qui veterum dixit gratuitò nobis à Dijs immortalibus concedi, næ ille insomnem ob cruditatem nunquam noctem duxit. Mihi contrà labore, & cœnę laconismo venalis videbatur, qui non semel fuerim expertus, quantos turbulentissimorum somniorum tumultus cœnæ afferant lautiores, dum, quæ vnà cum multis considentibus conuiuis epulamur, ægrè vix concoquimus soli, ac nobis relicti. Perorasse Anicetum aduersùs simpliciorem diętam apparebat, cùm ego subridens; inuictum, inquam, te nomine Anicete noram, nunc re quoq; experior, argumentorum tuorum copiâ coactus, tibi vt herbam porrigam: nam ne placentam quoq;, Coquus me moratur, ad huiusmodi mattia planè indocilis; & cui, vt Lacones olim, cum sal, & acetum dedero, cætera ex horti areolis mutuanda sunt. Verùm etiam absq; placentâ in turdo, & pernice, quæ nobis per anni tempus inempta suppetunt abundè, facere te periculum arbitror licebit, orexim ne in potestate habeas, an te velut contumacis ferociæ equus secum ferat in prærupta gulæ, cui sanè auribus carenti haud facilè suaseris modum inter opiparas epulas seruare, nec lapides finales transilire sibi à valetudine, Temperantiæq; regulâ prefixos. Nam quod ad frugalitatem pertinet, non illam à luxu dirimit paucitas obsoniorum Ædilem metuentium, sed qualitas. alioquin Piso frugi vocaretur, qui Anatis ceruice, aut Anserino iecore, aut murenę lactibus libatis cætera aspernabundus coquo redderet. Gulæ id fastidientis magis esse puto, quàm frugalitatis, quæ cuis plerunq;, oleribusq; famem pellit: &, si quando aduentus hospitis inciderit, aut festus dies, armo ex iure vitulino, hædinóue, auiumq; minutarum patinâ. Quibus si contentus esse potes

tes Anicete, vadimonio cœnatico vnà cum sodalibus te vadare audeo. nam vmbris locus in tam clarâ luce nullus erit. Ad hæc ille: Benignè tu quidem, ait, & ex more facis, sed nos cœna aduentitia expectat Polybutę, quâ Hannonem hodie excipit magno apparatu post alterum biennium à penitissimis insulis Americani orbis redeuntem cum merce plurimâ exoticâ cinnamomo, pipere, Zinzibere; &, quo se multum iactat, diplomate earum regionum Regis holoserico, aureisq; litteris descripto, vbi habetur libertatem sibi dari impunè, quę velit de Ditionibus suis mentiendi. quâ ille libertate non immodicè hactenus est vsus: nisi quòd Regem plures habere aures, quàm Argi fuerint oculi, renarrat, quibus non modò quę quisq; suorum loquitur, inaudit, verùm etiam, quæ secum cogitat: eundem ore suo vesci perquàm sapidè: alieno stomacho concoquere: vocariq;, quibus ad id vtitur, concoctores regios, & haberi aulicorum intimos non secus, ac apud nos, qui Principum secretis admouentur. Reginas verò à conceptu fœtus alijs de matronarum gynecæi numero selectis molestissimum vteri ferendi munus, fastidijq; non minùs, quàm periculi plenum delegare: Infantibus regijs pretio conduci, qui pro eis vagiant, doleant, ægrescant, & reliqua omnia faciant, quæ sunt ætatulæ illi maximè incommoda. Nam, quod ad alituram spectat, per dedignationem recepti vulgò vsûs, nutricum vbera non sugunt, sed per infundibulum aureum lac Gallinę hauriunt, quo genus gallinaceum illic adeò abundat, vt ad mulctra veniat capellarum ritu. Nec sunt minùs mira, quæ de ijs commemorat, qui adorabundi Regem adeunt condictâ multo ante die, vt possint ora odoratis liquoribus commodè colluere, verbaq; byssina veste amicire, vt Parysatis Persas admonebat Cyri iunioris mater, ne nuda ad Regis aures appellant: quod apud illos piaculare facinus habetur, capite luendum. Regem parasitis volaticis in aucupio vti solitum addebat pro falco-

falconibus, quos regio illa haud magis alit, quàm Creta Insula venenatum animal pro Molossis verò: ad palatij fores obligatis, ex eorum genere Philosophis, qui Cynicam sectam æmulantur, suntq; ad ad latrandum obiectis aptissimi. Hæc ille primo aduentu, & quidem nec dum Regiam suis narrationibus egressus dabat gustûs gratiâ, plura à cœnâ, & lepidiora memoratui daturus, vt speramus, postquam vino incaluerit, cuiùs est impensè appetens, ex quo diuturnam sitim in illis regionibus collegit, quę neq; vites ferunt, ne; Citharędos ex Scythæ Anacharsidis præscripto. potûs verò incolis est instar plusquam Pythagoricum silentium. ob id puto ab Hippocrate + ἄδιχον vocatum, quod sitim absq: calice, & propinatione longè abigat, haud sanè aliter, quàm Epimenidis ex melle, & Scylla confecta Alimos. Hîc ego. At cœnam tam vario sermonum embammate lautam morari te inurbanum puto, quò si tibi vmbram adducendi aliquam ius datur, nulla in me mora est; en sequor, vel præeo potius, vt mos est vmbrarum, cùm à postico sole antrorsum, quà se fert corpus, protenduntur. Non ille, inquit, tu is es, qui secutoris vices obeas, ductorem aliorum apud nos professus: Si quid enimuerò auribus tuis dignum Hanno porrò dicet, id nobis referentibus vt par est, cognosces. Quibus dictis cœnatum ille abijt apud Polybutam: nos, quia Socraticum cœnę condimen. adhuc deerat, deambulatum cum Achatęo comite Aristęneto, qui mihi, cùm ad manum sermones non modò conuiuales, sed viales habeat, in viâ pro molli pilento esse solet. Is fortè inter eundum in agmen venatorum incidit, immane portentum Vrsum deferens triumphali pompâ; miratusq; prædam rogabat, qui ea potiri potuissent inermes, & multò, quàm fera fuerit, imbecilliores. tum ad me conuersus, vide, inquit, quàm falsò de naturâ homines queramur, quòd nos nudos, & defectis planè viribus crearit, quasi verò ingenium non pro telo sit aduersùs for.

+ Sitim ex tinguis.

tia

tia quæq;,noxiaq́;. Vngulis Alces exarmamus,quibus epileptici curentur: Lynci maculosa tergora detrahimus, queis amiciamur: in bella equorum generosa instruimus armenta: Elephantem immensæ molis, ac aspectûs horrendi animal quasi parùm foret in prælia armasse, in pompis pro lychnucho, in theatris pro funambulo abutimur, eò iam lasciuiæ progressi, vt deridiculo nobis sint terrorem inferre ante solita. Sic sanè est, inquam, cuncta homini parent, modò ipse rationi pareat. quâ si vti magistrâ animum inducimus, nos ab inimicis non minùs,quàm à feris bestijs detrimenti nihil, emolumenti verò etiam aliquid capere docebit: quod Telepho olim accidisse fabulæ loquuntur, cui telum hostile, cùm aliunde curationis spes haud affulgeret, opem tulit. Et verò quis negat inimici reprehensionem vtiliorem nobis, quàm sit nostrorum seruilis assentatio, qui videat hac vitium se in maius dare, illâ persanari? Philippus Macedo Alexandri pater se non parùm proficere aiebat Oratorum Atheniensium conuicijs, per quos sibi ignauo esse nõ licebat tam acutè in alienà vitia cernentes, obloquentesq́;. Hieronem Syracusarum Regem fætor oris eousq; incuratus latuit, dum ab inimico ei exprobraretur, vti fit, in iurgio. Romana res, donec hostis erat, qui cotis instar virtutem eius bellicam acueret, vel deuictus vincere solebat, imperij fines, quà se Sol circumagit, extendens. Ast vbi solo æquata Romæ æmula Carthago est; Corynthus â Mummio deleta; Achæi domiti; Pontus, & Macedonia in triumphum ducta; Taurus mons Antiocho præfixus ditionis limes, ne se inde in fæderatam Asiam effunderet, victricem in se dexteram conuertit, non id ausura, si stetisset pro muris Annibal, aut Capitolia alta obsideret Gallus. Agricolæ sanè haud inertis est non modo de felici arbore commodum percipere conari, sed de infructuosâ quoq; & siluestri, cuius & vmbrâ delectatur, si messis est, & focum ramalibus instruit, si frigus.

quanto magis prudentis erit viri ad cœtus, ciuilemq; disci-
plinam nati, aduersis iuxta, ac aduersarijs vti non incom-
modè? Apud Galenum te legisse puto Elegos Androma-
chi, Medici solertis, nec poëtæ mali; obseruasseq; Theria-
cam è venenatis bestijs plurimùm constare, quæ aduersùs
earundem morsus præcipuum est alexipharmacum. Idem
à me dictum de Scorpiaco putato, cui quis hominum quæso,
quis Deorum vetat, quin humani ingenij sagacitas artium
adinuentrix simile aliquid excogitet inimicis malacizandis
aptum, deliniendisq;? Verùm hæc illis præcipi deberent,
qui humanis tantùm rationibus ducuntur, amicis inimicos
ita permiscentibus, vt hos ab illis quàm lolium à triticeâ
segete euellas ægriùs, noto in id Biantis dicto. Amicum
eos non habere, qui inimicis carent. Nobis, qui ad eius
magistri verba sacramento adigimur, qui suos inimicos
amore, mirifico sanè vindictæ genere, vlcisci iubet, longè
alia via terenda est; & quam, ne auiam, ac summis difficul-
tatibus obseptam causeris, innumeri ante nos natos adiere,
haud pauci nobis viuis adeunt, adibuntq; porrò, postquam
nos eò receperimus, quò pij hinc digressi abeunt. Ab exem-
plis recensendis abstineo haud equidem inuitus, ne lon-
gum faciam; & quia nulli non nota, tibi verò etiam sunt
familiaria, cui libros dicta, factaq; virorum sanctorum
complectentes voluere assiduus non minùs labor, quàm
gratus est. Vnus profecto Stephanus sufficeret, rei, de qua
nobis est sermo, adstruendæ, qui lapidum nimbo obrutus
vitam in prece liquit pro scelestis, & malam illi gratiam
pro ingentibus meritis reddentibus. Hic ego, Aristæne-
tusq; deambulandi finem fecimus, diem Sol ducendi.

EIDEM.

LVna semel succreuit, decreuitq;, iter antequàm tua
epistola peregerit Calendis ipsis Nouembribus con-
scripta,

scripta, reddita Decembribus. Hinc fit, vt parùm compertum habeam Antenorísne Ciuis adhuc sis, aut te castra teneant, è portu in fluctus denuò reiectum. Illud malem, hoc vt suspicer, rumore adducor, atq; vtinam Panico, res in Cœnomanum finibus turbari ab ijs, quibus summa votorum est nos assiduo belli apparatu diuexari. Vbi vbi futurus es, litteris te sequar, modò sit, cui dem. Interea has in Octauiani Boni fasciculum conijci curabo, cui tu quoq; si tuas direxeris, Patauio abscedens, nę tu illis solerter caueris ab interceptoribus. Audio té ne, an fratrem tuum? vtriusq; enim nomen ad nos fama detulit, de historiâ Maurocenâ in Etruscum sermonem vertendâ cogitare, nec conatum improbo in multorum sanè commodum cessurum. quotus enim quisq; nunc Romana tractat, nisi Orbilius aliquis in ludo verbere irrito adigens comatorum gregem, vt bilingues fiat? Maurocenum nostrum prouincia adhuc tenet plena discursationis, & laboris. non enim statarium munus obit, sed maximè omnium motorium impigri per Italicam Reipublicę ditionem Correctoris. Nondum apud se constitutum habet, ecquando hæc aspreta montium visurus sit, imò si vllo vnquam tempore sit cum Imperio visurus, sibi enim succedi vehementer auet. nos contraria suis vota nuncupamus, Viri amicissimi conspectu frui cupientes. Verùm ijs viam inueniant rationes publicę. tu valetudinem tuam siue istic in Patauino otio, siue apud Insubres in hibernis cura diligenter, nosq; vt facis, ama tui cupidos. Vale.

EIDEM.

EXprimi vix potest, quàm sim tuâ perlectâ epistolâ lętatus, te eosdem locos ornandos suscepisse, quos ego arrepto calamo cum sim adumbraram. Opus erit dignum argumento, nihil vberius dignum auctore, quo nemo po-

+ Reipub. regendæ peritior.

+ Vitæ describendæ.

tior, & πολοτικώτερος. Nec formã scriptionis improbo: miror magis, hominẽ Gallũ homines nostros primũ docuisse eiusmodi + βιογραφίας characterẽ, in quo morum instructio cum Viri laudatione, cuius præcipua fit mẽtio, miscetur per quã appositè. Equidẽ tibi otiũ superesse ad scribendum gaudeo, non tam tui, qui mihi es in amoribus, quàm Reipublicæ caussâ, quam esse in uado sanè oportet te istic tam diu persedente, litterarumq; studijs posthabitâ militari curâ operam nauante. Nos hîc hyems perfrigefacit plus nimio, nix verò etiam circumobsidet aggere vallari, nisi annona maturiùs conuecta opitularetur, procul dubio succubituros. Nec satís subsidij in igne est: ipse quoq; penitùs refrixit contagione, credo, aëris algentis. Vnica spes fouet, sed non indubia, fore, vt breui nobis Fauonius succurrat, ni fortè hunc etiam hyemis rigor remoratur, ne se itineri committat Boreâ hoste infestissimo, & cuius ille congressum vehementer horret, acriter reflãte. Hyperbolas ne loquar, nullus ambigo te addubitaturum, qui Oritana frigora persenseris, quibuscum si Patauina conferas, Zephyritides auræ videbuntur, quæ Veris ingressum solent comitari. Hæc amicis nuncia, Syncliticoq; ante omnes, cuius ego præsentem necessitudinis fructum tibi sic inuideo, vt simul diuturnum adprecer. Vale.

MAFFÆO CARDINALI *Barberino.*
mox SVMMO PONTIFICI.

QVæ pridem in meis votis maxima pars fuerat, vt si non coram (excusantibus id annis) at saltem per litteras, quod possem, tibi innotescerem; hanc beneficio consecutus tuo non committam, vt silentio intercidat, à quo multa incommoda prouenire nouimus. nec me terret timor, ne notam importuni subeam: perspecta mihi iam dudum est tua in clientes eisdem studijs deditos facilitas:

quâ

quā cum amicè coniurat anni tempus, ferijs occupationibus ferias indicens. Nam rebus prolatis cùm in foro Alcedonia, cùm negotiosus quisq; curis vrbanis sepositis demigrat in propinqua rura, iura ipsa vetant, ne quis ius persequendo ad tribunalia reum pertrahat terræ frugibus occupatum colligendis; vnde iudicibus quoq; datur vacuitas, quid ni epistola pudentibus ausis ad Principum Virorum aulas adrepat? pręsertim si nec obstreperâ garrulitate aures obruat, nec nimis perfrictâ fronte pudorem legentis vrgeat aliquid petendo, qualis vt hęc nostra foret, accuratum est à nobis vehementer; an etiam pręstitum, iudicij erit tui Cardinalis Amplissime idem ac doctissime. Enimuero omne punctum tulerit; si tibi, quem omnes probant, haud improbata implesse videbitur munus, quod suscepit te, quâ decet, veneratione appellandi meâ vice, declarandiq; effusissimi mei in te studij, atq; pietatis. Felix, quæ tanti lectoris conspectum aditura, non tam censuram conscia sibi subueretur, quàm honore ducitur cum eo sermonem sociandi, cuius ob os linguæ sub flore Græcia non minùs, quàm antiquum Latium ora obuertissent sua. Sed non id nunc ago, vt laudes tuas carptim persequendo deteram, copia si qua foret, aliâs acturus, nisi tu historia esses ipse tibi verax, & res abundè eloquio suppeditans, & eloquium rebus. Quod volui, debuiq; maximè, tibi specimen animi non immemoris, ingratiq; dedi, daboq; quoad viuam, sensuq; colendæ virtutis non destituar. Vale.

LAVRENTIO REGOSIÆ *Medico Bellunensi.*

STipem parato mi Laurenti: fabellam audies folijs Sybillę veriorem. Magister nuper autoratus ad Clericorum disciplinam cùm ægrè loquacitatem sui auditorij concoqueret, nec spes vlla foret illam comprimendi, non si totum ferularum fascem perpetuâ verbigeratione con-

fregis-

fregiſſet, poſtremò legem dictatoriâ poteſtate ſanxit Lycurgeam, quâ maternæ linguæ vſus interdicebatur pueris in ludo, pęnis horrendi carminis in malè parentes intentatis. quibus eſt effectum, vt qui modò obſtrepero garritu hirundinum pullitiē vincebant, nunc piſcibus elinguiores ęterno ſilentio dies reddant à litteris plane mutos. Nã vernaculâ linguâ procul ablegatâ, necdum comparatâ Latiali, quid illis ampliùs ſit reliquum, quàm muſſitare Pythagoricâ facundiâ? Herculem ferunt adhuc in cunis vagientem, cùm apud Seryphios ſomnulum captaret, nec capere poſſet, impeditus ranunculorum, quibus inſula ſcatet, coaxatione, ſilentium illis imperaſſe, quo ex tempore prorſus obmutuerint. Idem planè Clericis eueniſſe dicas à rigidi præceptoris ſanctione editâ: quam porro pluſquam Manlianam fore puto, qui meminerim carmine Auſonij admonitus ſceptra quoq; Regum huiuſmodi magiſtrales ferulas tremiſcere. Illud doctorem malè habet, quòd pro diſertis pecudes tacitas ſua lex effecerit, iamq; in eo eſt, vt eã abroget Ignorationis interceſſione. Interea, cũ heri neſcioquid ex Ariſtotele de multiplici vocis inſtrumento coram diſcipulis differeret, pulmone nempe, arteriâ, linguâ, labijs, dentibus primoribus, quidam de grege magiſtrum ſemilatinè interpellans, vbinam inquit Romanæ elocutionis peritiam relinquis, quãuis dictarum rerum nobis magis neceſſariam ad verbigerandum hîc in tuis caſtris? Hæc quia mihi memoratu lepida ſunt viſa, ad te ſcripſi, vt haberes, quibus ſtudiorum triſtitiam abſtergeres tuorum. His inſuper alligaui casûs non illepidi commentariolum, quod inter manus mihi non ita pridem venit, dum mea ſchedia reuoluerem. eo perlegendo non minori forſan riſu perfunderis, videns ſermonibus conſerendis turpiùs quandoq; ſenes ineptire, in ſcholis quàm pueri ſoleant exterę linguę voculas quæritantes. Vale.

Cani-

Caninij in professoria Logices possessione Enthronismus.

IAm dilucescebat, cùm me somnus corripit peroptatus quidem, non tam quòd solstitialem noctem euigilaueram, quàm quia somnij mihi auctor fuit: quali si frui sępius contingat, Endimionis conditionem sanè non recuso, membra modò lectulus paulòquam sunt Lemnia saxa, mollior excipiat. Præconis vox primùm audita adeò Stentorea, vt gliris hybernum somnum excutere pectore potuerit. Edictum erat festiui carminis. Accurrerent omnes, & gaudium auribus capesserent nunquam aliàs tale percepturis. concursum ad theatrum ocyus: ima summa spectatoribus non secus quàm granis mala Punica, differta. tum duo seniculi in arenam ex composito producti, discipulorum turbâ prosequente pugnaturos inter se inuicem ex vultu illos apparebat, &si quonam certaminis genere parùm adhuc liqueret, armis destitutos. nam neq; cestibus horrebant brachia, nec machæris dextræ. tantùm nubecula, quæ supercilia insederat, nimbum minabatur penè secuturorum iurgiorum: nec diù expectatio nos suspensos tenuit. verbigeratio amentatis linguæ telis per quàm atrox cæpta. diuersis duo artibus duces dimicabant disputandi studijs asperrimi. alteri nomen Melanchetæ erat, alteri Eupolemo. ambo eandem Cathedram Dialecticę facultatis deperibant magistro per id tempus viduatam; nec riualem, vel magnum illum Stagiritarum ciuem facilè tulissent. Hæc eos causa inuicem commiserat periculum protinùs facturos, vter altero argumentorum iaculis confosso prouinciam competitore vacuam inuaderet. Melanchęta prior ita est exorsus. Ergo ne tam tui oblitus, tam securus mei Eupoleme mecum contendere es ausus, cuius in os non oscitantis quidem, ut Arcesilę olim, sed

totis

totis ingenij noctes, diesq; viribus connixi Dialectica quadraginta ab hinc plus minùs annis est ingressa, caterua doctrinarum generis cuiusmodicunq; comitata? cùm interea tu cucurbitis pingendis occupatus de triobolari pictore Logicus euaseris haud multi pretij. Hoc ictus conuicij telo Eupolemus, ignotum te priùs, inquit, mihi, ac ignobilem oratio te tua manifestò aperit ęquè Logicę rudem ac temeritatis rudiarium. Quis enim in ea hospes adeò est, atq; peregrinus, qui ergò particulam cum conclusione copulari solitam, ante ipsum vestibulum sermonis, tamquam vinariæ tabernæ hæderam, suspendat? nę tu eâdem artis, quam immodice nunc iactas imperitiâ, si tibi in acie pugnandum foret, tibiam galeâ indueres, caput verò ocrea. Quippe id facturus essem proculdubio, inquit Melanchęta, si te imitatus artem Dialecticam putarem, & non facultatem puerili hercule errore, & flagris, ne dum ferulâ leui corrigendo à summo præceptore Aristotele, qui Dialecticam posteaquam primus omnium in lucem edidit, lustrali eam die δύναμιν vocauit apto satis nomine, si cum ijs res sit qui Græcarum litterarum vocibus aures triuerunt. nam tu quàm Meleagrides aues, eas calles minùs. Hę siquidem à barbaris Græcos populares suos internoscunt. tibi vel Atticismus ipse barbarismus est. Ad hæc Epolemus subridens. euge, ait, Thraso: cristas erige; quod tria Stesichori quasi psittacus senex serò didicisti, Cecropidas in certamen voca Græcitatis, cùm sis ipse Datide Persa longè absurdior, qui Hellenismum affectans prouerbio quondam locum dedit infantiam illis exprobranti, qui apud Romanos gręcissant, in Gręcia ranunculi Seriphij futuri. Nam quod attinet ad Logicam, nego Aristotelem negasse eam artem esse, facultatem licet appellauerit, mutuò enim hæ voces inter se se commeant, si non eisdem, parum certè diuersis finibus coërcitæ. neq; minùs abnuo eiusdem auctoris inuentum Logicam fuisse. Multi ante Aristotelem

natum

natum eâ vsi sunt, quorum tu nomina ne fando quidem puto inaudisti, Zeno, Parmenides, Timęus, Plato, alij. è quibus argumentum contexi poterit tanquam ex præmissis te horum nihil fermè meminisse, nihil penè nosse. Equidem si me nihil nescire dixero, inquit Melancheta, socium habeo Socratem sapientissimum habitum Græcorum. At tę quis ferat eò arrogantiæ, eò inscitiæ progressum, vt dum Logicam veluti Penelopę exambis procus mercenarius, ex puris pictis singularibus propositionibus argumentum nectas, nec in mentem veniat vix pueris ignota cautio, qua id sub interminatione ferulæ vetatur? Sed quid ego te hastis velitaribus lacesso, nec agmine argumentorum in cuneum redacto protero, vel saltem bouem cornupetam ostendo, vt pueri occursum caueant tuum. Certè, quamuis tibi ferrea frons sit, te non inficiabere, quæcunq; non amisisti, possidere, at cornua te non amisisse pro comperto est, ergo ea, velis, nolis, possides. O plumbeum pugionem, quo me iugulas, inquit Eupolemus, iugulandus & ipse pariter, si te hircum olidum effecero, aut tale aliquod animal de genere ruminantium, quod te non rarò syllogismos asyllogistos ruminare dicant, qui nouere. pecus enim eris proculdubio, si ruminas. Altercatio gliscebat acrius, cùm agonothetę veriti, credo, ne logicâ Chrysippeâ hoc est manu in in pugnum compressâ res transigeretur, litem silentio digito indicto ita diremerunt, vt competitorum vterq; postquam indolis esset, pugnæ, quàm disceptationi aptioris, confestim lanistæ traderetur gladiatoriam docendus, producendusque proximis ludis in arenam. Interea professoriam Cathedram cani Lacęnę venatrici concredi placuit à Natura dialecticas methodos edoctæ. Cynicis res pergrata accidit cognatum sibi animal Academiæ præfectum. Tum canis solemni ritu doctor est inauguratus, Caniniusq; euphoniæ caussa transnominatus. Logici à lictore in ludum gladiatorium coniecti ficubus, & bubulâ pascendi.

Iamq; in eo erat præceptor nouus, vt prælectionem auspicaretur, cùm tintinnabuli strepitus discipulos ad scholam euocans mihi somnum depulit satis importunè. nimium enim auidè auebam ęmulos allatrantem eum audire, cui meo desiderio, nisi fortè par somnium succurreri t, vereor, ne fine suo carendum sit diu.

EIDEM.

PIgnorij nostri Epigramma dum legerem, primò me stupor diu defixum tenuit, qui eius argutiam non minùs, quàm elegantiam considerarem: deinde postquam ab admiratione emersit animus, silentium plausus excepit, gratulabundaq; acclamatio, quali Capitolia alta petentes Triumphali curru Quiritiũ turba prosequi solebat. E verò quid aliud quæso est sic carmem pangere, quàm de omnis ætatis Vatibus, qui eiusmodi claruere studio, triumphum agere? postremò eò me ęstus gestientis gaudij abripuit, vt consilium sumpserim audax, improuidum, aureos illos versus carmine plusquàm plumbeo laudandi. hoc vnà cum ipso Epigrammate, laudum materiâ, breui pagella inscriptum ad te mitto, vt singula comparando iudices, quàm egregiè impudentes simus, qui eximium Musarum opus, nec nostro illud quidem, nec vllius indigens præconio, ornandum sumpsimus. nam id quoq; ornatûs esse genus argutator aliquis contenderit, quod rem appositam reddit pulchriorem. Vale.

EIDEM.

QVibús nam ex Ioniæ nemoribus Attagenas in tua retia conuolasse dicam, quas ad me misisti mi Laurenti? Ego hîc non pari compendio aucupium exerceo, etsi eius artis haud negligens. Mensam tu quidem nostram

isto

isto tuo tam luculento munere beasti; palatum verò ita oblectasti, vt frugalitati faceres iniuriam, dum secum cogitat, ne Persarum quidem montes, quos aureos esse perhibent, impensæ porrò suffecturos, si illud talibus cibis assueuerit. Equidem cùm me non fugeret huiusmodi aues, labore multo captas ad diuitum quoq; prandia non frequenter adduci consilium in arenâ ex Apitianâ disciplinâ cepi, vt mihi sanè videtur non inscitum, vt vnus eas non vno tamen prandio conficerem. Nam cęna mihi breuior Laconum epistolâ paratur. Sed heus tu, qui valetudinis meæ canon esse soles, itáne verò epulari me doces Saliariter? Verùm iocorum iam satis: illud seriò, nos te plurimum ob id munus etiam amare. Vale.

FORTVNIO LICETO.

MVltum tibi mi Licete debeo tanquàm luculenti nominis parario, quod mihi voluptatis, fructûsq; affert, afferetq;, vt diuinat animus, in dies plurimum. Ecquodnam nomen istud sit rogas? Iulius Stroza tuus, idemq; tuo beneficio meus, iuuenis lectissimus, si ætatem respicis; sin ingenij monumenta, si vorsam, prorsamq; non in vno genere facundiam, veteranus in studijs miles, imo rudiarius. Equidem delector mirum in modum ipsius litteris scriptis peramanter, oratione funebri capior summopere, totâq; illâ exequiali pompâ ita sanè graphicè descriptâ, vt lectorem spectatorem reddat è vestigio. promissis etiam non parum ducor perquam amplis, quibus spem nobis facit, seu potiùs fiduciam fore, vt breui poëmatis exorsum non tenuis legamus, quo Venetæ vrbis incunabula persequitur grandiori stylo. Sed heus tu laudum tuarum pondere nimiùm nos oneras, dum ornas, an illis pro dignitate responsuri simus, susq; deq; habens. Proinde vt restrictiùs porrò agas, sanè censeo, nisi vis, me Famæ sponsoris

periculo decoquere, si occasio faciendi apud Agonothetas in litteris periculi vspiam inciderit. Vale Lycei columen, & rem posteritatis strenuè, vt cępisti, gere. Belluni.

LAVRENTIO REGOSIÆ *Medico*.

HEri effuso, vt fit per Autumnum, subitario imbre cùm conserenasset, admissis equis iter arripuimus, breue illud quidem, nisi viæ difficultas cæno plurimo aucta longum id fecisset. Tandem lutum eluctati, cliuum superauimus, cui villa imposita est, quæ in planitiem vergit, segetibus lętam, Baccho commodam apricorumq; collium prospectu peramænam. Hîc animus est tantisper persedere, dum mustum de prælo recens deferbuerit, & poma excocto crudiori succo ita maturuerint, vt decerpi se non inique ferant, atq; ad hiberna postcænia recondi. Diem in leues ambulationes, & aucupium partimur: illæ orexin nobis acuunt; hoc epulas large instruit inemptas, opiparas, cælo, vt olim Phrygibus Palladium, delapsas. Cupîdo si quando animum incessit aliquid legendi, vuas lego: ni faciam, fucorum alam ingluuiem impensiùs, qui nobis epulantibus prægustatores inuocati adsunt, nec abigi se flabello patiuntur, nisi vitam sub verbere reliquerint; tantus dapis amor, tantum ingenui odium laboris, quo germanæ eorum apes distinentur, mella, & quidem alienis vsibus stipantes. Lucerna primis tenebris accenditur, qualis Samnia illa Epicteti magno olim empta, fictilis, & si quid ad rem facit multos habens angulos, & in his funiculos, vt lumen per conclaue fundat luculentius. Ad hanc non exemplaria versantur græca, non latina: non lucubrationibus incumbitur maciem corporî, ęrumnas graues stomacho laturis. Cui enim rei? aut ecquemnam Genio suo iratum libido tam dira ceperit vindemiali licentiæ talia miscendi, quæ senium ætati ferunt ante diem, hilaritudinem

tudinem verò furcillis arcent longè gentium ? Ego mihimet ipsi, ex quo huc secessi, legem hanc præscripsi, ne qua vel caussa studiorum, vel materia foret, vt omnino à libris abstinerem, omnia alia agerem. Confabulationibus igitur nox teritur iam diei suppar ad focum linguacibus turmatim etiam admissis, postquam vel ipsa vernularum garrulitate non indelectatum Annęum Senecam accepimus subducti supercilij philosophum. Si cui manus operi admouere placet, is laqueos, plagulas, retia, & si quid aliud est genus textilium insidiarum fallendis auibus resarcit. Virtute, an dolo eas capiamus perinde ac legitimos hostes, racemulis nostris cladē afferentes, nihil sanè refert: præsertim cùm secum pacisci aliter non detur, vt rostrum ab iniuria contineant. Vides quàm nimis auidè veluti ex diutina siti hauriamus libertatem, quæ sera non alio fermè tempore nos respicit ? Totus nobis annus, quàm longus est, negotijs alienis perit, imò multo verius nos perimit. Paucos hosce dies tanquam à difficili hero manumissi vires recolligimus, eisdem mox curis insumendas. Alacriorem vnumquemq; reddi ad labores otij honesti interiectu, nisi expertus nossem, humanæ conditio naturæ me condocefaceret, quæ continens quidem studium non admittit magis, quàm trigonus obtusos vno plures angulos. Cornu quid rigidius ? arcus tamen ex eo factus, si assiduè tendas, rumpitur. Lassitudo, tœdia, fastidium cùm peculiare sit nostri corporis peculium, nullus sanè ambigo, quin eadem hæc ipsa, quæ modò voluptate animum afficiunt, si diu eis frui perrexerimus, satietatem sint nobis allatura. Audi Pindarum: πλησμονὴν εἶναι μέλιτος. dicentem. Idem quoq; de saccharo dixisset procul dubio, si suâ ætate id innotuisset condimenti genus pueris dulciariorum. Sed nę ego lepidus; qui, cùm ista super satietate præcepta referam veluti de tripode, euenturum tandem non subuerear, vt ad Epistolæ conspectum tam verbosæ tu quoq; frontem contrahas

trahas

trahas, longitudine eius sub offensus: præsertim cùm nec mellita sit, nec sesamo, ac papauere aspersa. Manum igitur de tabula depono, & te, vt opem ægris opportunè feras, saluere iubeo.

EIDEM.

MIrificè sum affectus tuis litteris mi Laurenti: erant enim lepôre, ac festiuitate omni delibutę. Accedebat propriarum laudum acroama, Sirenum cantu iucundius. Nam tametsi eas minùs agnoscamus, fit tamen nescio quo pacto, vt nos amor, illarum author plurimum delectet, cũ subit animũ nihil nisi aliquâ ex parte bonũ adamarià candidis presertim, & ijs, quos græci nimirũ † φιλόκαλους vocarent, qualẽ te esse mores contestantur tui. Sed heus tu, quęnam ista tua est seu ironia, siue verecundia, quâ tantam vim facundiæ, & quidem scribendo dissimulari posse tibi persuades? silendo istud quidem præstitisses meliùs: nunc indicio veluti sorex tu te prodis tuo, & dum infantiæ falsò te insimulas, Rhetorum copiam ostentas, doctis inuidendam. Non, si iactatio nimia subinanitati affinis est, demissio notam tam proiecta effugit. Suffragium, sine, de te ferat Lector, nec alienum iudicium præuerteris censor importunus. Equidem cùm ætatis nostræ Hippocratidas animo complector, perquam sanè paucos inuenio, qui veterum elegantiam æmulari queant: quos inter tu iure profiteri nomen potes tuum, qui ita benè Romanè loqueris; ac si tibi cum Cornelio Celso summa necessitudo intercesserit. Nec sermone modò pedestri vteris, dum se dat occasio, quadrigis Musarum vectus cò iter dirigis, quò paucis deuenisse datum omni æuo, tantùm, cęptis vt insistas, moneo: successus certè nec te fallet irritus, neq; expectationi nostræ minùs respondebit. Ego quidem quamuis ætate grauis in eo sim, vt Vacunę litare necesse habeam, te exem-

† Boni amatores.

plo

plo iuuero semper aliquid noui commentando, quod, si non vsui nepotibus seris esse poterit, me saltem à cogitatione auocet tristis senectutis, quæ quò ad quietem fatalem propiùs accedit, eò est inerti otio addictior. Quæ hodie benè manè elucubraui, remota, vt soleo, lucerna super Herodoto, si vacat, perlege. Vale.

Herodoti historia de Phrygiæ gentis vetustate falsi insimulata.

QVàm plurima esse apud hunc florentis facundiæ scriptorem fabularum figmentis, quàm fidei historico dignę propiora si dixerimus, plures sanè habebimus, in quorum sententiam pedibus eamus. Multa medius fidius illi Musæ suæ, quarum nominibus libros consecrauit, sunt mentitæ. Horum ego de numero si vnum eximam, falsi non dum ab alijs compertum, discutiamq; paulò accuratiùs, non mihi videbor operam lusurus. De vetustate gentium veteribus variè certatum fuisse satis constat, quos vera humani generis origo latuit, hinc Ægyptijs stolidè iactantibus ante quorumdam exortum siderum se ortos, quibus etiam nomina indiderint, inde Arcadiæ indigenis προσέληνους se ideò vocantibus, quòd Lunâ ipsâ fuerint natu grandiores. Hanc litem, vide, vt diremerit tanquam honorarius arbiter Psammitichus Ægypti Rex ex Herodoti relatu. Puerum modò genitum, & adhuc de parentis vtero rubentem è gremio obstetricis tolli iubet, Regijsq; opilionibus sedulò concredi procul ab omni hominum cœtu ita educandum, vt nullas omnino humanas voces hauriret auribus, quas deinde conari per æmulationem posset, qui mos est infantium, vbi fari primulùm incæptant, caprâ tantummodo cunabulis admotâ, cuius ille de vberibus lac sugeret, nec solus fabularis Iuppiter alituram deberet Amaltheæ. Hunc bimulum factum Be primam inter uagitus

gitus vocem edidisse, quâ panis apud Phrygas appellatur. Inde Phrygibus adiudicatus honos mansit vetustatis, quasi soli reiectâ omni artis imitatione naturam Magistram habeant loquendi. Hucusq; dictata sibi à Musis memorat Herodotus, quæ an probabiliter dicantur disquirendum est nobis ex promissi fide. Principiò minimè par fuit Psammitichum Ægypto imperantem, Ægyptium & ipsum, egregiam vetustatis laudem, quâ præcipuè nititur nobilitas, vltrò à plerisq; omnibus delatam tam infesto animo quàm exemplo nullo inuidisse: fastusq; regij penitùs oblitum id, quodcunq; est, decoris Phrygibus cessisse, nihil tale ne opinantibus quidem, ne dum iure sibi deberi flagitantibus: secus si fecisset Princeps opibus clarus, famâ ingens, minùs miraremur, qui Regum omnis æui propositi constantiam sat nouimus in suis ornamentis retinendis, augendiq; aduersùs contranitentium seu fraudem, seu violentiam. documento sit custodia acris titulorum post amissa regna, quorum erant tituli. Hic Rex Hierosolymorum audit ab eo plusquam terdecimus, qui per alienam iniuriam ne dicam, an propriam ignauiam? Hierosolyma perdidit inglorius. ille defensor fidei vocari gaudet, in quod se nomen pietas auorum olim adoptauit erga Pontificis Summi, Ecclesiæq; Romanæ difficillimis in rebus dignitatem, cùm totus in eo sit, vt ea ipsa admotis quibuscunq; potest machinis oppugnet, quæ maiores sui, vnde cognomen genti primùm fluxit, contentione virium summâ defensarunt. Et ne nostri ordinis homines suspenso, quod aiunt, vomere prætеream, Alexandrinus Patriarcha Græcus (vide typhum qui solus de pristinâ fortunâ genti doctrinis olim inclytę sit reliquus) Vniuersi se iudicem in epistolis subscribit in hunc vsq; diem titulo irridendo non minùs, quàm leuem admodum ob caussam adscito; vnus enim de numero Antecessorum inter nescio quos Regulos Europæ, atq; Asiæ de finibus mutuò certantes disceptator sederat

ab eis vltrò optatus. Sic est profectò. Ægerrimè Reges, vrbesq; adeò ipsæ decorum id genus damna patiuntur. Latio Saturnia latibula si demas, licèt fabulamentorum anilium simillima, non aliter id iniuriâ afficias, quàm si hærentem capiti summâ cum laude coronã detrahas. Caietani ciues hoc vno nomine Romæ alijs rebus omnibus superiori vrbem suam æquant, quòd eam Æneas condidit, antequam Thuscum Tyberim bibisset. Mantuam diuitem auis aude negare: iniuriam probris incolæ vlciscentur, si qua vnquam sors te illuc perduxerit. Et dubitamus Psammitichi factum temerè confictum reputare, cuius maximè omnium intererat se, suosq; in possessione vetustatis iam vsu, ac præscriptione captâ contra cuiusuis interdictum retineri? Nomenclatore Apollonij Rhodij scholiaste vsus, auctores non postremæ notæ aliquos recenseam mihi antea ignotos, qui Aegyptijs inter mortales palmam tribuerunt antiquissimæ nobilitatis, Cosmen, Leonem, Nicanora, Cnossum, Archemachum, Hippya, chronographumq; insuper Xenagoram: quibus adiungi posset Solon apud Platonem in Timæo; Peripati lumen Aristoteles, sexcentiq; alij minorum gentium vestigijs horum insistentes. Tantæ igitur consensionis globum infantuli lallare iam tum incipientis monosyllaba vocula disijciet? nam quæ caussam Arcadum potiorem facere potuerant, verborum amphibologijs, atq; ambagibus vtpote innixa, ab eodem Aristotele ita diluuntur. Arcadas Peloponnessi partem montibus impositam incoluisse barbaris inde prælio priùs profligatis, quod ante Lunæ exortum per obscuræ noctis silentia inierint, ideòq; Proselenas per militarem lasciuiam transnominatos. At enim ratio Herodoti non pueri autoritate nititur, sed Naturæ rerum, quæ ipsum vrgente fame panem phrygiacè poscere edocuit. Crederem sanè, nisi expertus essem, quàm difficulter pueri bimuli vbere depulsi inducantur à nutricibus, vt pane vesci velint, eoq; lentis

in pollinem ignibus redacto, vel præmanso saltem edentuli ipsi, & gingiuulis tenellis præditi; præsertim si copia lactis præsto sit famem abactura. Cupidine certè panis puerum capi potuisse, cui nunquam assueuerat, oppido negauerim, à ratione iamdudum persuasus præcognita nobis, non ignota appeti. Lac si poposcisset lactens adhuc puer, æquiùs ferremus, nec tam facilè fabella subolesceret. Nunc quis erit tam obtusi pectoris, qui se non sentiat vanis narrationibus deludi? Nam quòd ad Be vocem attinet à Naturâ ne puer eam hauserit, an per imitationem, atq; disciplinam edidicerit, vt psittacos facere videmus, disceptatore Corydone aliquo, vel Tytiro res eget, qui apprimè calleat pecoris dialectum sui. Nos fidem interea Varroni, ac Plauto habebimus, grammaticorumq; vetustissimo cuiq;, qui vocem illam, quæ secundæ alphabeti litteræ postea in hæsit, ouibus adscribunt. vnde puerum Aegyptium ouili in medio eductum eam percepisse, conformatisq; aptè ad id labris protulisse qui mirantur, ijs sit pariter miraculo à matre nec dum adultam lusciniā modulos perdiscere, quos ipsa succedente tempore cantillat, atq; pullos docet. Nec doctrina Herodoti luculentior in eo est, aut fides sanctior, quod de Cræsi Regis filio testatur; infantem illum diu, mutâ linguâ fuisse, cùm per ætatem fari posset; postea verò patris periculo commotum, cui miles non sat sibi noto post excidium Regni mortem intentabat, in ea prorupisse verba. *O homo ne Crȩsum perime*: vehementi nempe naturalis affectûs impetu quicquid erat ad loquēdum obicis subitò amoliente. quasi verò mutum à primo sui ortu non aurium faciat obstructio, quæ ediscere sermonem, proferreq; impedit, sed aut vocis defectus, aut linguæ nodus dissolui contumax, cui idem paterna pietas prȩstiterit, quod Alexandri ensis nodo Gordiano. Nimium hæc temerè scribuntur, creduntürq; aduersante penitùs experientiâ, orbeq; Peripateticis legibus parente; quarum de nu-

de numero hæc est, quæ iubet nos Mineruæ auditui debere non sermonis modò, sed disciplinarum quarumcunq; quas ingenij vis humani adinuenit.

EIDEM.

PHilosophiæ coniugem te superduxisse virginem lectissimam gauderem equidem, nisi illius seu diuortio, siue domestico iurgio mouerer: scis enim, quàm parùm inter mulieres conueniat, vbi fortè de communi ercíscundo lis suboritur, & si non dubitem, quæ tua est mi Laurenti ęquanimitas, & in omni vitę genere solertia, te minimè omnium passurum, vt Philosophia desertam se prorsus, atq; destitutam iure conqueratur; aut nouæ nuptæ aliquid suboleat, quod zelotypum eius animum excandefaciat. Partitis, puto, operis non incommodissimè obieris id munus, si vtriusq; illarum, tuiq; met rationem habueris in primis. Nam tibi ipsi deesse, vt alijs consulas assiduus, neq; tui iudicij, neq; artis est, quæ cauet, vt citra laborem operi incumbamus. Sed nę ego leuis, qui maritis regulas præscribo cælebs, senex præualentibus; & non potiùs (quod mei est officij in omnes, in te verò etiam amoris) Deum, Diuosq; omnes precor, vt tibi iter vitæ, quod nunc primùm insistis, fauentes, atq; propitij fortunent, quod ne, sicuti cuiuis obuium, ita obitu facillimum existimans, opinione admodum fallerê, paucis, etsi satis per te sapias monebo. Ante omnia illud scias, velim, te iam congeminatum, non vt ille olim in Plauti Amphitruone Sosias, aut nugæ Platonicæ Androgynus; sed diuino quodam modo, mystico, arcano, à Paulo nuptiarum castarum pronubo descripto, qui maritum, & vxorem ita ferruminatione quadam mirificâ inter se conglutinat, vt ex gemino corpore vnum planè fiat. in quo, sicuti quidem, si animorum quoq; vnio, atq; concordia adesset, nemini non optandum foret ad hu-

ius vitæ munera obeunda quadrimanum fieri, aut quadrioculum; ita animis in eodem corpore veluti fœdere rupto, gladiatorio more inter ſe pugnantibus, neſcio quid mente fingi poſſit ærumnoſius. miſerum profectò hoſtile bellum expertis eſt; calamitoſa ciuica ſeditio; deteſtabile diſſidium charorum: ſed omnium horum omnia incommoda tanto maiore interuallo anteit coniugum diſſenſio, quanto eſt intimior. Vehiculum neſcio quod curule, bigasq; equorum diſcordantium Plato comminiſcitur, quibus anima aurigæ parentibus feratur; diſtrahatur, eiſdem habenas non audientibus. his ego coniuges diſſentaneos ſic comparo, vt fatear exemplum à re vinci plurimum. Cùm itaq; tuus ex aſſe amplius non ſis futurus; ſed tui dimidio vxoris, ſummâ ope erit enitendum, vt illius animum concilies, quo diſſentiente tibi tecum quoq; minimè conueniet. non mihi nunc neceſſe puto oratorem illum, qui à fœderatâ vrbe Romam miſſus diſſidentium à plebe Patrum animos ſuo dicterio compoſuit, hûc accerſere; lepidumúe illud è Muſarum amænitatibus acroama, non aliter connubiales rixas euitari, quàm ſi captus oculis maritus, ſurda vxor fuerit. nulli non hæc iam vulgata, ne dum tibi, quem etiam ignorata alijs non fugiunt. Illud commemoraſſe non pigebit, euentura omnia, vt volumus, ſi vxor ſtudia, curas, cogitationes deniq; ſuas omnes intra gynecæum cohibere aſſueuerit, tibi, quæ virorum ſunt, permiſerit non iniquo animo. Sic fiet, vt partitis æquo iure inter vos muneribus, & illa Spartham, quàm nacta eſt, ornet pro virili parte, & tu à tua Prouincia † γυναικοκρατία v. nequiſſimum dominationis genus, longè arceas, nec tibi ferendum putes vllo pacto, vt illa virago audiat, contra tu vxorius. Arbitror te recordari, (qui nihil memoriâ dignum obliuiſci ſoleas) quàm non blandis verbis Venerem excipiat apud Homerum Iuppiter, quàm planè aſperis Turnus apud Virgilium Calyben Iunoniam, quòd ſe alienis à munere

† Muliebre imperium.

ſuo

suo rebus vellent immiscere. eisdem tu Tanaquilem tuam obiurges, censeo, quoties fasces sibi arrogat marito debitos, consilioq; præest inuocata. nam accersita aliquando, sententiamq; rogata, quin respondeat, saluâ muliebri verecundiâ non veto, qui legerim apud familiarem nostrum Senecam, Octauianum Augustum ne arcana quidem Imperij clam Liuiâ suâ habuisse, felici admodum euentu, rebusq; suis salutari. licèt, vt nunc sunt tempora, subuerear, ne Liuiarum semen prorsus exaruerit; adeò pleræq; omnes rimosæ effluunt, secreti non magis continentes, quàm fuerit Midæ Regis tonsor. nisi fortè huius culpæ reos maritos ducimus, qui cum vxorum suarum animos accuratè excolendos, suisq; imbuendos moribus desumpserint, per lasciuiam, & vaniloquentiam corrumpunt ita statim ab initio, vt sibi uiam omnem in posterum præcludant, vbi licentia illa nimiùm stultè hymenæo concedi solita desedit, illas corrigendi. Verùm tu quidem, in cuius caput hæc faba cuditur, cautiùs hæc caueris, dum puella rudis, cereaq; in vitium iuxta, ac virtutem flecti, non inuita, quò tu cunq; iusseris, sequetur. etenim cùm matrimonium duplicem ob finem appetatur, mutuę beneuolentiæ, & quærendorum liberorum causâ, exprimi vix potest, quantum in vtroq; referat, cuiusmodi vitæ sociam, matremq; familiâs futuram adducas domum, probamne, ac educatam liberaliter, an secus: vnde damnosus illorum error redarguitur, qui vbi de dote semel conuenere, de moribus ne verbum quidem addunt ampliùs, tamquam eò cogitationum suarum tela iaciant veluti ad scopum, indotatam ne Alcestem quidem, quæ pro mariti morte vadem se obtulit, ducturi, aut exemplar pudicitiæ Penelopen. quod quàm ipsis non benè vertat, vtinam non tam multiplici eorum exemplo foret testatissimum, qui in vxorum ære potiùs, quàm in amoribus esse voluerunt, impenso empti pretio non minùs, quàm olim venales Sardi de catasta.

Quæ

Quæ, quia te non tangunt, à me nunc dicuntur ideò liberiùs, vt tecum cogites, quàm tu illis multo consultiùs, qui tibi parem moribus, conditione, domesticâ disciplinâ, ditioribus prætuleris, & proauos consules iactantibus, cò maiore commendatione prosequendus, quò spes tibi magìs in procliui est illam in tuâ potestate permansuram, frugi, pudoricolam, morigeram, etsi verbum haud asperna-ris ominis per quam boni, licet parùm splendidum, casariam; quæ non tam tecum, quàm secum habitet, nec maritum, si quid cum studijs constitutum habet, Daui Terentiani in morem interturbet. Vt enim eò desinat oratio, vnde est exorta, præcipuè illud tibi etiam, atq; etiam erit peruincendum, vt Philosophiam riualem ferre ediscat paullatim, quâ cum tibi consuetudo intercedit summa, & non nisi morte ipsâ dissuenda: nec se pluris putet, quàm Hesterilla matrona opulenta, potens, pietate in suos celeberrima, quæ non nisi symbolo quodam euocata accedere ad Regem, Regina licèt, audebat. Vides, quo in casu studiorum sis, quàm non vulgarem excieris expectationem tui apud omnes, ex quo sola medicina, quam diligenter, & cum cura facis, minimè contentus, præclara quæq; & cognitu dignissima decerpis ex vniuerso doctrinarum orbe, profectu haud tibi quidem pœnitendo, sed qui laboris adhuc, & temporis requirat plusculum ad perfectionem illam omnibus numeris constantem, quod nisi statis horis vacationem muneris coniugalis impetraueris, addubito, quî sis egregijs tuis inceptis suffecturus. Nam & Mineruam ita dictam autumant, quia neruos minuat, & Iuno marita quantum vires carpat, ipse breui tibi, credo, fidem facies. Vale.

HIE-

HIERONYMVS ALEANDER

ALOYSIO LOLLINO.

DIu eſt, quum libellus meus de ſuburbicarijs profe-ctionem ad te adornat. & quamuis non ſine plauſu & in Gallia, vbi ortum controuerſia habuit, & alibi fuerit exceptus, timidus tamen iſtuc accedit. Multa ſunt ad regiones Vrbicarias, & ſuburbicarias, quæ in tenebris diu iacuerunt. ijs aliquid ſe lucis conciliaſſe viſus eſt libellus hic noſter, ac nonnulla protuliſſe, quæ à nemine ſunt hactenus animaduerſa. at quæ tua eſt eruditio, ingenijq; acumen, nihil afferre ſe poſſe confidit tuum in conſpectum, quod nouum tibi ſit. tua nos tamen recreat humanitas, ſpeſq; accedit non inanis, fore, vt hac data occaſione aliquid me moneas, quo nihil mihi gratius accidere poterit: vt ſi quid fortè recudendum hac in re fuerit, doctior, ſolidiorq; noſter prodeat commentarius. Vale. Romæ.

HIERONYMO ALEANDRO *Viro Doctiſſimo.*

NÆ tu ſtudiorum meorum bono noui ſemper aliquid procudis mi Aleander, qui ea nunc ſubtiliſſimis acuis diſputationibus, nunc lepôre reficis Muſarum equeſtri iuxta ac pedeſtri facundia commemorabilis. Vel tuus iſte libellus nuperus de regionibus ſuburbicarijs quàm feliciter audet; quàm valide aduerſarium proſternit, fruſtrà vafris fallacijs fidentem. Sed quid ago? tu meam ſententiam ſedulò rogabas, ego plauſum do, Genio ſcriptorum tuorum ſane debitum, qui lectores ſuos ad vnum omnes Laudatores efficit, ne dum nos, quibus ob ſuauitatem morum infucatam, non minùs quàm propter ſingularem eruditionem es cariſſimus. Perge porrò, vt cępiſti,

& stylo, quo vales plurimùm, cornicum istarum oculos confige. nusquam studium tuum collocari poterit præclariùs. Seriùs nos ad tuas respondere litteras, mirari desines, cùm eas sesquimestre spatium contriuisse in itinere resciueris. erant enim scriptæ Idibus Octobris, qui mensis vides quantum à Iulio distet in Augusti Calendas iam præcipiti, neq; ideo minus iucundæ, nobis acciderunt, quàm si Abaris sagittâ vectæ citiùs dicto aduenissent. Vale.





ALOYSII LOLLINI EPISTOLARVM.

LIBER TERTIVS.

Scipioni Cardinali Cobellutio.



Ibliothecam Vaticanam omnium, quas huius æui Principum sumptuosa instruxit elegantia, luculentissimam, tuæ curæ creditam non tam tibi gratulor Cardinalis Amplissime, qui spirans Bibliotheca meritò haberis, quàm grauioribus Musis, quarum ex re fuit Virum omnis doctrinæ arcanorum conscium suis præfici Sacris, non fabularibus illis, poëtarũ carmine extructis, sed quibus feliciũ ingeniorũ monumenta continentur, quot temporũ procellam euasere. & verò qualis thesauro isti comparata non vilescat gaza, qui mortalium animos eo auri genere ditiores reddit, cuius Plato cupidine flagrabat, vulgarium opum maximus contemptor? Non alias arces Pallas Sophiæ præses incolit libentiùs, quàm istas, ex quo Atticas illas à se conditas Thracia diruit barbaries. Pallas inquam, non Cecropia modò, verùm Romana, Assyria, Hebręa; & si quæ alia extat eruditorum studijs exculta. Huic ego te prouinciæ admotum quasi Triptolemum alterum suspicio, breui fore ratus, vt frugibus ex disertissimis istiusmodi horreis depromptis, litterariam annonam laxes, ac locupletes vsus artis typographicæ industriâ: qua fit, vt præclarissimorum autorum scripta non secus ac semina agricolarum cu-

râ terræ credita centeno plerunq; fœnore succrescant. Aut ego vehementer erro, aut non conuenientius aliâ viâ casibus occurritur, quibus eiusmodi Musarum opes olim sunt accisæ. Nam tantum memoriâ fidere portentosum puto, & Ægyptiorum iactantiæ persimile. Præclarè nobiscum sanè ageretur, qui antiquâ librorum lectione capimur, si ars commendatione omnium dignissima aut inuēta maturiùs, aut in illis operibus edendis maximè adhibita fuisset, quæ ætatem egregiè tulerunt inter tot aduersantis fortunæ, ac temporum iniurias. Non id mihi sumo, vt te Virum ad exemplar natum aliorum exemplis moneam; neq; tamen mihi ipse imperare possum, quin commemorem Francisci Gallorum Regis Inclyti consilium, cuius autor pręcipuus Ianus Lascaris fuisse fertur amplissimis legationibus non ignotus. Codices venerandæ vetustatis è ruinis Græciæ ereptos instituerat ille sui sæculi Phœnix pulcherrimis characteribus excudendos tradere, iamq; specimen eius rei dederat in Synesio, Philone, alijs, quorum libri Adriani Turnebi operâ (is tum typis præerat) leguntur, Regię liberalitatis erga eruditos omnes monumentum; nec aliò respexit Principum Hetruscorum studium, quorum auspicijs, Petro Victorio accurante, prodijt Porphyrius, Hipparchus, & qui vnus Bibliothecę instar fuerit Clemēs Alexandrinus Panteni Martyris discipulus. Verùm hæc tu meliùs, cuius præcellentis doctrinæ, atq; amplissimę dignitatis interest imitatione digna meditari, & quæ narret per sua sæcula posteritas. Ego ita te perfuncturum pulcherrimo isto munere confido, vt non addubitem sponsorem me dare bonorum expectationi prolixæ in publica commoda tuæ voluntatis. atq; vtinam ne onus senectutis, cuius limen tero humeris incumbens prægrauaret vires, me non tam præclari laboris suasorem, quàm ministrum sedulum haberes. Nunc, quod possum, ne asymbolus omnino ad consilium accessisse dicar, quæ mente agitem paucis exponam. Diu est,

est, cùm è Patmo penitissimâ Ægei maris insulâ missis eò exscriptoribus ad me conuehendos Venetias codices curaui, græcos, maiori ex parte nondum editos, qui apud me visuntur vnà cum pluribus alijs haud promptis inuentu, vetustis, calamoq; exaratis voluminibus: inuisenturq; dum viuam, huius solitudinis, quam incolo, fidi, atq; omnium horarum comites. Post obitum verò, cùm subuereri mihi veniat in mentem, ne maximâ impensâ, & labore parta dilabantur, præsertim nullo Lollinæ gentis hærede nobis succrescente: iccirco communi bono, Sanctæq; Romanæ Ecclesiæ in primis commodo, cui summæ curæ huiusmodi supellex omni æuo fuit, cupiens consultum, in hanc cogitationem deniq; deueni, vt Bibliothecæ Vaticanæ, cui tu nunc præsides, omnes meos manuscriptos Codices legarem, & quicquid interea otij mihi obtigisset, totum id vertendis in latinum græcis autoribus impenderem nondum euulgatis. Hæc mea mens, quam si tibi non improbari intellexero, dabo operam, vt solemni iuris subsidio firmetur. Rem Ecclesiæ vsui futuram duo amplissima eius lumina testati sunt Cæsar Baronius, & Iacobus de Perona Cardinales, quorum alter Venetijs Libros hosce vidit, peruoluitq; non indiligenter, alter nonnulla ex ijs excerpta suis eximij operis annalibus intexuit. Sed ne ego, dum genio indulgeo (feror enim in id genus lautitias Musarum paulo effusiùs) non tam eximiæ tuæ dignitatis, quàm pudoris mei sum planè oblitus. Finem igitur faciam tuis grauioribus curis obstrependi, Deum adprecatus, vt te communi spei bonorum, Ecclesiæ, litteris conseruet. Vale.

SCIPIO CARDINALIS COBELLVTIVS

ALOYSIO LOLLINO.

Fateri equidem debeo pluris mihi esse Bibliothecarij Apostolici munus, posteaquam eo te mirificè lætatum

intellexi; pro meo enim erga te studio, & ex lætitia tuâ voluptatem capio, & tuo iudicio delector. Quod me ad Codices Vaticanos edendos hortaris, pro amico facis, atq; ipse à sententia tua non discedo. quàm sit res tamen impedita, ac difficilis Sixti Quinti, & Clementis Octaui summorum Santiss. Mem. Pontificum, qui in eam curam incubuere, exempla docent. Curabo ego, ne mea de Republica benemerendi voluntas desideretur. Consilium tuum de manuscriptis Codicibus, quos domi contines, quanta sit dignum laude, eloqui procliue non est, cùm pietas, quæ cum prudentia coniungitur (vtraq; in eo est) satis commendari non possit. Nisi verò existimarem magnam otij tui partem in ijs libris euoluendis positam esse, fortè suaderem, vt sententiam paululum mutares: subit enim animum meum, quàm sublesta esse soleat fides posterorum, quamq; facilè ab obitu decreta nostra, non cogitatio sed tuæ erunt partes peruidere, ne successu careant tua vota: tibi casus interuertant. quantum sim hoc nomine debiturus, nunc nequeo statuere: immensum, vt spero, erit. Vale, & meo inseruiendi tibi studio vtere. Romæ.

SCIPIONI CARDINALI COBELLVTIO

ALOYSIVS LOLLINVS.

NEcdum Librarius Dionysij Alexandrini exemplar exararat, lentus ille quidem, & calami ad celerem scriptionis cursum non aptissimi, cùm mihi venit in mentem subuereri, ne munus non tanti sit, vt tam longam expectationem sustinere possis. Statui igitur Illustriss. Dom. Archetypum ipsum pro exemplari neographo; Dionysium geminum pro vnico ad te transmittere, ratus Bibliothecę Vaticanæ, vni omnium instructissimæ, ac celeberrimæ magis conuenire volumen non tam vetustate, cha-

racterumq; elegantiâ conspicuum, quàm Theodoræ Reginæ studio in litteras præclarum. Nam eius auspicio descriptum Iambici testantur, vestibulo operis præfixi. Tuæ erit benignitatis Vir amplissime hoc qualecunq; monumentum mei erga te, pijq; adeo generis Parentem Beatissimum obsequij boni consulere, eiusq;. Maiestatem, nisi importunum videbitur, venerari meis verbis. Deus te Illustriss. Pater quàm diutissimè incolumem, florentemq; seruet, quod dum precor, non modò pro te vota facio, sed pro studijs, litterisq; nostris, in quorum commoda ætatem impendis eò conducibiliorem Reipublicæ futuram, quò longiorem. Vale.

SCIPIO CARDINALIS COBELLVTIVS.

ALOYSIO LOLLINO.

MVnus fuisset præclarum, Dionysij exemplar, quod mittere constitueras, sed (quæ tua est animi virtus) voluisti mittendo Archetypum, vel Theodoræ Reginæ nomine suspiciendum illud Regium vt esset. Propterea maximas tibi gratias agere exiguum puto, malimq; existimes, nihil esse tantum, ad quod non sim tuâ causâ paratissimus. Pergratam vero Santiss. D. N. accidisse hanc obsequij testificationem ex Breui, quod his adiunxi, cognosces. Quod superest, quotiescunq; quid significaueris, in quo me tibi vsui esse posse censueris, dabo operam, vt meam inseruiendi tibi voluntatem res ampliùs declaret. Vale. ex Vrbe 7. Martij 1620.

PAV.

PAVLVS PP. V.

ALOYSIO LOLLINO *Episcopo.*

V*Enerabilis frater salutem, & Apostolicam benedictionem.* Dionysius Areopagita, qui in antiquo codice doctissimis Commentarijs illustratus Fraternitatis tuę munere ad nos peruenit, tanti apud nos est, quantum & doni ipsius dignitas, & eius, qui donauit, egregia virtus, ac merita requirunt. Exornabit in posterum nobile hoc opus Bibliothecam nostram Vaticanam, sed non exiguo cum Fraternitatis tuæ ornamento; quot quot enim eruditi Viri ex varijs mundi partibus ad hanc ipsam Bibliothecam inuisendam, & perscrutandam vnquam accedent, procul dubio tui memoriam debitâ cum laude vsurpabunt, tuamq; liberalitatem commendare non desistent, quippe qui communi studiosorum bono benignè prospiciens, quę res priùs tuo tantùm priuato vsui deseruiebat, eam deinceps ad publicum commodum celeberrimo in loco exponendam dederis. Nos equidem sicuti accepti doni magnitudinem æquâ lance pensamus, & tuum maximè promptum animum in re tibi charissimâ largiendâ plurimi facimus, ita, cùm vsus venerit, perspicuè demonstrare conabimur, quantus sit noster in te paterni animi affectus, & quàm grato semper, alacriq; animo, quæ ad tua commoda pertinere vnquam intelligemus, exequi studeamus. Dominus Fraternitatem tuam cælestibus donis quotidie magis augeat; & Nos iterũ tibi Apostolicam benedictionem toto ex animo impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die duodecima Martij. MDCXX. Pontificatus nostri Anno Decimo quinto.

SCIPIONI CARDINALI COBELLVTIO.

NOmen meum tot modis apud te Illustriss. Dom. in expensi tabulas relatum soluendo expungere quî possim, si vel eo fermè tempore, quo de meo exiguum quidpiam in solutum accipis, nouo me beneficio obstringis? Nimium te meritorum tuorum immemorem facit singularis tua erga me humanitas, quæ, quasi parùm foret non crebrò appellare lentum nomen, eò se etiam demittit, vt gratias propè habeat, quoties in me vestigium officij aliquod apparet. Persta in hac propositi ratione Vir Amplissime, beneficiaq; tua haud imputando in immensum auge. Me, vt alia omnia desint, ab ingratitudine vindicabit animus non tam capax gratię, quàm memor. Responsum ad Sanctiss. D. N. litteras, paternæ indulgentiæ plenas tuâ benignitate fretus ijs adiunxi Sanctitati suæ, nisi importunum, aut tantâ sacrosanctæ potestatis maiestate inferius videbitur, reddendas. Deum precor Illustriss. Dom. vt perdiu mihi præsidio tuo, litterarum studijs, fauoreq; vti liceat tam propenso. Vale Belluni die xj. April. 1620.

SANCTISSIMO D.N.D. PAVLO V. *Pontifici Maximo.*

NImirùm hoc deerat lætitiæ meæ cumulandæ, quam ex eo mirificam percepi, quod Dionysij Areopagitæ opera in istâ arce Vaticanâ doctrinarum, celeberrimoq; Ecclesiæ armamētario aduersùs vim hæresum sacraueram, vt mea Beatissime Pater in te pietas non modò tibi non ingrata, verùm etiam singulari contestata foret benignitatis declaratione, qua sunt Sanctit. tuę litteræ refertæ. Munus equidem accepisse, non dedisse videor ab optimo, ac munificentissimo Pontifice sic remuneratus: cuius ego in obsequium

sequium

sequium etiamsi quicquid vel ingenium tot fretum annorum studio, vel industriâ crebris opportunitatibus vsa in supellectile librorum comparanda eniti poterit, impendero, non iccirco plus mihi eo deberi nomine, quam membris humani corporis putabo, cùm aliquid, quod ad capitis dignitatem, aut vsum attinet, conantur. Satis mihi præmij, satis est honoris in tuæ Sanctitatis iudicio repositum. Hac mercede mea studia, curæq; placent de Bibiotheca Apostolicâ ornandâ. Quæ & quia Amplissimo Sanctæ Susannæ Cardinali non ignota sunt, vt ne tua tempora morer in orbis Christiani regimen insumi solita, non hîc commemoro: sed publicis votis preces meas addens, post demissam pedum beatorum osculationem, Deum oro, vt Sanctitatem suam perdiu terris suâ vice præsidere velit.

SCIPIONI CARDINALI COBELLVTIO.

IOannis Pierij Valeriani Viri vndequaq; doctissimi posthumus hic de calamitatibus litteratorum fætus nescio ab argumento ne operis, an sà parentis fato omen ceperit: certè non admodum mitiore est fortunâ vsus, quàm quos sinu comprehensos tenet, homines probos illos quidem, atq; eruditos, verùm ærumnosos, pænisq; quod dici solet, luendis genitos. Nam in custodia perquàm diu nimis arctè habitus, ad nos tandem venit à blattis semirosus, squallens, & qui tutores suos malę tractationis vel tacendo facilè argueret. Hunc ipse tot inter aduersę sortis iniurias, ore referentem genitoris elegantiam, non illibenter agnitum excepi, curauiq; sedulò, vt detersio situ, resumptoq; liberali cultu pedem limine efferre, luciq; se credere auderet, in qua fratres eius iampridem non obscuri degunt, conciliante illis famam apud omnes Genio, eruditioneq; minimè vulgari. Restabat vt materiæ atrocitas aliquâ ex parte demitigaretur, cui enim (modò non Timoniâ naturâ prę-

dito)

dito) non illętabile fuerit acroama multiplex tot litteratorum hominum, aliàq; super aliam incidens calamitas? Huic quoq; incommodo, vt mea fert opinio, obuiam est itum libro ad te Cardinalis Amplissime transmisso, cuius ea est doctrina, ea dignitas, vt nemo, aut perquam rari inueniantur his temporibus, his moribus, quos ęquè ac te concordiâ euehat conspirantiori par Virtutis, ac Fortunę fauor. Si qua modo Fortuna in rebus est; nec eius quoq; partes perspecta omnibus virtus, probitasq; occupat. Erit humanitatis tuæ munus, quod verbis ornandum haud suscipimus, non tam boni consulere, quàm nostris in te studijs, ac pietati potiùs fauere: dum ipse orare Deum pergo, vt ad summas tuas Virtutes summam felicitatem adiungere dignetur.

SCIPIO CARDINALIS COBELLVTIVS

ALOYSIO LOLLINO.

POstumus Pierij liber, à quocunq; accepissem, ob auctoris famam non iniucundus fuisset; à te verò missus, & tuis verbis ornatus non potuit non maximè gratus esse. Quare velim, existimes eum à me libenter lectum iri: multum debeo humanitati tuæ, cupioq; vt assiduè meum in te studium re ipsa agnoscas. Vale.

HIERONYMO ALEANDRO.

QVid imprecabor supinæ librariorum negligentiæne dicam an inscitiæ? quæ meum flagrans in te studium moratur, ne petitioni omni ex parte satisfaciat tuæ, nisi vt eorum scripta in cariosis bibliothecarum pluteis, puluere inexcusso blattas alant. Herculeus sanè labor mihi in tenui admodum re fuit exantlandus, dum Gallicas schedas confero cum veteri nouo codice, qui apud me est, nec profi-

cio hilum: adeò in illis deprauata omnia, in hoc haud multò emendatiora. Nec erat negotium eiuſmodi, quod quod vicariam vllius operam admitteret. Equidem non dubito te experiendo pro tuâ eximiâ eruditione didiciſſe manuſcriptorum characterum anormem, & plerunq; legi recuſantem exarationem anagnoſtas rudiarios requirere, & non rudes adhuc gręcarum vocularum pſittacillos, quales in contubernio οἰκοθρέπτους habeo, haud multò quàm Cęſaris ſalutatores olim fuerint, facundiores. quicquid tamen expiſcari potui (quod ſentio, quâm ſit exiguum) his litteris inſertum ad te mitto. Quod ad patentiorem hiatum attinet, vix illum quidem M. Curtius cum totâ ſuâ gente, arbitror, expleuerit manibus deuotus, ne dum meus liber, cui par ferme incubuit calamitas: licèt ſit, quantum ex fimbriâ de peplo capere coniecturam potui, non nihil Gallico correctior. Vellem in re maioris momenti non ita tamen impeditâ mei erga te amoris periculum feciſſes. Hortor, facias. ſtudiâ tua omnia ſtudio præuertam meô. Vale.

HIERONYMVS ALEANDER.

ALOYSIO LOLLINO.

DIſtillationibus capitis & ſtomachi imbecillitate diu afflictatus, ſeriùs, quàm debui, gratias ago, Antiſtes Illuſtriſs. de collatis tàm humaniter ſchedis Gallicanis cum tuo Pachimeriano codice. qua in re quod ſcribis laborem penè Herculeum abs te exhauſtum, non equidem miror, qui ſciam, quantum moleſtiæ afferant iſthęc etiam minima, vt non iniuriâ æquè ſudaſſe aduersùs culices Hercules dicatur, atque aduersùs leones, apros, hydras: ac propterea claro non minùs cognomento ſit appellatus, quàm quod ex deuicta Africa Scipioni adhæſit. Qui operam interdum in euoluendis manu exaratis codicibus Græcis

præ-

præsertim impendunt, scient, me nequaquam iccari. mirum verò, quantùm interturbent, quæ in ijs libris deprehenduntur diuisiones, quas certum est non esse ab auctorum manu; itaq; ordo in ijs varius cernitur, pro arbitrio, vti credo, exscribentium, vnde in collationibus difficultas. Sed bene sit huiusmodi difficultati, quæ & me magis obstrictum tuę reddit humanitati, & politissimam, floribusq; elegantiarum, ac suadæ medullis refertam abs te epistolam elicuit. quę quidem epistola adeò mihi saliuam mouit, vt iam impatientiùs posthac sim laturus quancumq; interieceris moram in cęterarum editione. Siquidem significauit mihi Persicus noster, selectarum volumina epistolarum in promptu tibi esse, quę cur tamdiù scrinijs lateant luce dignissima, & miror & indignor. Iamq; te obtestor, ne tanto nos bono diutiùs fraudes. Quoniam verò non dedignatus es interdum meas esse aliquid putare nugas, haud nunc verebor versiculos ad te mittere in nuptias Sulmonensis Principis à me conscriptos. eos saltem à materia, & breuitate non improbabis. Vale doctissime, amplissimeq; Domine, meq; in ære tuo totum esse pro certo habe. Romæ.

MAFFÆO CARDINALI *Barberino* *nunc Sum. Opt.* PONTIFICI *Eruditissimo*.

Carmen tuum Eminentiss. Domine pro dignitate laudare iuxta atq; ęmulari, Icari volatum sanè arbitror. vtrumq; nobis inconcessum, qui minores Musarum tibias inflamus. Mirari ergo liceat, si laudare non datur, Romanis olim vatibus intentatos numeros, ingenij feliciter ardua quæq; audentis indolem, verborum eximium nitorem, sententiarum verò eam granditatem, quæ tubæ, nedum lyrę sit supersutura. Hæc sententiæ loco retulissem, si is ego essem, cui rogari ex munere competeret, quid de ijs sentirem. Nunc tanquam vni de numero litteratorum

mihi ſatisfuerit è ſummâ caueâ ſpei Pieridum ſurgēti plaudere; ſtudijsq́; noſtris non minùs, quę te tali vindice fulta refloreſcent, quàm mihi ipſi gratulari, cui procul ab Vrbis, & pręclarorum hominum luce hanc alpem, & parùm abeſt, ni dixerim, ſolitudinem meram incolenti contigit ita tibi innoteſcere, vt à nunquam viſo cliente, & à quo luculentum cognitorem requirere iure potuiſſes, per epiſtolam compellari non omnino iniucundum tibi fore pręſtanti virtute Viro Abbę Angelo Gryllo familiari in colloquio ſignificaueris. Quam ego in tanto dignationis faſtigio humanitatem tam exprompram, tam (dicam, ſi permittis) hodie inſuetam haud minoris facio, quàm auidus exoticæ mercis inſtitor grandiorum ſemodium margaritarum. Equidem cùm paria facere tecum non queam, ingenio, opibus, titulisq́; impar, eodem (quod vnum poſſum) ſponſore poſthac vtar ſummæ in te meæ pietatis, obſeruantiæ, officij, quo tu parario, vt totus in ære tuo eſſem, vti voluiſti. Eidem, ſi quid tanquam ex quercu porrò exculpſero, auribus tuis non planè indignum (poſt quam id te quoq; nō nolle intellexi) mittã, vt † ἐκ παραλλήλου facilè dignoſcas, quantum inter carminis tui nectar differat communemq́; omnium noſtrûm ſaporem, ‡ οἱ ῥόδων τῶν ἐκ πιερίας οὐ μετέχομεν. Vale Vir ſæculo tuo maior, & ſacræ iſtius tuæ purpuræ fulgori, humanitatis, quod facis, eloquentiæ, doctrinæ decus adde, illa te Regibus dignitate æquat, hoc in omne æuum famæ rerum dabit, Principem eruditionis inuidendo elogio dicendum.

† Ex comparatione.

SCIPIONI CARDINALI COBELLVTIO.

NOn ſum neſcius optimę plerunq; mentis cogitata inopinis inuerti caſibus ſolere: puto tamen in hanc curam ſummè incumbenti mihi ſuccurſurum aliquid, quod ſpem exploratam faciat, vel potiùs fiduciam, fore, vt is

conſi-

consilium meum exitus sequatur, qui maximè mihi in optatis est, ne videar voluntate tantùm ad promouenda litterarum studia, istamq; Bibliothecam ornandam accessisse. Id cum Reipublicæ caussâ ob ingentia tua erga me sim officía facturus, non committam, vt frustrà egregijs pollicitationibus de eâ laude quicquam delibasse dicar, quæ non nisi absoluto operi debetur. Interea hæc apud me cura excubabit maximè, ne sine aliquo fænore codices mei Græci manuscripti, etsi aliquanto seriùs, Romam perferantur. Mea de Bibliothecarij munere tuæ Amplitudini delato gratulatio non clam Musas fuit. quid enim eas fallat, quod ad te pertineat? Id ex eo carmine cognosces, quod ad te mittimus obseruantiæ erga te nostræ monumentum. Vale Vir istâ dignitate maior, & nos humanitate solitâ complectere.

De Bibliothecarij munere Scpioni Cobellutio Cardinali amplis. delato.

Pallenti facie insignes, & imagine macra
Heroes gaudete orti melioribus annis,
Quorum vernat honos laudum, pluteisq; dicantur
Æternis monumenta styli mansura diserti,
Quà Vaticani spatiosa palatia cliui
Erigit æthereas orbis Roma æmula in auras.
Purpurei flos ille Chori, Themidisq; Sacerdos
Scipio vester amor; cui nil nescire dedit mens
Ardua, & in dubijs spectata industria rebus,
Hanc curam adiunxit titulis ingentibus aulæ
Ornandæ, quæ docta sacris comprensa papyris
Musarum dictata fouet, seruatq; draconis
Non vt cura vigil flaui pomenta metalli
Hesperidum, Cereris verùm ceu semina solers
Triptolemus congessit opem laturus aratri

Igna-

Ignaris, segetisq; solo flauentis. in vrbes
Non aliunde Italas sapere olim aduenit ademptum
Post decus Imperij Graiorum, incensaq; flammis
Palladis hospitia & Musarum, Cecropis arces;
Hellespontiaci excidium ac miserabile regni.
Illa tempestate ferunt ad Tybridis vndas
Migrasse extorris Sophiæ instrumenta Pelasgis
Consignata notis. Pindi veneranda supellex
Hæc fuerat, dum græca stetit res: omine fausto
Ditatura animos, nostris nunc clauditur arcis
Gaza ingens. nitidis rubri maris hanc ego gemmis
Anteferam, & Persarum auro, vulgare palatum
Ni sapit, atq; mihi cæpta ad sublimia mentis
Sensus hebet. pluteis accedunt sacra Pelasgis
Scrinia Romulidum; sinuosa volumina Idumes
Palmiferæ auctorum Asyriæ longo ordine chartæ,
Quam versare labor fuerit non irritus: inde
Namq; exorta salus primùm mortalibus ægris,
Gargara tanta forent nobis ne ignota bonorum,
Pontificum pia cura olim perfecit, auorum
Dum proauis Sophiæ sacrum iubar affulgebat
Bessario; cui nostra parem nunc te extulit ætas,
Murice qui Tyrio caput, & virtutibus ornas
Palladijs pectus, cælo demisse sereno.
Deforet auxilium miseris ne grande camænis;
Victa situ neu prisca olim exemplaria, gentis
Relliquiæ Danaum, & nigri de faucibus Orci
Præda erepta, foret subitis obiecta periclis.

SCIPIO CARDINALIS COBELLVTIVS.

ALOYSIO LOLLINO.

DE carmine quod nuper accepi, mirum, quantùm te amo: est enim pulcherrimum, hoc est tuum, à quo

nihil

nihil vnquam accipio, quod non sit maximè carum, atque iucundum. Quæ verò de nobis dicuntur, amori tribuo, & mori. Vellem sępe, sine tuo tamen incommodo, tua ad me mitti, videlicet quod doctrinæ, & amoris tui notis frui assiduè opto. Verùm & pro egregiâ voluntate, quam ad Vaticanam Bibliothecam ornandam affers, ingentes tibi gratias ago, cupioq́; vt eam solùm, quam voles, curam in re ista defigas; nam quicquid erit, quandocunq́;, acceptum benignitati tuæ referetur, & nominis tui monumentum in amplissimo loco in perpetuum manebit. Promptum meum inseruiendi tibi studium non commemoro, quod cogitare satis per te potes, quodq; mallem re ostendere, quanti eximia tua merita faciam. Vale, & me amantissimum tui amare perge. Romæ.

SCIPIONI CARDINALI COBELLVTIO.

NOn erat cultûs erga te mei, ac pudoris, quę in priuato luctu animi à mœrore auocandi causâ conscripseram, ad te eâ Virum amplitudine, ac doctrinâ mittere. Sed humanitas effecit tua, vt nec fastigium istud Dignitatis, summæ in terris proximum, nec censuram iudicij vererer, quo te plurimùm pollere fueram expertus. Significaras enim postremis ad me litteris te Musarum nostrarum fœturâ non indelectari; iubebasq́;, tuo sanè iure, sub rogantis specie, vt tibi impertíré, siquid nō ex trito ingenio dignū elaborasse̅. quod facere me libente̅, nolenti tamen animo, si dixero, non ambages loquar; sed mentis hæsitantiam expressero, cui fixum, immotumq́; perinde est, tibi parêre, ac diutiùs dictata premere. Accipe ergo carmen me neq; iubente, neq; sciente editum, quo funus amici prosecutus fueram optime de Republicâ, & studijs litterarum meriti; & me, cum cohortem clientium cogitatione animi recenses, ijs adnumera, qui tuis summis beneficijs obstricti

vnicè

vnicè te colunt. Deus te Illustriss. Domine diu incolumem, florentemq; seruet Ecclesiæ, litteris, nobisq; quorum es præcipuum præsidium.

SCIPIO CARDINALIS COBELLVTIVS.

ALOYSIO LOLLINO.

Est amoris tui erga me, & mei in te vicissim, vt tuis scriptis non caream; mirificè enim insigni doctrina tua, & eruditione delector. Itaq; pudorem illum non probo, qui te moratur, cùm quid ad me mittere cogitas; siquidem eum amicitiæ fructum imminuit, quem videor & voluntate tua, & iure quodam meo exigere posse. Lacrymas, quas nuper misisti, nullis non laudibus dignas arbitror, de què ijs, vt debeo, tibi gratias ago. Si non omittes, cum quid aliud pepereris, dare operam, vt ad me perferatur, multum hoc tibi nomine debebo. Studium meum erga te pluribus non commemoro, quoniam eo, mallem, vtereris, quod quotiescunq; facere volueris, illud certe singulare & perpetuum agnosces. Vale. Romæ.

MAFFÆO CARDINALI *Barberino, nunc Sum. Opt.* PONTIFICI *Eruditiss.*

Eκςατικὸν ὄερως sententia dia est D. Dionysij Areopagitæ τοῦ ἰσαποςτόλου. Summates tantus ille Deus fastigij culmine demittens, è contemptibus infimates erigens eam coniunctionem parit animorum, immani plerunq; conditionis interuallo inter se distantium, quæ, absque eo esset, nunquam coalesceret. Idem tibi Eminentiss. Domine, mihiq; accidit. Vterq; nostrûm statûs sui, fortuneq; immemor fines transiliuimus; tu facilitatis, ego confidentiæ: sed tantisper sanè, dum ἰσότητα illam ἄνισον assequeremur, quę fundamenti loco amicitiæ substernitur, ne ruat.

+ Extaticus amor. 1 Vis amoris hominem commouens, abstrahit, & extra se rapit.
+ Apostolorum æqualis.
+ æqualitatem inæqualem.

ne ruat. Posthac neq; tua facilitas maiestate eâ apud me caritura est, quæ illam addecet; neq; mea confidentia timore, subinde me disparitatis admonente, quę inter vtriusque censum intercedit summa. Nam, vt fulgorem Tuæ istius purpuræ prætercam, qui mihi eximius licèt, non adeò oculos perstringit, vt non videam tibi esse cum alijs communem pręstantibus quidem Viris, ac lectissimis, sed quibus numerus ipse adimit, vnici ne sint; animi amplissimum istud munus supereminentis, ingenijq; diuini dotes quænam ęquabit laus quamuis operosa, & pigmentis Rhetorum plurimùm adiuta? Tu Quiritium iura non è cænosis barbarorum lacubus, vt pleriq; ferè omnes hodie, sed de fonte Romanæ vetustatis, ciuilisq; Philosophiæ hausta cæteris doctrinarum generibus, quibus † ἡ ἐγκυκλοπαιδεία constat, ita coniunxisti, vt & res tibi vbertim suppetant, quas ornes; & copia orationis etiam supersit, quâ eas ornes tam numeris vinctæ, quàm solutæ. quod sanè præclarum decus omni æuo quàm non promptum repertu fuerit, raritas declarat exemplorum. Vnus de tam multis Græcię, studijs excultæ nationis autoribus secundum Platonem doctrinarum omnium parentem Synesius fortasse extitit, ille sæculi sui iam tum in barbariem vergentis phenix, cui gloria singularis mansit geminæ facundiæ, siue carmen meditaretur, seu † λόγους conderet. De Romanis certè neminem facilè inuenias, postquam nec Ciceronis Musa à sibilo intacta fuit, ipso rerum in foro potiente, & Martialis non insulsi Vatis epistolæ tamquam eius carminibus indignę iure exploduntur. Verùm hęc de te tecũ loqui Princeps Eminentiss. nec animi me sinit tui moderatio, neq; meus pudor infacundus, atq; penè infans laudator. Dabitur commodior præconijs tuis locus, si mihi tam felicibus curis superesse dabitur, aderitq; vocatus Apollo. De me sanè paucis præfabor, ante mea quàm scruta explicem, non vt emptorem cupidum inueniam (haud ita Suffænum ago)

† Doctrinarum orbis.

† Sermones pedestres.

Oo sed

ſed ne tibi iubenti aliquid negare videar, cui Superi negauere nihil. Ego litteris Græcis leuiter à puero imbutus, prouectâ iam ætate Romanæ facundiæ autores attigi præceptoribus quidem vſus ſedulæ in bonis artibus tradendis operæ, ſed quibus tarditas mea obſtitit, quominùs ſementi meſſis reſponderet. Si quid igitur in linguâ hoſpitâ profeci, quod ſentio, quàm ſit exiguum, totum id illis debeo, laboriq; improbo, vnde præſidij aliquid quæſiui, ingenij ſolertiâ diſiſus. Quod ad Poëticam facultatem attinet, qui ad Parnaſſi radices vix acceſſerim, ſæpe numero mecum ſum miratus, quo pacto Muſis innoteſcere potuerim. niſi fortè vt Satyrarum ſcriptori olim indignatio verſus faciebat, ita mihi inſomnia (ea enim pro ſomno eſt) noctiúq; penè Herculanarum longitudo, quibus totis indormiendis non ſum ſatis, præſertim à cæna, ſomni commeatu imparatus, quæ mihi vel nulla, vel sytalâ eſt breuior Laconicâ. Habes meæ venæ Hippocrenem, vnde carmen nonmodo profluit lutulentum ſæpè, inelaboratum ſemper ac inconditum, verùm etiam ſi quæ, ante gallus quàm canat orthium, pedeſtri oratione haud multo cultiore commentamur, quibus non ab re titulum præfiximus + ἀλύχνων lucubrationum, quia quamuis noctu euigilata ſint minimè tamen lucernam olent. Hæc quod non + ἀνέκδοτα prorſus, & paſcendis tineis damnata domi conſeneſcant, tuum eſt. Tu nocturna Muſarum mearum ora euocas in lucem, cenſuram iudicij tui haud ſanè latura, niſi illud fauor, quo nos complecteris, demitigaret. Præmittimus igitur ex omni ſcriptionum noſtrarum genere guſtûs cauſsâ nonnulla, vti iubes; alia ſubinde atq; alia daturi, modóne mercem indicatura ipſa minuat, mangonio nullo commendata. neq; enim infecunda contigit mihi infacundia, ſed quæ vigilaſſe me arguat plus ſatis, profeciſſe parùm, ſerum ſtudiorum, & quibuſcum hîc de elegantioribus ſtudijs ſermones conferam, minùs abundantem. Epiſtolam grandem, nec tuo-

+ Sine lucerna;

+ Inedita.

tuorum temporum, quæ tandiu morari iam sit pudor, votis claudam, vt Deus te Eminentiss. Domine Reipublicæ, litterarumq; bono natum perennare velit omni affluentem prosperitate. Vale.

LAVRENTIO PIGNORIO *Patauino.*

HVgonis Grotij Syluam abs'te missam in suburbano secessu vacuus perlegi. rogas qualis visa? dicam equidem meo more liberè. Si quæ Syluę consule sunt dignę, inter illas hæc nomen profiteri meretur suum amplioꝛi, quàm Viburna cupressus Papinianas vincens interuallo. Huius ego sub vmbra Aonio nemore relicto Musas spatiatas dicere, si in bicipiti Parnaso ita somniassem, vt Poeta fierem ex tempore. nunc sermone de triuio petito narro tibi carmen neque publici saporis, neq; nostri sæculi videri. eiusdem Iambos, & elegos non peruolui semel, vbi crucem figit ingenij obtusioris coniectoribus, dum anquirunt anxiè, ecquid nam rei arca illa fuerit, cui ipse † ζῶστρα, & pileum debebat haud minus, quàm Scipioni Africano Q. Terentius Culleo. En quò linguæ flos, leposq; abijt, quàm à Latio procul, quàm à Græcia procul. vbi nunc (vide vices) vix humanè incolę loquuntur, ne dum eleganter. Septuaginta discriminibus inter se diremptos captiuę Gręciæ dialectos tradunt, qui nouere: quas inter Attica ruditate longè eminet, illa olim Musarum sermonibus seposita. Desinamus ergo eruditionis caussas tribuere regionibus terrarum, aut cęli plagis, labore artium Mineruâ (nec vero iniuriâ) sibi vindicante. Longiùs fortasse, quàm par erat in hominis ignoti laudibus morari libuit, vt inde, quanti munus tuum faciam, cognoscas. Nunc postquam & cupido gliscit diutiùs tecum, quà datur, colloquendi: nec anni tempus restrictè otium suppeditat, negotijs frigidam suffundens, de Maurocena historiâ pauca adijciam, quam à

† Præmia liberationis.

te recudi non accuratè minùs, quàm amanter quid ni gaudeam, alienissimo tempore parentis limâ destitutam? Secundas curas prioribus multò potiores experimur omnes. illas operi inuidit autoris mors, Reipublicæ immatura, nobis peracerba. Facis itaq;, quod istam tuam fidem in amicos etiam fato functos decet, dum famæ Mauroceni consulis, pietati, sedulitatiq; tuæ multum debituræ. Sed heus tu quis prohibet, quin de eâdem fideliâ nostrum quoq; parietem dealbes? lucubraciunculam, inquam, de ipsius vita, quam nobis frustrà excusantibns scriptionem de re vna, eâdemque geminam, seu tautologiam potius, (si ad ea, quæ iandudum scripsimus, respicitur) importunæ amicorum preces extorsere tandem. Per Musas te, per quicquid sancti eadem sacra colentibus habetur mi Laurenti oro, obtestatorq;, ne rude adhuc opus, (nam ad tuas manus peruenisse autumo) nisi à te priùs perpolitum, edi patiaris. hoc sanè si feceris, immortali nos beneficio deuincies, alijs quoq; nominibus tibi iam obstrictos. Vale.

LAVRENTIVS PIGNORIVS.

ALOYSIO LOLLINO.

SYluę Grotianę Quercus, & Lauri motabunt (sat scio) præ lętitiâ cacumina sua Te laudatorem nactæ Illustriss. ac Reuerendiss. Domine. Ego sanè & laudo illas & probo, non sine grandi vtiq; animi mœrore, quod videam nostratia ingenia adeò effœta nunc, vt Vatum delitias & venustates ab Italico olim Cœlo, & solo commendatas cogamur sub alio pęnè axe quæritare. at ferendæ sunt nobis etiam inuitis hæ rerum vicissitudines. barbaries enim, quæ olim exteras regiones obsederat, nunc Italiam inuadit, & plenis (vt ille ait) subit ostia velis. Seruet Te diu Deus &

Tui ſimiles, qui monſtrum arcetis, & honores antiquę laudis patrijs regionibus aſſeritis ſtrenuo & indeficienti conatu. Ad Hiſtoriam, quam innuis adnotaui mearum neſcio quid ineptiarum; & malui inſcitiæ notam ſubire, quàm inofficioſitatis. vniuerſam vt perluſtrarem vetuit moles Atlantea occupationum, quibus opprimor, quæq; oppreſſo exprimunt ingenuorum ſtudiorum & memoriam, & ipſum pęnè nomen. Lucubrationem Tuam vt viderem, permiſit ampliſſimus Vir Donatus Maurocenus, elegantem illam profectò, & multum decoris addituram Hiſtoricæ ſcriptioni Mauroceni noſtri. Paulus Gualdus, vti ſperamus & optamus, abijt in cœlum. pertinax febris dierum viginti, & amplius eripuit illum nobis xvij. Kal. Nouemb. hora tertia ſupra vigeſimam, magno meo cum dolore. Sandellius, & Licetus, nec non & ego, plurimam tibi ſalutem auguramur Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domine, quem Deus Opt. Max. ſoſpitet, beneq; fortunet ad multos annos. Patau.

Tuum rus ſuburbanum nihil medius Fidius ruris habet, adeò politis carminibus illud nobis exhibuiſti. ò liceret mihi aliquando ſecedere, & otiari? non paterer ſanè abripi mihi meliores horas, quarum diſpēdia faciunt, vt ſpem omnem abijciam procudendi pluſcula, quæ æternùm deliteſcent. hic eſt fortunarum mearum plauſus, quem ego fruſtrà auertere conatus ſum quà ſtudiorum, quà vitæ rationе. Qui poterant, & quos forſan par erat velle, tantùm admirari, tantùm laudare pro Symbola contulerunt. Itaq;

Non vno reſponſo animum deluſit Apollo.

Vale Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domine, & Pignorium tuum ama.

EI-

EIDEM.

SAlus te reſpiciat bona mi Laurenti, non quę Iaſidarum ſtudijs perquiritur (vtinam ne fruſtrà) ſed cuius cùm origo, ſedesq; Cæleſtis ſit, precibus ad nos euocatur pijs, † διοπετὴς ſanè æquius vocanda, quàm fatale pignus Romani Imperij, Palladium. Audio te luminibus vti, nec ex animi ſententiâ tui, nec ex voto noſtro, & naturæ mecum ipſe ſubiraſcor, quæ ſerpentibus cernere tam acutum dedit in pernitiem hominum prognatis, tibi pernegauit, cuius vita omnis in lectione conſumitur præclararum rerum, humanoq; generi conducibilium. Haud nupera, haud iniqua hæc quærela eſt ſapientium virorum ob eandem rationem numina lęua criminantium: ad Tyreſiæ vſq; qui nunc apud Manes ſolus ſapit, tempora porrigitur, vt nihil de Homero dicam doctrinarum omnium parente, nil de Dydimo; quem ſi videntium lampada vocauero, nemo me translatione licentius vſum cauſabitur. Hos enim cæcos extitiſſe legimus, ſicuti luſcioſos ferè omnes, qui Muſas conſectantur, experimur. quaſi verò parùm, aut nihil referat, acutâ ne viſûs acie, an retuſâ litterati ſint, aut tanquam in in tenebris defoſſis non ſecus ac talpis planè deſit, quod intueantur, nec potius illis aſtra ſuſpicienda ſint propoſita, multo ſanè longiùs à terrâ diſſita, quàm Cartago à Lilybeo diſtet; vnde Cartaginenſium claſſem è portu ſoluentem Lynceus erat olim numerare ſolitus, mortalium vnus oculiſſimus poſt Argum; cui (vide munus) non Gnydia ſpecula, in quâ ſedens ſtellimicantia Cœli ſigna obſeruaret, fuerat concredita, ſed vnius errabundæ buculæ cuſtodia. Verùm hactenus querelarum ſatis, ſeu potius nimio plus ſatis; præſertim cùm ſpes ſit te Phœbi cultorem maximum Pæoniâ arte valiturum breui, cunctisq; futurum documento Superis eſſe curæ pietatem, eruditionem, eloquentiam,

† è cel'i del ipsa.

quarum tu bono studijs inuigilas, inuigilabisq; porrò, si preces litteratorum hominum aliquid valebunt, perquàm diutissime.

MAFFÆO CARDINALI *Barberino. nunc Pont. Opt. Max.*

POëmatum tuorum nectar regustaui nuper Domine Eminentiss. tanto sincerę voluptatis sensu, vt gramen illud Glauci menti recursaret, cuius ille esu diuinitatis compos statim est effectus. Beasti me isto tuo munere, beasti, adeò verè dictum arbitror, imò verò experior enthusiasmo auditores quoq; pręclarorum carminum afflari, ne dum ipsos Vates. Verùm (vt sunt humana fermè omnia) lætitiæ medio de fonte surgit amari aliquid, angitq;, cùm venit in mentem, cuius ego sciens videns adire aures permiserim meas incultas, absonas ineptias. Pudoris mei sicuti non erat sic depuduisse, ita nunc in eam cogitationem defixo verecundiâ pallor oris rubet. Vnum me tibi parendi studium tuetur, ne caussâ cadam vel me ipso iudice. Musæ vestram fidem? vnde tot lepôres, tot; amœnitates defluxere nisi à vestris puris, & vulgò inaccessis fontibus? Benè sit Prometheo illi, qui in terras ad nos bono dolo tantum lumen detulit, non eius iecur morsibus renascens vultur sensim carpat, sed egregij conscientia hilaret facinoris, conatumq; audendi acuat ad id genus furta. Ita diu viuas, floreasq; immensæ molis negotijs admotus, vt sacræ purpuræ non tam decus es, quàm Musarum columen. Hic ominis caussâ cursum calami inhibeo, simul ne tua tempora morer importunus, & dexteram istam tuam, ingenij præstantis administram quàm demississimè deosculor.

Histo-

N.

HIstoriç laudationem Nicolao Contareno destinatam accuratè, vt te velle senseram, perlegi. in eâ pauca se se mihi obtulere, quæ Atticus ille Ciceronis perfamiliaris miniatulis suis ceris obleuisset. cætera se posse tueri videbantur maiorum auctoritate, quâ nunc scripta stant, caduntq; omnia potissimùm. Argumentum sanè ingens, & præclarum admodum est visum, sed cuius amplitudo orationis luminibus plurimùm officiat sub tantâ mole rerum laborantis. multorum in hâc palęstrâ labor desudauit: paucorum ita industria emicuit, vt non plura dicenda dictis superessent. Sed quis se tam immensæ materiæ parem esse postulet post tot auctorum edita volumina eandem incudem tunditantium? erit fortasse aliquis, qui laudes Herculis indictas, quàm primoribus, quod dici solet, labris delibatas malit. Ego non adeò Lycurgęus sum, meam vt sententiam ad tuam non facilè accommodem, qui sciam te occasionem, quam sors primam detulit, cupidè arripuisse virum compellandi, cui munus condendæ historiæ Venetæ ex Senatus Consulto est iniunctum. œconomię (quam dispositionem nostri vocant) censeo plusculùm animum aduertas, præsertim cùm nihil ordinem efflagitet magis, quàm historia, cuius initia sagaciùs erant vestiganda homini in Ecclesiæ piorum castris militanti: quem latêre minimè debuerat ab orbe condito veterum neminem scribere historiam exorsum, si Moysem excipimus diuinitùs edoctum Vatem. Nam Diodoro, atq; Herodoto vltra Troica tempora, quæ post Moysem nongentis ferè annis fuere, mentis planè acies caligat, stylus hebet non nisi narrationibus temerè incursans fabularium delicamentorum, quæ Apollodorus in vnum volumen postea cöegit compendio nulli profuturo. Res est multò luculentior historia, quàm

vt cur-

vt cursim quis eius supellectilem recensere queat, fines limitaneos herciscere: naturam omnem quàm latè longeq; patet, gremio complexa nihil à se putat alienum. Plinij volumen vides, in quod veluti in ingens alueare omnia congessit, quæ sensibus, aut intellectu in hac rerum vniuersitate comprehendi possunt. hoc, vt titulus argumento ad amussim conueniret, nec breuior, quod aiunt, pede foret calceus, Historiã inscripsit Naturalem, Theophrastum, credo, eiusq; præceptorem, Peripati principem secutus in Commentarijs de stirpium, atq; animalium generibus. Non omnia, inquies, quæ dici poterant, vndiq; collegimus, potiora seligere contenti. vellem factum, sed animum subit subuereri, ne quid reiectanei non minùs tam lętę segetis messor in fasciculos congesserit, quàm præcipui spicilegis reliquerit, quod in primis operæ fuerit decerpi. Verùm hæc ad tuas secundas cogitationes pertinebunt, quas sapientiores Pindarus vocauit. Ego quidem, si mei foret res arbitrij, ex historicorum albo Tarcaniotę nomen ita expunxissem, vt ne litura quidem appareret, veritus, ne eius contagione reliquorum gloria ægresceret. nec Iacobum Bonfadium ijs adnumerassem, qui actionem aliquam dignam memoratui seponunt litteris mandandam, cum Fliscanam ipse coniurationem à reliquis scriptionis suæ partibus minimè auulsam, quarto annali libro persecutus fuerit. Bellatores ipsos vagos, seu errones veriùs, quorum apud fabulatores Amadisianos mentio fit frequens, nondum constitutum habeò latinè vocaríne rectè debeant Equites rotundę tabulæ, an secus; & si eo magis inclinat animus, vt credam idiotismi Italici nomina hæc esse, quibus orbiculares escariæ Romanorum mensę nunc significantur. nam & rotundum longè aliud sonat proprie loquentibus, & tabulæ non genialium sunt conuiuiorum, sed naufragiorum, aut testamentorum. Quid tum postea? sanè quidem nihil præter errata minuscula calami volantis:

quę tamen nobis incerare minùs libuit. vnguem tantum oræ ex aduerso marginis leuiter adpressimus, ne parùm attentè videremur perlegisse singula atq; perfunctoriè. ortographias quoq; Græcas restitui curaui alicubi verbis è græco deductis fonte, quod videam id Grammaticorum decurijs placere, vt possint ijs veluti crepundijs natalium suorum admoneri. Sed pluribus per codicillos tecum agere putidum fortasse, cùm nostra omnium horarum sit consuetudo: nec familiaribus colloquijs subtrahi debeat materia, quibus æstiuos sæpe Soles condere solemus. Vale. Belluni.

BARTOLOMÆO CARTVSIÆ *Vedanæ Præfecto.*

EGo vero, cùm longissimam quamq; epistolarum tuarum censeam pulcherrimam, nonmodò in te Laconismum minimè requiro, verùm etiam vehementer cupio, vt exundantem facundæ orationis tuæ copiam, quam intra septum vallare dentium pro instituto domesticæ disciplinæ cohibes, in sinus effundas patentes pagellarum. Haud sanè puto Legi de silentio apud vos latæ te derogaturum, si stylo compressis labijs indulseris, quo vales plurimum, & qui frequentiori vsu explendescit magis. cuius vt alteram quoq; partem per otium exercere queas mendis, si quæ obrepsere operi, delendis, Mauroceni vitam ad te mitto. non tam à te laudari pergratum fuerit, quàm corrigi. Illud amori, moriq; tribuam, hoc libertati, alieniq; profectûs studio, quo nos flagrare maximè par est, tantùm ab obtrectatione, & liuore dissitos, quantùm candori propriores, ac dilectioni. Hac cùm nullum ad conciliandos animos maius sit illicium, facio haud illibenter, vt & mea tuo iudicio concredam, & tua perlegam miro cum sensu summæ voluptatis: quam tu mihi ne restrictè porrò præbeas, & si meo quidem iure pro nostrâ amicitiâ possem abs te petere, preces addo tamen. Cæsari Princeps Mantuana datur,

datur, Cesares, ac Reges haud sanè coniugi datura. prior hoc munus vxor fęcunditate suâ occupauit, cuius hæc in defunctæ locum nunc succedit nihilominus maxima Reginarum incessura. Credo inaudisti Iulium Strozam, cuius oratio in funere Etrurię Dynastę legitur, specimen carminis heroi edidisse haud ita pridem, quo prima Vrbis Venetæ cunabula fuit prosecutus perquam diuite venâ, atq; profluente. Opus apud me est autoris amicissimi mnemosynon. Nos Sacchinus tenet tuus, historiarum socialium facundus conditor, abesset modò vndiq; se se ostentans studium in suos adeò effusum, vt nonnunquam leuiora etiam consectans, Genio potiùs suo indulgere videatur, quàm lectoris stomacho. Verùm ij natiui fortasse næui fuerint, qui pręclaram corporis formam nonmodo non dedecorant, sed etiam addecent non rarò. Nos certè mirificè delectat viri inexhausta dicendi copia cum eruditione eximiâ coniuncta, teq; eo quoq; nomine plurimùm amamus, quod beneficio tuo istiusmodi nobis delectatio contingit. Vale, & aduentanti Domino hospitium para liberale, & quod tuam pietatem deceat.

EIDEM.

SOspitem te ad secessum istum tuum, solitudine altâ circumseptum aduersùs mentium auocamenta humanarum, redijsse ita tibi gratulor, vt leuiter quoq; subinuideam, cùm in mentem venit, (venit autem haud rarò) quantâ nos laboremus in Carybdi, qui vitæ huius actuosæ fluctibus iactamur. Felix ter & amplius, bona si tua, qualia sunt, noscis, vndeq; tibi obueniant, agnoscis. quorum vtrunq; quàm tibi sit notissimùm, compertum habeo. Non iniucundum esse, sunt, qui putant, ventis maria vndiq; turbantibus, è terrâ aliena pericula spectare. Mihi haud paullo iucundius videtur ne spectare quidem; sed ibi ocu-

lorum aciem defigere, vbi ne tempestatis auditur nomen, sed hyemem, quàm lõga est, Alcedonia totam occuparunt. Qui sanè rerum status si vsquam locorum est, in istâ vestrâ est tutissimâ statione, beatorumq; insulis simillimâ, nisi quod ad has non nisi post fata patebat aditus: illam vos inhabitatis ætheræâ adhuc aurâ vescentes, donec istinc tam quàm à nobili Coloniâ, neq; procul dissitâ ad genitale solum euocemini Patriæ celestis. Hactenus dictaram, cùm tua epistola superuenit scripta peramanter, perq; eleganter, cui, quod reliquum est pagellæ, dabitur. Quæ de Cænobiarcâ Montellano refers, grata acciderunt. amo hominis flagrans in me studium, inq; rem communem sedulam solertiam. Ædes tu interea aurium vaciuas para. Sacchinus tuus ad te redit auidè legendus non minori voluptate quàm fructu, si quid ego iudico, qui eius suauitatem delibaui priùs. Cosmi Panegyricus, vt mihi primùm visus est, egregiè Latini sermonis granditatem æmulatur, Etrusci idiotismi fastigium egressus. Constitutionem de Pontifice legendo pridem legeram Romà ad me missam à meis. Contra frigoris sæuitiam facis tu quidem ex arte, cùm præsidia à crassiori tunicâ, caminoq; luculento mutuaris. eadem mihi cautio per hos dies fuit, porròq; erit ad ipsum vsq; reditum Fauonij: qui adeò nos moratur obstinatiùs, vt animum subuereri subeat, ne per loca à Boreâ infestissimo hoste infessa iter habens, gelu diriguerit. sic est profectò: hyems apud nos ditionem Veris sibi finitimi inuadit, niues pro floribus suffundens largiter. Quid facias? ferenda nobis erit cæli huius inclementia, & quidem non iniquo animo, si meminisse volumus incommodorum, quæ alibi secum vehit siue Autumni pestilitas, siue æstatis feruor: orandusq; sortis, & vitæ nostræ Autor, vt cò nos transferat, vbi neq; Aquilonia frigedo aërem gelat, neq; face suâ Sirius torrefacit. Vale amicorum optime, & tuos in castris Domini contubernales saluta meis verbis.

EIDEM.

ET si tu quidem, quamuis semel à me visus, ita pectori hæres, vt te abesse vix amicis credam, qui me tuo absentis nomine salutant; facit tamen tui ingenij, sermonisq; comitas, atq; elegantia, vt non tam tecum esse (quod iam videor cogitatione assecutus) quàm te mecum colloqui vehementer cupiam. Huic meo desiderio (vt nos solertiores egestas reddit) viam sanè inueni, quâ satisfactum iri puto non incommodè, si inter nos scriptitare instituerimus oratione perfamiliari, qualis fermè est, quâ vtimur, cùm sermones mutuò conserimus per otium. Præibo igitur, & meis vestigijs viam à me adinuentam prior teram: tu deinceps, si collibuerit, sequeris. Stylo te indulgere Laurentius noster ad me pertulit, argumẽtum etiam paucis subindicauit: vitam nempè cuiusdam, nomen ei exciderat, ordinis vestri columinis atq; Coryphęi. Similis planè nobis desudatus est labor, Andreæ Mauroceni amicorum optimi dicta, facta, mores lineis Apellęis dignos describentibus rudi penicillo. Hic pudorem in me forsitan requires, qui maiores nido alas explicarim. Quid facerem? nemo alius erat, qui se exorari pateretur, vt subiret onus. vsq; adeò nos arcta hodie annona premit eorum pariter, qui scribenda faciant, ac qui facta scriptis copiosè exprimant, & quâ decet arte. Illum prouincię Iuliæ olim præfuisse non sat scio. nam neq; id Frater eius in commẽtario ad me misso memorat, nec ego commemini: candidatum eius magistratûs eum fuisse magis credam, obtinuisse non item. rem tamen exquiram accuratiùs. Parmæ Principi magni Etruriæ Ducis filiam desponsatam puto inaudisti. Nec dum Amitæ nuptiale carmen Hymeneus cecinit, & flãmeolum Neptis meditatur. Faxit Deus, vt Italiæ ne accidant tristiores casus, quàm sunt ista plena gaudij connubia, plena hilaritatis

tis. Vale, & nos Superis, quibus in istâ solitudine es tu quidem propior, maiorem in modum commenda.

EIDEM.

EXcussit muneris tui raritas tristitiam animi mei subuerentis, ne hyems per hos dies inalpinam, quam inhabitamus, regionem præmuturo aggressu inuasisset. etenim Autumnum apud vos substitisse video. video autem? imò oculis ipsis geminos exacti iudicij testes super addens tactum, & palatum, quouis hercle pignore contendo ficus adme missos recens editos esse, recens lectos. Pheacum pomaria prouocat secessus iste vester, tu verò diuitijs hortensibus Alcinoum Vlyssis hospitem, cuius areolas perpetuæ Zephyri auræ perflabant. Potuisse ne in hac patriâ nimborum; hoc in Aeoli regno locum reperiri fructuum tam mitium feracem, Boreæ inaccessum violentiæ? Equidem mirarer, nisi meminissem precibus in Deum intentis impetratum olim, vt bacillus arens arenę impactus flores funderet. scilicet Alcionia vobis sunt, etiam cùm tempestas alibi inhorruit. Pergite, agite ergo, & bona vestra noscentes alienis quoq; incommodis succurrite, quâ apud Numen necessitudine polletis summâ. Ego vos in sinu, in oculis, in ore habeo, memoroq; inter sancta exempla priscæ probitatis. Vale Calendis ipsis Nouembribus.

LAVRENTIO SVO.

HEri ad me manè Sextius, vt assolet, salutatum venit, sed non vultu, quo solet, hilari, & qui salutem pręseferat, quam reddit. Erat in supercilijs sessitans nubecula non ex earum genere, quas sol meridie excutit, cùm sudum est. Hęc mihi indicio fuit esse aliquid, quod angeret hominem ad regiam simulandi artem non ita docilem.

Verùm vbi primùm ad communia illa ventum est, satín, saluæ res? apparuit me vera ariolatum. ait enim voce solito submissiore se + ευαγγέλια non ferre. Hoc verò me magis adhuc pupugit; rogareq; cæpi, ne (si quid esset casûs tristioris) cunctando grauius efficeret. Tunc ille, dicam equidem, inquit, quod indictum oportuit, postquam, vt infectum sit, fieri non potest. Lupum Menalcam nuper vitio creatum audio, gregis tutelam simul, simul exitium futurum. nam, & custos vigil haberi vult, & vorator efferus. Infelix ouile, seu potius laniena, cui Melanthius contigit tam dirus. Equidem non tam innocui pecoris misereor, quàm indignor talem pestem suffragatorum vota latuisse, ipsorum ne errore, an ipsius fraude quid refert, vbi vtrunq; perinde ouibus incommodat? Væ longum tibi Lycisca, Melampeq;, si vel diem in caulâ vestrâ iste dominatur. perijstis pessimè. Hercule sanè quidem opus foret, cui clauâ vlcisci istiusmodi portenta moris erat. Nos non nisi benè precando, lento auxilij genere opem ferre possumus, quam & præstamus, & prestituri sumus pro virili, fauentes Superûm aures modò nanciscamur. Hoc erat, quod ipse apud animum meum coquere malebam, quàm tibi, quem omnibus gaudijs gestire cupio, molestiæ impertiri quidpiam narrando. Tunc ego: amicè, inquam, facis, & innocuè, nam & rem mihi renarras auditione haud dum perceptam, & nihil affers animo molestiæ. ista neq; noua surgunt, neq; inopina. Quid enim humano generi translatitium est magis, quàm fallere, & falli? quid diuinæ prouidentiæ frequentiùs, quàm in alexipharmaca deleteria venena vertere? Pauca hæc sapienti satis. Vale.

+ faus tum nuncium.

N.

SVbfrigidè te acceptum doles, cùm ad nos salutandos domum conuenisses summo mane, Idibus ipsis Ianuarijs,

rijs. doles, inquam, & querelis, vt tibi videtur, parùm valituris conuicium aspergis nobis planè indignum, quasi tenuiorum contemptores Insulæ nos reddant, quæ comitatis admonere debuerant, ac humanitatis. ego verò defensionem antequam ingrediar, paucis describam diei illius tempestatem, quamuis satis dictum esse putem apud æquum nostrarum rerum seu interpretem, seu disceptatorem, cùm dixi Idus Ianuarias fuisse. Enimuero commeminisse te arbitror, qui memoriâ sis Simonideâ, quàm acriter ille hyemaret dies, quã gelida nix è cęlo caderet Aquilonijs flabris agitata: ne dum cætera omnia, focus medius fidius diriguisset, licèt igne splendens luculento. tale tempus erat, cùm tu te frigidè acceptum quiritaris. ego contra miror mihi vel Aue excidere potuisse labijs rigentibus, & tantùm non glacie concretis. Nę tu sanè bellus homo es, qui velis resalutatoribus tuis Fauonium spirare mediâ in hyeme. cui par erat crimen, quod nobis impingis, imputare potius frigidam amori infundenti, quo te prosequimur, ne foras prosiliret tuos in amplexus ardentibus verbis comitatus. suadeo? an huc adduci tibi vis cortales aues, quæ testentur liquidò per eos dies ne cucurire quidem potuisse? sed tu, vt suspicor, aduocatis istis cuiparis non credis, expertus quàm vel furfuris semodio fidem habere soleant venalem. Conditionibus ergo tecum agam, quas, ferreus sis, si delatas respuis. Æstate iam adultâ sub Sirij sidere nos adiātum nisi te perferuidè accepero, nullam caussam dico, quin me cum totâ meâ gente vendas vel triobolo, aut glebæ adscriptos serues agro excolendo. Vale, & te aut da ad lenitatem, aut Boreæ irascere, qui tuos morsus remordere violentus potest. Ego neq; litem intento, neq; persequor.

DO-

DONATO MAVROCENO *Senatori*.

AVes duræ hyemis prẹnuncias, & quas brumales hirundines meritò vocaueris, ne nos niue tantùm abundare putans, nimiùm fallaris, ad te mittimus. Hẹ, si coquus tuus sapit, nec orexis abest prẹcipuum embamma epularum, æquiorem te credo facient aduersùs alpium nostrarum frigus, quo apud vos delicatiores malè audiunt ingratijs. Nam nisi hic flaret vehementiùs violentus amator Orythiæ obsonio planè Apitiano careretis, & quod ne mensẹ quidem Siculẹ respuerent. Sic est profectò: nulla tam Cœlo, soloq́; horrens inuenitur regio, quẹ non aliquid commodi afferat cultoribus. Vos istic (nec inuidemus) plus nimio caletis. Nos hic in hibernis & algemus strenuè, & cænamus per quàm opiparè. In æstuarijs Adriacis degentes eisdem retibus Attagenas, Perdicesq́; captare velle, quibus pisces capitis, voti mehercule improbi, irritiq́; esset. Etsi, ne nobis piscinẹ vestræ saliuam moueant, troctæ, tytimaliq́; (sic eas Ambrosius appellat) nostrorum fluminum indigenẹ efficiunt, qui licet Romano macello parũ noti diffluãt, palato tamẽ celebres habẽtur Accipensere non minùs, aut scaro. Verùm hæc per iocum, illud ferio, nec moribus, qui nunc vigent, datum: nos te plurimum (non ita tamen, vt mereris) amore singulari, &, vt speramus, mutuo amamus.

AD DONATVM MAVROCENVM.

Gallum Cybelles non ministrum mittimus
Tibi euiratum; non soli
Trucem colonum Celtici; connubio
Sed quem maritum iam sibi
Gallina iunxit Norica ad prolem, nimis
Gulæ expetitam non rudi.

Rarò at repertam. nam per alta montium,
Nemorumq; opacorum auia
It singulatrix, non gregalis, alitum
Penè vna cicur aucupis
Non arte visa, non dolo. ferocia
Adeò vsq; sedit altius;
Ut ne relinquat mortuam; nisi inserat
Piperis rotundi non nihil,
Embammaq; addat scitulum super cocus,
Heri palato adblandiens.
Donate donum tu sodalis consulens
Boni, grauere ne frui.

PAVLO N.

VEnit ad me Phanias, nominis sui famâ multo minor, quàm corpus vmbrâ suâ est sub exortum solis. In eo cùm eruditionem sedulò perquisiuissem, prorsus frustra fui. nullum enim vestigium vel leue apparebat, vnde illum scire litteras conijceres, stuporis contrà, indocilitatis, ac ignorantiæ quàm plurima, eaq; meridianâ luce clariora, Quid multis? insimulare falsi famam videbatur, quoties de studijs incidebat sermo. En quo laudatorum præconia euadunt, dum boui non clitellas, quod aiunt, imponere conantur, sed phaleras equi bellatoris. Vidisses commoueri hominem ad ista argumenta à doctis tractari solita, ruboreq; subrustico quasi contestari ignota illi omnino surgere, ac inopinata. Discamus alieno periculo mi Paule ob inania famæ aures minimè arrigere, ne postea nobis eas submittere necesse sit, vt olim Arcadico iumento sub leonis pelle deprehenso. Magno ille emptum vellet non venisse, sed abditum alicubi neq; lacessitum opinionem de se vulgo conceptam alere. nunc post tanta nominis detrimenta quò se se recipiat, non habet, nisi vbi cerui amit-

tunt

tunt cornua. eò sanè libens se proripuisset, si itineris ducem inueniret. quod potest domi reconditus, à risu. & ludibrio se vindicat, quod debet omnibus, qui Musas colunt elegantiores. posthac imponi sibi minimè permittet longè se esse alium, quàm sit, credulitatemq; suam intra fines à ratione præscriptos cohibebit, serò, vt Phryges, sapiens. Vale.

ANDREÆ EPISCOPO *Posnaniensi Polono.*

NIsi me pudor meus in caussâ apud te dicendâ Illustrissime Præsul tueretur, patronus infacundus licèt, ac penè elinguis, maximè timerem, ne mihi posthac tanquam officij, morisq; in amicitijs quærendis seruari soliti penitùs ignaro ab omni vrbanitate exulandum foret, qui me tuis prouocari ad scribendum litteris sim passus amoris, & elegantiæ plenissimis. Iouem Philium testor; amicitiæ tuæ aditum prior occupassem; quod & amplissimæ tuæ dignitati, eximijsq; virtutibus iure debebatur; nisi subueritus essem tibi, tanto viro, & tot nominibus commemmorabili nimiùm familiariter obstrepere, ignotus præsertim, & parùm adhuc animaduertens perpetuam esse sociam maximę virtutis, summam comitatem, ac facilitatem, quibus cùm te plurimùm pollere audiam, imò verò experiar; non committam, vt studium in te meum flagrantissimum vel ipse vllo vnquam tempore desideres, vel qui non tam ob suauitatem morum, quàm quod te vnicè colit, mihi est charissimus, Franciscani instituti sodalis, popularis tuus. quem ego & testem exceptione maiorem habeo, & sponsorem luculentum do meæ prolixæ ad tibi inseruiendum voluntatis. Vale Illustris. Domine, & me, quod sponte tuâ priùs faciebas, nunc à me etiam enixè rogatus dilige. erit id constantiæ in amando tuæ; sicuti pietatis in te meæ, atq; obseruantiæ tibi à Deo fausta omnia, & quæ datoris simul

Maiestatem, simul tuam accipientis amplitudinem addeceant, precari.

MAFFÆO CARDINALI *Barberino nunc Pont. Opt. max.*

HAbet magneticum nescio quid Domine carminum tuorum Genius: Lectorem non trahit modò, sed vim ei incutit tractoriam, quâ in te fauorem alliciat Musarum. Id dudum in me expertus Ionis sententiæ accedo, qui, vt est apud Platonem, cum esset in Homero diu, multumq; versatus, diuino quodam afflatu inter Homeridas non postremę notę rapsodus euasit. Perinde mihi obuium antea putabam melos Pindarícis modis meditari, ac cęlum digito contingere. Nunc ex quo libellum aureolum lectione assiduâ contriui, cui veluti thesauro odas tuas credidit typographus, aut possum, aut posse videor, quod & censum ingenij excedebat mei, & conatum. Iam iter insuetum, audax aggredior, & tantùm non ad Icari volatum pennas vibro, successus plus nimio securus, quem quid attinet me ex disciplinâ augurum conijcere? sit satis rem tuo iudicio Eminentiss. Domine exponi. Tu quâ es doctrinâ, quo candore animi, liquidò dignosces, statuesq; sequi nec ne debuerim, quod nequirem assequi. Ego à tuâ sententiâ ne ad Musas quidem sum prouocaturus, modò nostra à tuis seorsum legas; nec rosam anemone compares. Vale.

EIDEM.

NOn ego si crebras ad te dare litteras subuereor, veneratione tuæ dignitati debitâ deterritus, nullas planè dabo; ne videar parùm eius meminisse, quo nemo meę hæret memoriæ tenaciùs. Viam potiùs à Laconibus primùm initam sectabor breuitatis. hæc me tutò inter er-

roris

roris gemini symplegadas † ἀπροσηγορίαν & † ἀδολεσχίαν, quò vocat officij ratio, perducet. Anni hunc ſubire properantis initia, metam, & ijs interiecta ſpatia tibi fauſta precor, more iampridem clientelari obſequio recepto, cùm Calendæ Ianuariæ aduentant. Id vt tam diu faciam, quàm facio libens, Deum oro, plenus bonæ ſpei fore, vt te in terris ſuas res ſedulò agentem nobis, atq; Eccleſiæ perennet. Studia mea omnia (niſi putidum ſit, cui nihil iure non debeas, ei aliquid veluti exemptum dominio donare) defero. Me vt ames, non tam quod amari me dignum ſentiam, quàm quia tuas vehementer aueo, & ſi humanitas patitur tua, rogo. Vale felix, & Spartam hanc tuam tantò veterè illâ auguſtiorem, quanto præſtant cæleſtia humanis, orna. Belluni.

† Silentium. † Loquacitatem.

IACOBO VECTIANO *Regium Lepidi.*

Mihi ipſe profectò diſplicerem, ſi hæc ſolitudo, illis fermè tantùm nota, qui ſuos ei natales debent, me ab humanitate adeò alienum redderet, vt abs te cognitorē flagitarem, qui amicitias eiuſmodi epiſtolâ exambis, tali dono inchoas. illa mihi, qui ſis; hoc, quibus vtaris neceſſitudinibus, ſic indicat, vt ne Quærengi nomen, nominiq; claritudinem inſitam aduocare habeas neceſſe. cui ſanè viro, nollem, de me tantum credidiſſes. Solet ille quidem Socratis ſui artem æmulatus, cùm animos inter ſe conciliat flagrantes amore litterarum, verba, quibus admolitur, non ad fidem hiſtoriæ dirigere, iudicij alioquin acerrimus. Vtcunq; ſit, de eruditione veritas apud te mihi multùm detrahet fortaſſe ab epiſtolæ huius lectione: de officio, & ſtudio, quo relatos ſemel in album amicorum colo, planè nihil. in ſinu, in ore, in oculis te feram, carum mihi caput, nec dum licèt viſum: memraboq; inter inſignia exempla humanitatis, & doctrinæ. Ad tua † ἀγλαὰ

† Præclara munera.

δῶρα

δωρα quod attinet, nihil vnquam in eo genere legi elegantius, quod ve ad natiuum magis referat beatam illam Attici characteris copiam, Romano eloquio expressam. Plurimùm te amo egregio tuo isto munere: autorem verò operis, cuius antea quoq; Apelleas nonnullas lineas in Musarum tabulis sparsas me vidisse memini, maiorem etiam sui famâ puto quantumuis percelebri. Vale.

FRANCISCVS MARIA *del Monaco*

ALOYSIO LOLLINO.

COlui nomen tuum Illustriss. Lolline, statim vt illud audiui; amaui ingenium, vt vidi. Vidi illud in tuis lacrymis, in tuis lusibus: breuissimæ eę lineæ, radij magni Solis. Geminus mihi Lucifer fuere Syncliticus. Pignorius, amoris in te mei Auspices: quos amo vt charissima lumina, reuereor vt clarissima Sæpe ij de te quanta cum admiratione? sæpe ego, vt planè æstuans. Dispeream, nisi præsens te aliquando adorauero, Præsul Illustriss., ni voces exaudiero. Amoris suspiria hæc, veriq; amoris. Eius artificem quæris? Tua sapientia. Erubesces præ animi modestia? scio; at quibus nimium eluis, sordida gloriolæ, & auaritiæ mancipia, me tuus animus. Qui sim, qui te tam auidè exopto, habes in opellula, quam hortatus est Doctissimus Syncliticus, vt mitterem. Ego è Theatinorum collegio, imò è tuis admiratoribus vnus. Si me amabis, Deum immortalem quale lucrum? Et amabis Illustriss. Domine: quem? amantem. Nullus supercilio locus in tam sapienti pectore. Ita te Ecclesiæ suæ, ita te mihi incolumem perennet Deus. Vale. Patauij.

FRAN-

FRANCISCO MARIÆ *del Monaco Clerico Regulari.*

ÆGrè me continui, quin à lectione tuarum litterarum statim ad tibi rescribendum calamum deposcerem, tantum eis indidit illicium mutui amoris amor in me tuus minimè vulgaris, cui non respondere non eius est, qui virtutem vel in hoste adamat. Libellum verò tuum aureolum aduersùs theatrales matæologos vt legi (legi autem non semel) non ex vngue leonem, vt est in prouerbio, cognoui, sed ex breui modulo lusciniam. Delectauit me in primis præclarum illud operis vestibulum, quo lectorem excipis ad interiora omni elegantiæ genere exculta. Quæris? non secus me eiusmodi nitellarum non omnino rudem, singula oculis perlustrantem tenuerunt, ac Menelai Regia Telemachum. Plurimum nostro Synclitico debemus, qui fuit autor, vt mitteres: tibi verò, qui amicitiam à munere mittendo Persarum ritu exordiris, tantum; quantum diserti hominis stylus vix expresserit, meus autem ærugine planè scaber ne vix quidem. Vt nos aliquando saltem per epistolam inuisas, equidem rogarem, nisi te id sponte facturum præsagiret animus, in spem iam erectus nihil fore ad nostram amicitiam studijs alendam, quòd à te desiderari sis passurus. Vale, & mihi Numen, cui assiduo alloquio es familiarior, concilia. Pignorio, Viro cum paucis docto, ac mei peramanti plurimam salutem.

HENRICO DAVILÆ.

PErmolestè me diu habuit pituitæ fluor, tantâ ille quidem copiâ exuberans, vt non maiore liquentur niues vere nouo solaribus radijs obuersæ. Mirari veniebat in mentem, qui vapores, quæ nubes vim inimici imbris capiti

piti ſuppeditarent. Ibi enim primùm concretus in nares, deinde & pectus dimanabat inexhauſto augmine. Nunc importunus ille humor hyemare deſijt, quo nihil eſſe poteſt emunctę naris homini infenſius. Hæc quamuis parùm memoratu lepida, nolui tibi ne ignota eſſent, vt noſtræ valetudinis ignoſceres inurbanitati, ſeu potius nimiæ meorum de me curæ, qui rati non aliunde morbum originem traxiſſe, litterarum omne genus à conſpectu noſtro longiùs arcebant, dum decumberemus. Serò igitur reſciui reſponſum tibi me debere. Seriùs etiam ad hæc redij officia, quæ alacritatem requirunt animorum, à quâ me imparatum eſſe adhuc ſentio, recens à iactatione per moleſtâ, & quæ omnem, ſi qua modò in me fuit ante, elegantiam expectorat. Iaderam breui te aditurum cum militari imperio ferrem æquo animo, ſi valetudine confirmatiore vtereris; nunc me timor angit, ne quid incommodi adportet ignoti cęli, hoſpitibusq; parùm blandi facies. Si me amas, imò ſi te, tuosq; omnes amas, valetudinem tuam, quâ ſine ne vita quidem ipſa vitalis eſt, cura diligenter, & rebus ſi non omnino ſecundis, & tuâ virtute dignis, at ſaltem, quàm modo ſunt, lętioribus te ſerua. Vale.

BARTOLOMÆO CARTVSIÆ *Vedanæ Præfecto.*

† Dominō † Vſu.

REdit ad te Raderus, & Ripamontius † κτίσει ambo quidem tui † χρήσει verò, quá es benignitate, amicorum potiùs. Illius me fermè nihil delectauit admodum præter argumentum, & Iconas graphicè expreſſas. Hunc legiſſe ſemel non ſat fuit, repetitusq; ſemper magis placuit, placebitq; porrò, ſi promiſſor Mediolanenſis factis æquat verba. Nemo vllus aures allicit, tenetq; blandiùs. non Hercules ille Gallicus, etiam ſi fabula non foret; non freti Sirenes Siculi, non Vere nouo concinens Luſcinia. Potuiſſe hominem in vrbe eductum haud ſanè plurimùm lit-

terarum

terarum ſtudijs florente res obſcuritate ſummâ inuolutas, & ornari planè recuſãtes, Rhetorũ ita picturare coloribus, vt lucem luculentam dederit ex fumo obliuioſę vetuſtatis? Equidem nec mirari ſatis queo librum elegantiâ ſæculi ſui minimè contentum, nec expleri efferendo laudibus longe intra meritum caſuris. Nunc multus in Maffęio sum. noctium immane ſpatium id exigit, cui indormiendo, etiam ſi Endimion eſſem, non par eſſem. non multo interuallo proximus videtur Ripamontio, ſi orationis nitorem ſpectas; ſi materiam, felicior; ſi Venerem illam traſmarinam, quæ in Atticis maximè elucebat, in hoc quæris, fruſtra ſis. Auſteritas, quæ in moribus viuentis inerat ſubtriſtior, ſcripta quoq; ipſa occupauit, elegans tamen, & grauiſſimæ plena maieſtatis. Pudet me iſtiuſmodi elegantiarum non incurioſum tandiu latuiſſe quantiuis pretij hiſtoriam, tot abhinc annis inuulgatam, præſertim cùm Romæ autorem nouerim famâ ſui fruentem inter litteratorum primores, queis Societas illa vſq; ad inuidiam abundat. Neq; ideo impedior pudore, quominus tibi grates agam, qui non modo ad fontes digitum intendis, verùm etiam fontes ipſos, vnde hauriam, ſuppeditas. Vale.

EIDEM.

QVod ſellâ lucubratoriâ ſedens in conclaui, Oceanitidas per otium inſulas perluſtro, id totum tibi in acceptis refero. tu mihi hoc honeſtæ voluptatis æquor primus aperis. nam abſq; te foret Maffæius, quod pudeat, mihi ignotus ad hanc diem, quo nunc vtor duce itineris, ac comite, & ſanè tam comi, vt iuxta vetus verbum, ſit mihi pro vehiculo propemodum. Tu viciſſim, vt habeas, quo monſtrante viam Sinarum ditionis vltimos penetres receſſus, accipe Rigautium hominem ſub eadem, quâ Maffęius, altum diſciplinâ; quanuis diſpari præditum facun-

diâ. Commentarium Bononiense horrens legi, dum subit animum tantum seu furoris, seu sceleris cadere in homines natos potuisse. Id quoq; ad te redit, contubernalium tuorum aures moraturum miseratione primùm perditorum, deinde vltionis promeritæ lętitia. Vale.

IACOBO VECTIANO.

MItto ad te Aleandri tui, imò nostri, imò omnium, qui Musarum floribus ornantur, carmen aureolum, quo ille per lusum, & iocum, quamuis sub dolentis specie Catellæ suæ manibus parentat, poëtarum more. Eo perlecto, nisi me fallunt omina, miraberis non tam amęnum hominis ingenium, quàm superbum Æui nostri Principum iudicium, qui per dedignationem, & litterarum contemptum sacros Vates à suis laudibus dicendis auocant ad catellarum epicedia. Quanto veteres illi liberaliùs, qui versus vulgaris etiam saporis Philippęis permutabant optimæ notæ numismatibus? Equidem istiusmodi litterarum bellarijs fateor me non indelectari, postquam exempta fames cibo firmiori, quem aliunde, quàm à Theologiæ penu frustra petas. Nec minori sanè clypeo, quàm Aiacis ille fuit † ἑπτα βόειος, me tueor aduersùs iacula obtrectatorum, cùm Gregorium appello, cui Theologia cognomentum dedit, Cælestium honorem pietas. Scilicet is sibi haud turpe duxit carmen factitasse, ne dum perlegisse. Verùm hæc tibi sat scio esse cognitissima bonarum artium alumno simul, simul professori. neq; ideo mihi erant omittenda, qui, cùm ad rescribendum tuis litteris animum applicui, epistolari argumento minus abundabam. Vale.

† Septem pellibus bubulis circumtectus, i. impenetrabilis. sic Hom.

HIE-

HIERONYMO ALEANDRO.

SEria tua perinde ac ioca Aleander nec mirari quidem pro dignitate satis possum, nec efferre laudibus. vtraque in suo queq; genere non contenta sæculi nostri elegantiâ, veterum scripta cedro iam dignata in certamen vocant. vel nuperum istud in Aldinę obitum quale est, quàm nullo planè interuallo proximum culici Maronis, Catulli Passeri? quàm immensis præcedens spacijs equum à Statio ingenti hiatu celebratum? felix tu quidem otij, ac curarum, cui flores pagina, stylum vbicunq; fixeris, submittit nullis æui iniurijs cessuros. Istis verò rerum columinibus, qui fastidio, ac dedignatione litterarum Vates sacros à suis laudibus dicendis auocant ad catellarum epicedia, quid imprecer, nisi vt virtutem tandem è somno excitati videant, despectęq; ingemiscant desiderio? Equidem non sum voti adeò anormis, vt veluti Cæsar Scaliger, Odæ Horatianæ inter pręcipuas ab eo habitæ autor esse malim, quàm Rex Tarraconensis ditionis: neq; ideo tam auersus à Musis viuo, vt tuum carmen non anteferam Semodio vnionum, indicaturæ non vulgaris. quid enim mihi cùm lineis diuitibus, Apellæas tuorum scriptorum lineas admirari solito? Delectauit me in tuis legendis exoticorum quoque Characterum elegantia haud parùm venustatis afferens quantumuis aureolo libello. His ego meas excudi nugas magno emptum vellem. Nam qui nunc Italicis operis in promptu sunt, ne Volusianos quidem annales addecent. Vale, & carmen lege, cui materiam carmen dedit tuum, spem placendi adimit.

Carmen in Catellam Aleandri.

Aldine tumulum Macedum si fortè vidisset,
Præteriens ductor, vidit vt Æacidis,

Illius haud dubito, quin inuidisset honori,
Quem muto cineri Musa diserta parit.
Nam neq; Meonidis tantùm, nec sacra Maronis
Tempore inextinctum pagina nomen habet,
Æmula sed cuius virtus superare Maronem
Posset, & antiquum carmine Meoniden.

ATHANASIO THALAMINO *Monacho Cartusiano.*

SVaues tuas litteras, musarumq; scrinijs dignissimas. Nam, quas illis comites addideras, quales, quàm iucundæ? Suum sibi habeat nectar fabularis Iuppiter, dum his mihi liceat frui. Haud ita puto Argiuæ Helenæ poculum obliuia ærumnarum attulisse, vt hæ mihi omnem tristitiam abstersere animo, quam proximis his diebus ex charorum casibus contraxeram. Non has Nigræum nostrum artes docuerunt Asclepiadæ, verùm medicinæ mentium humanarum Auctor cælestis, cuius est vti etiam deleterijs salubriter. O celebrem istam tuam solitudinem, quæ tanti Viri congressu sæpè inclarescit. O vrbem hanc post eius discessum in meram solitudinem redactam. Is à me chartacei nescio quid muneris summis precibus nuper per amicum petijt, quod suo iure exegisse multo erat æquius. Id, quia nondum certior sum factus, an acceperit, iteratò in eundem fasciculum cum his litteris coniectum mitto, vt ad eum quàm primùm accures perferendum. Nepotes valent, & rem benè gerunt: puto eos minimè indecores generi futuros, aut te patruo indignos. Tu modo perge eorum indolem & salutaribus admonitis instruere, & erigere exemplo. Vale mi Athanasi, & nos ama amore illo æthereo, quo flagras; precibusq; apud Deum adiuua, cuius arctiori consuetudine in isto tranquillissimo secessu frui te oportet, extra periculi aleam positus, ne te insanientis mundi blanditiæ abripiant ab ea frugalitate, quæ mentes

vestras

vestras cœlo miscet; ex quo fit, vt vitę à vobis actæ rationem admirer, & approbem: cum è contra nostrorum hominum miserear, quibus vita non videtur, nisi quæ ventri debita sit. In hunc morem placuit mihi commentatione inuehere, quam ad te missam leges per otium, & in suscepto proposito libentius persistęs. Vale.

Jeiunij legibus fraus non facienda.

EXigui in insana capita cineris iniectu furorem illum resedisse, qui per totos hosce dies transuersam iuuentutem in præceps egerat, minimè mirabitur diuinorum mysteriorum conscius, cui perspectum, creditumq; sit mentem animi ablui corporis lauacro, cæco diem reddi collyrio ex sputo, & puluere oculis admoto. Profanus ista videns Antycira aduectum cinerem hũc putabit ambusti hellebori reliquias. tantùm experienti rudis differt, pius Epicuro, qui Deo vacationem tribuit humanarum rerum procurationis; sibi verò permittit religionem omnem conculcare pedibus subiectam. Hoc hominis portentum toleratum Athenis olim, vbi Socrates tamquam parcus Deorum cultor mortem faucibus haurire cogitur, admirarer equidem, nisi à multis discipulis officiosè cultum, & publico fauore prosecutum legerem. id excusâ admiratione facit, vt indigner potius, & vrbi sub Palladis tutela incipientem sapientiam professę diriora imprecer, quàm sunt, quæ modo patitur ab immiti Scyta. Potuisséne homines natos dementari adeò, vt eius memoriam venerarentur, vultus annulis, poculisq; susciperént, qui (quantum in se fuit) Numen orbe exactum, proscriptumq; in intermundia sua relegauit, de Prouidẽtia non aliter, quàm de delirâ anu fuerit locutus? Sed in hunc destinatione animi non ferimur, indictum ab omnibus maximè vellemus. aliò nos euocat occasio publicum morem (pestis si mos est) stylo perstringendi,

gendi, quando telo alio non datur. Ieiunio preces alere ab vltima vsq; origine constitutæ, instauratęq; pietatis inoleuit cælitus decretum, indictumq; ab ijs in stata tempora, quibus est populorum salutis cura demandata. Morem prisca ætas coluit sine fallacia, & fuco, vt decebat, flagrantissimo in Deum studio accensos. Indecora postmodum posteritas Maiorum suorum virtuti, refrigescente sensim pietate, non modo obseruantiæ fibulam laxauit quà iniuriâ, quà fraude; verùm etiam labem moribus inuexit ieiunij meritum abolituram, nisi succurratur. Hanc ego labem non alia mente dicere aggredior, quàm morbos Epidemios Hippocrates, scilicet vt curari possit, nè vlteriùs neglecta serpat, neu præuertere tempus ieiunandi minimè contenta illud quoq; occupet. Interfuit veterum moderationi perpetuæ frugalitati assuetæ lege scita cogi, vt sub initium veris per quadragenos dies sibi temperaret ab esu carnium, ouorum; lactis insuper liquidi ac presfi: nec nisi semel in die epulis accumberet. Sic ventre minus saburrato posse nos Christi passi monumenta animo recolere, quibus ille dierum periodus sacratur, adiunctis ad inediam alijs quoq; corporis afflictationibus libenter, ac spontaneè susceptis. Hæc ratio diœtę tenuit, dum antiquis moribus, & virtute starent res. Quibus retro sublapsis tam longę pigere cœpit esuritionis Genio, ganeæq; deditos. nec mora intercessit: continuò viam muniuere ad licentiam virium imbecillitatem, causati anxio ciborum delectui, ieiunioq; iugi minus suffecturam: & medentium adulatio causæ indulsit fidem astruens mendacio, ne si castigaretur, grassari id puderet latiùs. tum primùm adinuentæ artes præscribendi, quibus quemq; escis valetudinis ergo vesci oporteret: piscisq; delicatiorum mensis interdictus tamquam obsonium capitale sanitati, cui nihil ęquè quàm pituita molesta sit peculiaris aquatilibus. Ita pecus innocuum damnatum nulla quęstione prius habita, nullo iuris ordine seruato, ijsue aduo-

catis,

catis, qui possent causæ auctoritate, aut gratia patrocina-
ri, quos inter præcipuum nomen habuisset Dionysius Car-
tusianus. Is calumniatores sui Ordinis vlturus librum edi-
dit, quo ichthiophagiam mordicùs defendens, nihil ea es-
se tradit ad vitam salubriter degendam appositius. certè
veteres æui Asclepiadæ, vt ex eorum scriptis satis constat,
pisces vel morbo correptis sontico exhibuere absq; noxa,
præsertim quos saxatiles vocamus. Equidem non dubito
surdis auribus hæc accipi ab eis, qui Sybarim in esuriales
dies intulere. hoc modò doleo, quòd non minùs ieiunium
exceptionibus putidi corrumpunt, quàm tempus ieiunio
præuium incestant effræni in vitia omne genus impetu.
nam non secus ac qui arctam obsidionem præstolantur,
iamq; vident aggeribus ductis hostium castra mœnibus ad-
mota, vndiq; in horrea contrahunt annonam fami, si ne-
cessitas ingruat, opitulaturam; ita isti aduersùs adventans
ieiunium se muniunt, omnia in ventrem conuasant, recor-
duntq; (hic enim ipsis pro horreo, hic pro penu est) rati, vt
apparet, ieiunij tœdium minimè sensuros, si in antecessum
se affatim cibo, potuq; farserint glirium in modum, qui-
bus sagina, indeq; subsecuta cruditas commeatum præbet
ad somnum per totam hyemem continuandum. Non alias
se dapsilius inuitant, quasi tempus illud, quàm longum est,
quod inter cineralem diem, & Natalitias ferias interia-
cet, vnius cœnę luxui dedicaretur. nec gulæ tantum in-
gluuie peccatur à conuiuis, qui, cùm optimè meminerint
Christiani nominis hominibus indici, vt dum ieiunant, ver-
bis, iocis, lusibus abstineant, sedulam dant operam, quò
omnem in hæc licentiam exhauriant, ante tempus quàm
adueniat ieiunij, ne earum reliquamēta pereāt omnino ne-
quitijs id genus interdictis. Aude negare istos furiali œstro
agitari; argumentis te necessarijs conuincam, fateriq; adi-
gam. Ithiphallos superant licentia, Męnadas furore, Saty-
ros in turpia pronos fœditate. Vbiq; Bacchanalia feruere
vide-

videmus: despumare ora vino madida in fesc enina verba probra, iurgia, conuicia: subsequi dein cædes, vulnera, & cœtera de hoc genere Lapithum bellaria: extrahi in longam nedũ noctem commessationes, verùm etiam in ipsum Phosphorum, qui vt alios operum, ita hosce somni admoneat circum cursatione plurima defessos, nec dum satiatos. Equidem non miror sub persona seruili incedere curuas in terram animas, licet nobilitatis stemmata, fumosasq; maiorum imagines iactent; id indignor magis pudoris adeò extincti plerosq; existere, vt ora nudata omni velamento obuijs obuertant, dum nequiter agunt, quasi palmarium sibi putent furere solemnia, & recurrente quotannis insania defungi. Noui homines alias verecundos, paucorum verborum, pudoricolos, veluti Circęo poculo mutatos abire in mores longè alios temporibus illis congruentes, ne sapere soli videantur. tunc tamq; licentia, iusq; sceleri datum satis virium non habeat, scenam Comœdia conscendit male suada illa corruptrix vrbium, vt factis ipsis, ac si parùm foret verbis erudire, spectatores instruat ad vitiorum disciplinas ita non indociles, vt possint præceptores ipsos edocere suas artes. Sic oleum camino infunditur sua sponte incendia voluenti; sic pessum non vno stimulo impellente itur, ne cõsuetudo exolescat moribus recepta, perdita, anormis, maioraq; pęnè damna allatura, quàm ieiunij sint commoda, etiam si illud ritè seruaretur, & non dicis caussa, vt mos hodie plurimorum tenet, quibus artium inuentor, ingenijq; largitor venter crapulę assuetus persuasit, vt opima fercula cœnarum saliarium ęmularentur per id tempus, quo fame pascẽdam ingluuiem lex iubet iussu heu nimiùm irrito, & vix pauperum aures peruadente. Apitij libros, & Athenæi cœnas modò mihi perlege, non deerit, vnde exempla sumas pisces obsonandi, condiendiq; adeò opiparè, vt cruditati vel ipsi orexin excitent. ne putes in mensam prata tantùm herbida inferri; maluam nempe, scolimum, sisim-

imbrium sale, & modico oleo inspersum. abscessere ista ganeata, lauta edulia iam diu est in Thebaidos deserta ad Anachoretas: ius nigrum ad Laconas redijt. coquorum industriæ nunc maius negotium facessit, quàm cum carne instruitur domini conuiuium. placentarijs non aliàs licet esse otiosis minùs. vina perquiruntur generosiora, mari vecta, quæ stomachi vires simul erigant, simul palato faciant delitias. tamquam satis Neptuni pecudes non sint, cochlea domiporta, rore pasta additur, ne se tutam putet, quod nunquam pedem effert lare intimo. nihil epularum numero eximitur, modo ne lege proscriptę sint, & dignationem augeant conuiuij. Quam ingeniosa sit gula, vel hinc disce: digna res erit memoratui. Quadrupes animal ora alit Septentrioni obuersa, quæ Danubio alluitur, Fibrum indigenæ dixere, vulpis magnitudine. Hic non aliter somnum carpit, quàm corpore ita ad fluminis ripam reclinato, vt caudam, quæ illi luculenta, & carnosa obtigit, aquis profluentibus immergat, cætera terrestris censûs, ditionisq; haud controuersæ. ob eam rem à coquo cauda in ius tracta: &, licèt se agnationis, nataliumq; iure tueatur, pisci esse iussa vices explet amnici cibarij, ac si solea, aut murena foret, cuius eam saporem referre Lotharingi tradunt, quibus in delitijs per ieiunium habetur: vt & auis quædam apud Anglos generis amphibij, quam Puffin audio vocari. I nunc, & fraude ab vna, aut altera reliquas cognosce, quæ impunè aduersus frugalitatem esurialium feriarum fiunt. De scitamentorum vi, quæ tum gustui excitando adhibentur maximè, pauca vt dicam, epiphora facit graue morbi genus, quæ M. Tullij Romuli nepotum disertissimi caput ita oppressit post augurale epulum, vt vix loqui posset. Sumptuariæ leges incubuerant solito seuerius in cœnarum luxum: glires, Attagen, pauo exulatum ibat: omnibus ferè opsonij modus ponebatur præterquam terra natis, ad ea, nempe legibus excepta culinæ magistrorum

ars conuersa condimentis effecit, vt, cum nihil haberi posset ijs suauius, continentiæ Ciceronis imposuerint, qui aduersus opsonia Ædiles timentia obfirmarat animum, vnde morbus exortus ab eo festiuissimè descriptus, credo, vt posteris documento foret nullum esse cibum tam diobolarem, tam postremę notæ, cui nomen, decusq; dare luxus nequeat, si volet. fungis nos, helueolis, betis quinetiam prandijs fabrorum destinatis decipit, læditq;, postquam plus nimio helluati sumus non innoxiè. Phthisiscente iecore tum demum serò sapimus, vt Phryges olim: hydrops temperantiam docet: inuisa febrium cohors iniecta manu aures vellens damnosæ edacitatis admonet, jubetq; deducere rictus ad conspectum cœnæ: pœna noxam, vt varra vibiam subsequitur. sic Superi voluere, sic decreuit Themis, vt, qui (modò cutis lepidè curetur) nihil sancti habent, ijs studium istud capitale sit: cura corporis saginandi corpus ipsum perdat. Quàm benè crimini conuenit vexatio, lecto affixus iacet ambulator vanus: ossibus vix hæret sue obesior, qui animam pro sale habet, ne putrescat; ptisanario orizæ victitat tenui pulmento, cuius ventri mare, terra, aër vectigal pendebat: aquam ranunculorum potionem haurit falernæ vindemiæ pernicies. ieiunia ganeonibus istis præscribuntur non à iure, quod nimis refractariè detrectant, sed à medicis imperioso genere mortalium, quorum dicto non esse audientem nefas sit exitio sæpe expiatum. neq; hic finis cęlestium irarum: corporeo carcere extractos carnifex statim excipit dirus Acheruntius, trahitq; non ad vncum, laqueumue, rupem aut Tarpeiam, schalas aut Gemonias (ferenda illis sanè hæc forent, imò optanda) sed ad pœnas sine fine luendas admissorum, vbi perpetuum frigus alit perennis flamma, nigrore tetra, ac Cimmeria. Hæc vobis occurrant mea gens, quoties libido incessit per enormia vitia obrutescendi. hic timor, sat scio, primùm pariet malorum detestationem: exinde Numine in

lenitatem se dante, cœptisq; adspirante, pietatem; postremò requiem nullo vnquam æuo desituram, salutarem, omnibus bonis circumaffluentem.

Clariss. Viris IACOBO BAROCIO, BENEDICTO GEORGIO.

EPulis vestris musęo lepore conditis symbolam damus, Gallos nemoriuagos ternos, non Cybeles illos quidem famulos herifugas, verùm genere prognatos alectryonacco, quas homines nostri brumales hirundines, credo, quia sunt hyemis prænuncij, vocare solent. vt sit inter tot patinarias escarum struices, quod vos Noricarum niuium admoneat; vbi nos manemus in statiuis. Si coquus vester sapit, rancidulum illud, quod Romani in apro probauere, haud aspernatus, saporem ei exotico aliquo ex embammate arcesset: sin minùs rusticitati nostrę ignoscetis, quâ effectum est, vt vos amicos magnos subrancens opsonium consumere, quàm nos integrum, satius duxerimus. Vale.

IACOBVS BAROCIVS.

ALOYSIO LOLLINO.

ACcepimus Gallos, & epistolam; quasi munus eloquens, Gallos loquentes, & humanam, imò diuinatricem referentes vocem, vt Æsopi nobilis illa patina nobis desideranda non fuerit. Indictum est continuò prandium apud me Patri Seruorum, Contareno, Amulio, & Mauroceno. nam Georgius adhuc rusticatur. Stata die, quę hesterna fuit, conuenerunt omnes, excepto Mauroceno, imbre, credo, impedito. Prandij nostri fuit fundus opsonium tuum: nec vllo eguit embammate. Nam integrum erat iudicio nasi; etiamsi Frangipanicus esset.

Bellaria fuerunt docti, & faceti ſermones, laudeſq; tuæ, & gratiæ, quas tibi dicebamus, qui lautitijs tuis menſam noſtram ornaueris. Vale, meq; ſcito perpetuum virtutis, nominiſq; tui cultorem fore. Venetijs.

ANDREÆ MAVROCENO *Senatori*.

NE viuam Maurocene Vir doctiſſime, ni mihi ſcripta à te non improbari mea periucundum fuit. Nam ſiue iudicio inductus ita ſentis, ſeu potius amore (quod vt magis rear, facit mea in te ſumma obſeruantia, ac pietas, tuuſq; iſte animi candor, & in tanta dignitatis amplitudine humanitas) quid mihi accidere poterat optatius, quàm ab illo laudari, vel amari; quem nemo non meritò amat, omnes iure laudant? accedit tui ingenij præſtantia cum eruditione omnigenâ coniuncta; ſermonis verò latini copia tam diues, tam beata, vt vel ingenti Venetę Hiſtoriæ ſcribendæ argumento, cuius ſub pondere complures viri florentis facundiæ ſuccubuere, non modo ſuffectura, verùm etiam ſuperfutura videatur. quâ præditum non faſtidire aliorum exili filo contextas commentationes equidem mirarer, niſi mihi non ignota eſſet facilitas tua, atq; æquanimitas, cui maximè acceptum referre ſanè debes, ſi nos tuam modeſtiam vrgemus frequentiori ineptiarum noſtrarum lectione, quàm occupationes tuæ patiuntur. Quò enim non penetrabit audaciæ ſcribendi cacoëthes, præſertim ſi laudis illecebræ acceſſerint? Sic eſt profectò doctorum hominum verecundiáne dicam, an indulgentia? Suffenos omni æuo aluit, quos mordaci vero deterrere ab incæpto ſatiùs fuiſſet, reiq; publicę conducibilius. cuius quidem malo tanta ſubcreſcit laxitas annonę cuiuſmodicunq; ſcriptionum, vt nihil magis iam vile ſit. Verùm de ijs litterarij Cenſores viderint. ego Iudex, reuſq; in eadem cauſsâ non ero: ſed tantùm immuni præſentium temporum libertate perfruar

fruar, dum licet, iudiciiq; tui faciam hoc, quicquid libelli est, quod proximis his hibernis mensibus inter niues inalpinas lucubraui, vt mirum non sit, si id algor suorum natalium frigefacit magis, quàm institutæ conuenit commentationi, vehementiam, atq; animi ardorem requirenti. Vale.

ANDREÆ MAVROCENO.

NImiùm siles Vir amplissime, hoc est, vt ego quidem interpretor, nimium te publica res occupat, cui ætatem, cogitationes omnes, linguam deuouisti. etsi te silere † ἄκυρον fortasse fuerit dixisse, cùm tu interea concionibus tuis Curiam demulceas, grauioribusq; curis otium rependis nuper valetudini insumptum. Nos, quibus Prouincia nō adeò laboriosa cōtigit, vt religio sit aliò diuertere nonnunquam, non tam amicorum litteris respondere, quâm eos vltrò lacessere debemus; præsertim cum argumentum suggerant inexhausti Camænarum fontes, quibus ora rigare à teneris vsq; assueuimus. fit enim nescio quo pacto, vt circum actus ætatis orbis puerile studium senectuti reuehat, iuuetq; illuc fessulum deniq; reuerti tamquam ad vitæ propemodum exactæ fidam stationem, vnde cursum principiò ingenium corripuit per spacia immensa doctrinarum, sibi inuicem succenturiatarum. Quid facias? † κύκλος τὰ ἀνθρώπινα dictum vetus nouum fuit, eritq;

dum sidera pascet

Oceanus

Enimuerò carmen, cuius gratia hæc pręfati sumus Rhetorum in morem; si ad te perferretur tempore non suo, tantisper seponas licebit, dum Iuppiter Halcyonia reducit nubibus disiectis. Quod vt quàm citissimè eueniat, superos orare, donec exorauero, non desinam, quorum te cura Veneti nominis lumen tueatur. Vale.

† Absurdum.

† Circulus res humana.

MAF-

MAFFÆO CARDINALI *Barberino.*
nunc Pontif. Opt. Max.

COnſpectum vultûs tui Domine, quẽ mihi regionẽ lon gè iſtinc diſſitam incolenti inuidet fortuna, indulſit nuper ars Naturę æmula, imagine tui huc ab vrbe vſq; Boniâ transmiſsâ; vt haberem, quo aciem oculorum dirigens identidem, ingenij vires explorarem, laudúmne tuarum pondus ferre poſſent. cui quanquam minime fore reſponſuras arbitror, facio tamen haud illibenter, vt in ijs carminibus, quos ad te mittimus, conatus extet infantiæ teſtis idem meæ, indexq; obſeruantiæ, quâ, ingratus ſim, niſi maiorem in modum te proſequar, colamq;, quoad Muſas, & virtutem colam. Vale.

SCIPIONI CARDINALI *Cobellutio.*

QVem modo Pontificem ſummum declaratum omnes veneramur, hunc ego priuatim, cùm Cardinalem gereret, conciliantibus amorem ſtudijs, colui imprimis. Hinc adeò fit, vt priſtinæ clientelę ergo mihi ſit neceſſe ſolenni ritu per litteras ei gratulari. quibus ſanè litteris, ſi eas, à te Eminentiſs. Domine Pontifex accipiat, tãtum auctoritatis puto acceſſurum, quantum, æri, eboríue olim afferebat Praxitelis, vel Myronis manus. Quod vt facias, maximo te rogo, obſecroq; opere. Simul vt in meâ culpâ, ſi qua culpa eſt, tibi, humanitatiq; ignoſcas tuæ, quæ eo me loci adigit, vnde meus pudor longè arcuiſſet. Eſt apud me volumen, ingens illud quidem, & annos attritis ob vetuſtatem folijs præſeferens Amphilochia inſcriptum, theologumena varijs diſputationibus diſcuſſa continens. huic liberne Romæ aliquis homonymus reperiatur, ſcire aueo. puto enim id inter repertu minimè facilia cenſeri, eoq; nomine haud

haud indignum fore, quod Bibliothecę Vaticanæ pluteos exornet vnâ cum aliquot alijs codicibus calamo conſcriptis, quos veluti reliquorum meorum prodromos mittere iſthuc cogito propediem. Deus te Eminentiſs. Pręſul incolumem, ſoſpitemq; nobis diu ſeruet. Vale.

VRBANO OCTAVO *Summo Pontifici*.

NVncio nobis hodie allato Te inter tot ſacros Chriſtiani nominis Proceres Deo, hominibusq; approbantibus ſelectum, ad Summum in terris decus capeſſendum, ita ſum affectus, vt lætitiæ magnitudinem meæ ipſe animo vix capiam, conceptam verò vllis planè litteris pro dignitate teſtari ne vix quidem poſſim. Scilicet experior ingenti nos voluptate veluti torrente quodam obrui, quàm perfundi veriùs, poſtquam euentus vota exęquauit Reipublicæ felix, bonis fauſtus, Italiæ ſalutaris, quæ Te ſummo Pontifice ſpem erigit fore, vt breui tempore ſplendori ſuo priſtino reddatur: mihi autem longè optatiſſimus, cui ſunt à Te nec exiguo numero, nec exigua benignioris affectus teſtimonia. Has gratulationis cauſas mecum reuoluenti, vnde mihi gaudeam, abundè ſuppetit, verba, quibus Te Parentem iam, Rectoremq; humani generis alloquar, me planè deſerunt, deſerantq; porrò, modò tibi eius vices meritò gerenti, qui noſtra quoq; ſilentia inaudit, ratio officij mei ſatis conſtet. quo ſanè officio, cogitationeq; adeò ipſâ licet iniquis locorum ſpatijs diremptus, celebritati Pontificatûs Tui præſens adſum, pedumq; ſacrorum oſcula delibo, Deum obnixè adprecans, vt Tibi longa ætatis tempora, indeflexasq; vires tribuendo munera quam grata, tam diuturna eſſe velit ſua. Vale gentibus adoratum caput, & me huius ſimul paſtorem gregis, ſimul tui ouem paſcui tueri perge. Vale.

IACOBO VECTIANO.

VIrtutem ego mi Vectiane sub quacunq; togâ, siue pallio repertam multo pluris facio, quàm natalium splendorem, aut famosarum imaginum inania. Te verò mihi posthac non virtus modò ipsa cum summâ eruditione coniuncta commendabit, verùm etiam Sacerdotij diuina dignitas, quam equidem vel gemmatis torquibus antefe-ram velleris Phryxæi. Titulis iccirco, quibus te per litte-ras primùm appellaui, nihil demam prorsus; addam potius quæ sacro honori conuenire mihi videbuntur; incolumiq; amicitiæ fædere, cum tua modestiâ dilitigabo. cuius ar-tes vides quamparùm processerint ex voto; extulere te ma-iorem in modum, dum eleuant. Nam quod innuis condi-tiones nec querenti mihi, te à Principe tuo Româ euoca-tum, ad curam nobilioris iuuentutis capescendam: id quo-que maximè declarat; qualis homo sis; quàm studijs iuxta bonus, ac Reipublicæ vtibilis. Perge porrò, quod facis; & in quibus eluces studijs, ne grauare prelucere alijs. Re-giæ propè fortunæ, ne dum priuatæ fuerit hoc munus, flo-rem Ciuitatis, succrescentem parentum spei sobolem im-buere institutis salutaribus, & maiorum nomini decus al-laturis. Nos in te amando, ornandoq;, si quid erit, in quo nostram operam experiri velis, eorum nemini cessuri su-mus, quibus cum necessitudo tibi intercedit vetus. Quæ-rengus noster viridem senectam, atq; indeflexas vires Mu-sis seruat; semper aliquid noui pariens, parturiens, quod intentis animis miremur. Legi nuper Hexametros eius ad Hieronymum Aleandrum, dignos sanè meliore sæculo, carminibusq; æquiore. Nam Poëtam nunc eximium vo-cari, eximij apud plerosq; probri instar est. neq; ideo debe-mus ipsi nobis displicere, quibus Pieriæ rosæ nauteam non spirant. Vale.

VIRGINIO CÆSARINO.

IGnotus te compello Vir amplissime pridem mihi cognitum non tam famæ relatu præclara de tua virtute, nobilitateq; eximiâ narrantis, quàm commendatione omnigenæ eruditionis, quæ in tuis carminibus elucet plurimùm. Quod in præsentiâ facio potissimùm, quia non prius talis mihi se obuiam obtulit occasio tibi innotescendi, qualis ista est, maximo à me exoptata opere, & quæ nunc prætermissa non parum sit ruboris verecundiæ meæ incusura. Meorum etenim litteris accepi à te ex suscepto sacrarum admissionum munere epistolam nostram peruenisse, quâ Summo Pontifici gratulabamur, perhumaniterq; recepisse, te daturum operam, vt primo quoq; tempore Pontifici reddatur. Quod tuum peramans officium tanti apud me est, vt me valde pigeret tam in te colendo indormisse diu, nisi in spe essem fore, vt tarditatem hanc meam ita posthac studio, obseruantiâ, pietate deniq; erga te rependam, vix vt in tui amore Quærengo nostro sim cessurus. cui sanè viro in omnes partes placuisse quid aliud fuerit, quàm Musarum epistolâ doctis commendari? Atq; vtinam is ego sim, qui quos in sinu, oculisq; fero, eorum consulere nominibus vllo pacto possem in litteris veteranus tyro, nulla te dies æuo memori eximeret. verùm neq; ipse tantum mihi arrogo, neq; tú in id mea, aut illius omninò eges ope, qui famam factis extendere perinde, atq; scriptis valeas, soleas. Vale, & Pontificem Maximum, cui es, conciliante studiorum communione gratiam, carissimus, venerare meam vicem.

FRANCISCO CARDINALI *Barberino.*

PRæcipuum meum votum fuerat Domine Eminentiss. ritè à me publici boni caussâ conceptum Patruo tuo virorum optimo, ac sapientissimo Pontificatum gratulari; proximum, vt is, postquam gubernaculis orbis præsedisset, aliquem sibi quàm simillimum desumeret, quem in nomen suum adoptatum rerum administrationi admoueret, lampadem ei tradens, quâ ipse in istâ religionis arce, cùm adhuc Cardinalem ageret, magnâ cum laude alijs præluxit. Annuit Reipublicę fauens, exoratum Numen, Vrbanumq; humano generi regendo terris dedit, eidemq; in consilio adstitit, te interpretem, consciumq; curarum eligenti, quem fratris germani filium, imaginem animi, sensusq; sui optimis antea studijs, & moribus imbuerat, formaratq; primis vsq; ab annis ad munera quæq; summa capessenda. Hinc adeò fit, vt ego geminâ gestiam lætitiâ, & quod voti compos euenisse video, quæ summopere cupieram, & quia tuas Viri non tam præsenti, quàm sperata dignitate florentissimi litteras accipio, plenas humanitatis, beneuolentiæ, officij; quas semel, iterum, atq; iterum auide perlectas in Thesauris Musarum sum asseruaturus, tuæ in me propensæ voluntatis, simul mei in te cultûs, atq; obseruantiæ apud posteritatem indices futuras. Interea quid ego tibi tali fortunâ digno præstare, aut de me polliceri possim, non reperio; qui qualecunq; sum in litteris nomen consecutus, si modò consequi vllum potui, totum id magni tui Patrui amori debeo; nam iudicio quidem non ausim dicere. ne igitur gratulator planè asymbolus ad te videar accedere preces afferam tuis lætis rebus, Deum præpotentem rogans, atq; orans obnixissimè, vt Nepotis Pontificij prænomine, atq; auctoritate ad litterarum promouēda studia, bonis tibi demerendos, Rempublicam ornādam quamdiutissimè Principe

cipe incolumi vtaris, populorum amor, Vrbis columen. Vale amplissime Domine, & me semel in clientelam receptum tam amanter, tuo præsidio tueri perge.

HIERONYMO ALEANDRO.

NIhil mihi potuit nunciari lætius, quàm te nuper in eorum numerum ascitum, qui Principis secretis ob fidem, & scribendi facultatem admouentur. nam qui iampridem virtutem perspexissem tuam, diuersis otij, ac aulæ studijs exercitam, spem minimè quidem dubiam fouebam, te eò demum loci euasurum, qui tui similibus debetur. Igitur non tam tibi vehementer gratulor, quàm crescenti in dies laudi Pontificis, qui præclara ingenia, maximaq; de se exempla datura non intra priuatos parietes latêre vult, sed in vrbis ore, atq; oculis versari; vt Romam ad se vndique terrarum venientibus spectaculum egregium occurrant, sæculiq; arguant fęlicitatem, quæ in eo consistit maximè, vt Honoris templum non nisi ex adytis Virtutis egressi adeant. Ea in te est mi Aleander pietas singulari cum eloquentia coniuncta, vt tecum beneficijs certantes pœnitere nullo sis vnquam tempore passurus. Dabis eos in omne æuum Famæ rerum notos, tui styli operâ. Succensebam dudum equidem Fortunę, quod in te esset animo alieniore, & crimen sanè temporum putabam, tantum ingenij lumen parciùs fulgere: nunc omnem mihi animo eximit tristitiam salutare sidus humano generi exortum Vrbanus Pontifex; cuius sub auspicijs vrbs ipsa multo est reddita vrbanior, & studijs suus manet honos, imò redit potius, serò nimis, & penè desperato postliminio. Quare vt ad id, quod mihi primo proposueram, reuertar, rebus tuis secundis non tam lætor, quàm de te maiora in dies, & virtutibus tuis digniora audire aueo. nihil me hac acroasi oblectabit magis. Vale.

HIERONYMVS ALEANDER

ALOYSIO LOLLIMO.

QVòd me Pontifex Max. ad res arcanas vltrò admiserit, & ad conſcribendas Epiſtolas, ſi non aliud mihi honoris & fructus ea res pepererit, hoc certè abundè erit, quòd te Præſul Illuſtriſs. ad gratulationem excitauit, & nouam hanc tuæ in me beneuolentiæ ſignificationem expreſſit. Id mihi quàm gratum acciderit, quàm cenſeam honorificum, vix aſſequi verbis poſſum: tibi faciliùs coniectandum erit, qui non ignoras, quo apud me ſint loco eximiæ tuæ virtutes, eloquentia, doctrina, eruditio, ingenium à vulgaribus longè ſemotum. Ac profectò eo maiorem tibi habeo gratiam, quòd etiam perſpexerim, quàm liberaliter ac plenâ manu laudes in me conijcias, quò enim minus eas demereri poſſum, id eo magis tui in me amoris eſſe argumentum ſentio. Ais tu, habitam eſſe à Pontifice rationem cùm meę fidei, tum facultati ſcribendis. de fide facile concedo: de ſcribendi facultate quid dicam? ſanè ſi ab alio potius quàm abs te iudicium hoc proficiſceretur, applauderem forſitan ipſe mihi, & ſi quam vnquam dę me opinionem ſuſcepi, quæ ſanè exigua fuit, ſemper, confouerem, vtiq; ac ſuſtentare conarer. Nunc tuæ me litteræ, in quibus exarandis prorſus excellis, omnemq; elegantiæ vim exhauris, adeò deterrent, vt in hac facultate ineptum planè me eſſe intelligam. Qui tamen mihi honos ab optimo Pontifice delatus eſt, acuet nonnihil, vti ſpero, ingeniolum, induſtriamq; meam, vt aliqua tandem ratione ipſe me vincere contendam, & opinioni, quam ille de me concipere viſus eſt, quatenus per tenues vires licebit, reſpondeam. Si voluntati par non erit facultas, nemo tamen mihi eripiet, quin collatum in me beneficium agno-

scam, & tanti Principis humanitatem prædicem, eiusq; gloriæ perpetuò faueam. Quæ sanè gloria illustrior in dies apparebit: is enim, quemadmodum tu nosti, cùm virtutibus omnibus, & eximiâ sit præditus doctrinâ, bonas artes sine dubio liberalissimè excipiet: fouere, atq; ornare perget (vti facere cœpit) probos viros ac doctos: inde industria excitabitur, laborem præmia consequentur, virtuti patescet aditus ad honores, suas ipse Pontifex laudes, sua benefactorum rectè collatorum promerita quasi pleno theatro fulgere conspiciet. Vtinam tu quoq;, si per ætatem & valetudinem liceat, hoc saltem anno sæculari, qui non longè abest, spectator hîc adsis: gentes cerneres non ad Vrbem magis, quàm ad Vrbanum confluere; Principem ipsum, qui te tuasq; virtutes tanti facit, vehementer exhilarares; me verò, qui te coram venerari aueo, gaudio triumphantem videres. Sed vt à serijs ad Musarum ludicra, quemadmodum tu facis, diuertam, iudicium tuum de meo in Aldinę obitũ carmine exosculor, quòd saltẽ tui erga me fit amoris index. Certè si quis in illa catella sit sensus, gaudeat magis inter isthæc elegantissimæ tuæ epistolæ lumina nominari, quàm reponi à Poëtis inter sidera. Vale. Romæ.

ALEXANDRO SYNCLITICO *in Academia Patauina Legum Professori.*

DImidio te factum locupletiorem, quàm antehac fueras, non tam tibi gratulor, quàm Pandectis tuis, quibus ex quo nauas operam assiduam, tantus opum tibi cumulus accessit, quantus olim vix obueniebat Macedonicarum aurifodinarum curatoribus. Posthac illos non Pandectas, sed datores opum voces censeo, aut Pactolos ipsos χρυσόῤῥόας. Is erat tibi principio colendus mi Alexander fundus, tam nullo negotio colonum ditans obrizâ messe; & non Hippocrates ille Chius imitandus, qui mercator

+ *Aureis ramentis.*

cator ex Geometrâ factus è vestigio naufragium rei, temporisq; fecit, cuius negant iacturam resarciri posse. Sed vlceri vnguem ne adhibeamus, & quæ perijsse scimus, perdita putemus. Ego, cùm animaduerterem in dies Ciuitatem in rura ex vrbe excedere vindemiatum; gregem, quem aliàs duco, ponè sequi malui, quàm fori mœniana solus asseruare. Itaq; in suburbanum huc secessi, vbi Lenæi ferijs ab interuentoribus vacuus intersum nihil serij animo reuoluens præter id vnum, ne quid serij. Aucupio maximè oblector, quod tamen obeo per procuratorem, in lucubratoriâ sellâ domi sedens. Cęnam instruunt lineę auicularum, quas inertes perdidit opimitas, volatum inhibens, simul villici dolus, illata vineis damna laqueo vlciscens. nam per agros latè grassantes semina effodiunt, pauperant vindemiam; ficus populantur. Rapacis legionis dicas cohorticulam, cui necesse sit absumpto commeatu rapto iuuere. Has ego iure hercle pendere arbitror, auidas fructuum nostrorum prædatrices; nisi tibi aliter videtur Themidis interpreti, & quem cur Iuris adipem non vocem, cùm Ennius, primus Romani carminis conditor Cetegum suum Suadę medullam appellarit, sanè non video. Feras me hodie oportet animo solutiori rusticantem: simulac domum rediero, supercilium resumam dignum Præsule, nec indignum eius grauitate, ad quem scribo; cui publicè superiori è loco prælegenti studiosa iuuentus, linguis fauens aurium vaciuas ædes præbet. Nos non neminem ex his solitudinum inalpinarum incolis tibi auditorem submissuri sumus, cùm hibernum Arcturus increpuerit. nam nunc quidem vulgò vt mos obtinet, non legibus enucleandis, sed nucibus legendis occupantur. Vale Pignorio, Sandellio, Lyceto plurimam salutem. ex suburbano Castilionęo.

BER-

BERNARDO A COLLE *Medico Eruditissimo.*

ITa me Hygea amet mi Bernarde, vt non tam morbos corporis exhorreo, quàm istas vestras aduersùs eos formulas alexipharmacas. Quam ob rem, si optio detur; ijs caream libentiùs, quàm vel validitate pedum, vel pernicitate; quas profectò dotes primas carpit ętas, postquam ea præceps in decliue fertur. Caussam si quæris, nihil à me ampliùs retuleris, quàm sic mihi magistrum ingenij Genium persuasisse, quo ego dehortante nil omnino molior, non secus atq; olim Socrates solebat intestino illo suo Numine inuito. Facessat igitur Terebinthi gluten, vel virgas aucupum visci instar instruat. nos interea diæteticæ canone vtemur: cui vni quicquid posthac vitæ Clotho staminis addiderit, sumus debituri. Diu est, cùm abs te nostris copiolis bibliacis nihil affertur supplementi. pręla istic excussoria otiari puto. De Marini Adone saltem aliquid scripsisses, cuius inaudieram editionem valde properari. Incrementa noctium nos admonent lucubrationum. iamq; lucerna adornatur diei æmula, quæ nobiscum vigilet, modò sit, in quo operam elocemus nostram haud infructuose. Vnanimem fratrem ita tuæ commendamus fidei, ac sedulitati, vt parciûs ei porrigas amaroris proculum, salutare quidem illud non negamus; sed quod plerunq; excrucians dolor, & labor inquies, & sitis obibitura Acheloum comitatur. Vale. vt ægri artis tuæ clientes valeant. Belluni.

BERNARDVS COLLE *Medicus*

ALOYSIO LOLLINO.

QVòd non tam morbos corporis exhorreas, quàm nostra Alexipharmaca, facilè mihi præsuadere potes Illustris-

Illustriss. Antistes, vt pote qui tuum abhinc annum Iatrophobiæ legerim opusculum mehercle elegantissimum, vbi Apharmaci nomine in medicos, & eorum formulas tā acriter es inuectus, vt Tullium in Verrem penè superaueris, adeò vt sæpe mecum mirari subeat, quî Laurentium nostrum tantâ prosequaris beneuolentiâ. At, inquies, non eum diligo quatenus Asclepiadis sectatorem, sed vt multa eruditione, & doctrinâ hominem ornatum. Benè est: attamen cùm cernis, & alloqueris Laurentium, semper medicum prę̄sto habes, qui ab ipso nequit separari: & licet dialogus ille in inscios tantùm, & scæuos editus sit, omnes tamen indiscriminatim suo aculeo non tangit modò, sed ferit. Sed hæc ioco dicta sint. Terebinthi gluten quod nobis mitti ad te iusseris gaudeo; & magis, quod reliquū vitæ vni medicinæ tantùm instrumento, diætetico nimirum dicaueris: Hanc sententiam, & animi tui decretum quidni summis laudibus extollam, cùm præstantissimorum virorum testimonio sit confirmatum. Præla excusoria Venetijs multùm otiantur, & ex nundinis Francofordiensibus pauci apportātur libri. Causam non ignoras esse Martem, qui feruet in Germania, itineraq; detinet impedita, ne Mineruæ, ac Musis aliquid afferatur supplementi. Diu etiam est, cùm bibliopolas non adeo, forensibus iudicijs heu nimium conflictatus: quem saltem fructum, si non alium mihi peperit Iouiani nostri reditus. Adon Marini à Philippo Floreno ad Donatum Bernardium aulicum tuum veniet, cuius iam absoluta est editio, sed castas aures, vt puto, offendet eius obscænitas: audio Romæ eum recudi expurgatum. Mascardi orationes Italicè conscriptas, & Genua in Vrbe typis commissas, si placerent, mitterem. A Fratre Illustrissimo tuo vereor, ne sępe audias querimoniam: nam ferè semper aliquis morbus ipsum fatigat: si clinicus nihil agat, negligentiæ nomine reprehenditur: si ex seniorum Hipocratidarum consilio remedium adhibetur, cùm

cùm illud nunquam ſine quopiam incommodo fiat, aliud oritur genus quærelæ. vnde in otio, et in negotio malè audimus. Sed hæc ſunt medicorum fata. Vtinam me ſuadente te poſthac ſequatur magiſtrum, canone ſolum vtens diætetico; ſic eſſet frater omnino vnanimis, & minus ęgrotaret. Vale Paſtor optime, vt Belluni oues valeant. Vale Muſarum decus. Venetijs.

LAVRENTIO REGOSIÆ *Medico.*

AVtumni inſalubritati, æſtatis nimios calores inſecutæ haud equidem leuiter iraſcor; quòd & Libitinæ vectigal auctet vberi prouentu; & tibi omnem adimat laborioſi muneris vacationem. Quinquies iam Luna latuit, totidemq; vicibus recreuit, ex quo funus ducitur è funere; nec curandis corporibus pollinctor, nec vmbris portitor Auerni tranſuectandis ſufficit: cum tu interea mi Laurenti cum ſonticis morbis bella geris, triumphos illa quidem habitura, non negamus, ſed ſudore, & puluere refertos. Herculem aliquem poſtulat hæc hydra, excidio toties renaſcens; mortalium vires nimiùm fatigat; niſi curis otia interpoſuerint, requiem laboribus, qui ærumnoſum medentium genus adeò perurgent, vt ſenium annis adhuc iuuenilibus inducant. Cuius ego rei exemplum Æſculapium numen veſtrum affero, prolixo barbæ ſilueſcentis ſyrmate conſpicuum; patrimum quidem; ſed quem Phæbus pater imberbis arguat in id æui ita maturè ſuccreuiſſe, vt iunior parens nato videatur. nec verò iniuriâ, ſi vitæ veſtræ ratio ſpectatur iniucunda prorſus, atq; illętabilis. niſi lepidum creditur acroama gemitus cardiaci, aut podagri eiulatio, aut phrenetici furor medicis quoq; ipſis non innoxius. Ad hæc vos dramata, hos ad ludos crebro acceſſimini; vbi non vacui ſpectatores ſedeatis; ſed magna pars ipſi ſitis fabulæ. Fregit vt quiſq; talos per viam concidens, accurri-

tis: apoplexiâ afflatur; à cane admordetur rabido; erubescendum vlcus fouet sinu, Veneris ob iram: præsto estis veluti malorum Publicani; ne quid fortè eorum clam vobis portorio non soluto per fraudem, & dolum vrbi inferatur. Sed ne ego diuersus à Rhetorum præceptis abeo, qui te ita solor, vt laborum recensu magis onerem mæstitiâ. Alcionia erant potius exoptanda nobis, aut salutaris aliquis Castorum exortus nubilam hanc hyemem discutiens, serenumq; reddens. quod tamen futurum coniectamus breui, vt sunt rerum vices prospera aduersis admiscentes, lætiora tristibus; quorum iam commemorandorum finis esto. Nos in isto secessu tempus sic diuidimus, vt, & molli inambulatione corporis veternum perpetuâ sessione contractum extergamus; & amænioribus studijs oblectemus animum grauiora negotia iam fastidientem haud sanè aliter, quàm ęgroti, vestri vectigales haustum absynthij, non quem Pontus mittit, aut Mamantis fano celebris conuallis, sed nemini non obuij istius pleni amaroris. Matutini temporis particulam lectioni damus; pomeridianas horas salutatoribus, qui nos frequentiores hîc conueniunt, quàm si vrbanam solitudinem incoleremus; vbi medicis, & febribus exceptis nemo reperitur. cænamus solitò lautiùs, prolixiùs, hilariùs, mensas instruente aucupio non vnius generis. ad me enim, ne tibi ignota sit patinarum mearum opulentia, certatim quicquid auræ ferunt, vndiq; affertur, vt periculum sit, ne pro opilione fiam auceps tantisper, dum auitium hâc iter tenens in paratos laqueos se induit. Saliuam credo tibi moui, mea bona memorans solito iactantiùs. cur tu ergo turbam postico fallens te ad ęgrotos euocantium, huc dicto ocyus non properas ad ineptas dapes? locus est & pluribus vmbris; modò tantum ingenij lumen, quantum tuum est, vmbrarum sodalitium admittat. Vale, & carmen ruris laudes complexum lege.

EIDEM.

VEnit ad nos heri vesperi Florentius, homo sui planè nominis, excultus, elegans, vultu non minùs, quàm ingenio in omnem hilaritudinem compositus. Is post communia illa; vnde nobis tam repentinus; quã teneret iter (erat enim viatorium in modum accinctus) nobiscum epulis discubuit, quas affatim tempus suggerebat aëriuagas scilicet, plumigeras, nec palato ingratas, nec tumultum stomacho moturas. Has ille mirifico embammate condiebat salium, lepôrumq; festiuissimorum. A cęnâ statim percuntari cępit anxiè, quanam ex cruce penderet vitis illa, quæ nobis omphacinos acinos produxerat, acetarijs tingendis, quàm poculis miscendis aptiores. Ego lege cautum apud nos dicebam, ne quis vino vteretur non indigenâ. Hic ille, agnosco, inquit, merum municipum vestrorum Atticismum. nam illic quoq; vetabatur plebiscito exoticum oleum oleri infundi. nisi quod præclara oliuatio Atticorum extitit, vindemia apud vos, vt audio, imò probè sentio, immitior collium suorum niues olet. quin tu potiùs puerum afferre iubes vrceum Cretici veteris vetusti, quo Musis, & Herculi poculo saltem extremo propinemus? nam quo nos ab ouis ad mala vsq; perpotasti, vix credo ritè perlitari posse, nisi inferis Erebi Cęlitibus. Interea vrceus affertur plenus nectaris Cydonij, cuius ille odore illico afflatus, rigatus latice, quos Charitum, Musarumq; (si qui sunt vsquam fontes) quam copiam iocorum non profudit? Haud de nihilo dictum fecundos calices disertum facere etiam elinguem, ne dum qui Lusciniam modulos doceret. cadentia sidera somnum suadebant; sed illi alia omnia Lyæus: lusit ad cytharam ex tempore versu non incompto. dicteria iecit in conuiuas, qualia in Cyro Xenophon miratur, morsu, sed innoxio placentia. Manè ex-

perrectus ante viæ quàm se daret, ientaculum cum caligis, & baculo poposcit. iter ingressurus induci nullo pacto potuit, vt inscenderet in admotum equum, causatus non perinde alienis pedibus sarcinulam sui corporis se credere, ac suis; quibus esset assuetus, ex quo primùm incedere cæpisset absq; serperastrâ. quæris? equidem non memini cænasse me in vita lætiùs. næ ille nunquam asymbolus accedet ad conuiuium, etiam si prҿter ventrem, & dentes nihil afferat, qui tot alacris ingenij suauitates secum domo affert. Recepit nobis se hâc intra paucos dies rediturum, modò ne penulam illi scindat hospes lautior, & cui Opimiani cadus in cella sit; Nam Norici nostri acore delectatur minùs. Hæc volui tibi ne ignota essent, vt gaudio tu quoq; nostro gauderes, subinde memoriâ repetens mirificam hominis indolem, ac festiuitatem. Vale.

EIDEM.

DElectauit me mirum in modum tuæ epistolæ dædala varietas, si modò illa epistola vocanda est, nec Pandectes potiùs omnia complexus, quibus penus litterarium instruitur. Haud frustrà ab eo lactis gallinacei haustum petiero, si petam. vnde tibi tanta mi Laurenti fluxit copia cupediarum? Athenæi tui cænæ saliares Cynicum mihi videntur prandium præ illis. Ne me tamen putes in aurium gratiam tua omnia ex Gnathonis disciplinâ laudare; vnum peccas, quòd, cùm ita scribas, non scribis crebriùs, & illa cessitus, nisi tibi calami acies atteritur therapeuticis exarandis formulis ad pharmacopæos. Malè sit malorum Iliadi, quam parùm saluber annus vrbi intulit. absq; eâ foret, te scripturientiore vteremur. liceat sic loqui rura incolentibus: forensia verba vnà cum vrbanâ togâ resumemus, cùm remigrationem suaserit frigus; quod iam iam aduentare venti arguunt hyemis prænuncij. Vtinam illa in iti-

in itinere apoplexiâ correpta corruat, nosq́; diutiùs frui finat autumni bonis. quod ego anni tempus non ineptus omnino rerum æstimator Veri antepono, licèt illud suum Zephyrum, suos iactet flores, quibus Astomi sint, oportet, qui ducuntur. Equidem ex Aristippi scholâ non fatui palati hominem cognoui pridem, qui vnicum biferę ficûs fructum maluisset, quàm cum toto suo vernanti comitatu Floram, cuius ego in sententiam quidni libens abeam, cui & lilij grauis odor caput replet, & Narcissus torporem incutit naribus admotus? Sed heus tu quid tibi in mentem venit me bibliothecam nuncupare? eodem schemate ligneum vocasses, qui apud veteres Iuris consultos legeris bibliothecæ nomine, non libros, sed librorum forulos intelligi? Verùm hæc per iocum. Addam coronidis loco, serium quod sit. Crucem tu quidem in tuâ epistolâ nostris contubernalibus fixisti, dum gryphum Theodectæum memoras. in quo sanè coniectando quisq; Dauus fuit, nemo Oedipus. Vale Hygeæ interpres, valetudinis parariæ, idemq; flos reconditæ eruditionis illibate.

EIDEM.

NÆ tu Mercurio vteris propitio mi Laurenti, qui, vt promercales libros istuc à bibliopolâ nouiter aduectos commodiùs licere possis, nos tuos acres æmulos futuros ruri detinet. licebit iam tibi ingentis pretij mercem litterariam paruo addictam emere, atq; in memoriæ thesauris recondere, vt moris est tui. At nos hic non ampliùs volucres captamus, aut poma legimus, sed fædis tempestatibus obsessi fumantia procul villarum culmina, consputosq; canâ niue montes circumspicimus tædio ruris non minùs, quàm desiderio vrbis tabescentes: adeò multiuolum animal est homo, & amata relinquere pernix. Igitur cras viam monstrante Deo, auibus bonis comitantibus,

si quas

si quas modò aues reliquas fecere aucupum insidiæ, iter meditamur, breue illud quidem, sed apprimè lubricum, lutosumq; adeò, vt vix Lutetię cedat Galliarum Regiæ. Tu cænam nobis aduentitiam parabis, simul narratiunculas de vrbanis rebus, integram non tam epulis famem afferemus, quàm vacuas istiusmodi auditioni aures. negant enim has, dum vacant operi, impedimento esse dentibus, ne rem conficiant. Vale.

LAVRENTIO PIGNORIO.

Legi tuos ad Vrbanum Maximum Pontificem hexametros, & in eis (quod in amicorum liberis, cùm se nobis dant obuiam, solemus) parentis indolem, natiuamq; elegantiam agnoui. Sanè non nostri sæculi carmen videbatur, nisi te hoc sæculum tulisset. successit nullo fermè interuallo proximum elogium, neq; enim mihi istic desunt, qui Musarum tuarum fæturas statim ad me mittunt; de quo quid sentiam, si quæris, lepidum acroama quæris laudum tuarum: quas ego, vt modestiæ tuæ morem geram, ne delibo quidem; id modò dixisse satis habens materiam perinde operi congruere, ac materiæ opus. Te præcipuum pręconem habet virtus, cuius cantu Olympionicas suos ad Coronas euocat, quæ profectò laus eò est præclarior, quò rarior. Absq; te foret, tuiq; perpaucis similibus, celebre istud doctrinarum domicilium, Patauium Camænis raro perlitaret. nec in reliquis partibus Italiæ gētiū victricis prouētus vberior habetur istiusmodi ingeniorū ingētia aliorum decora scriptis immortalibus æquātiū. Romę certè vix duos, aut tres neq; eos indigenas reperies, qui nō vulgaris monetę carmē cudāt: cæteri sunt numerus. Hinc adeò mihi in mentē venit cum indignatione quadam demirari, qui fiat, vt sacros Vates sæculi sui fauor penitùs destituat, posteritas officiosa colat studio non magis hercle profuturo, quàm si

quem

quem viuum sustineas egere, cùm iuuare possis: eius extincti Tumulum inspergas liquidis odoribus. nisi fortè id crimen fortunæ est nouercali odio doctos prosequentis, quod eius Numini nec litant, nec vota nuncupant: sed cęlo, vbi eam vulgaris vecordia locauit, præcipitem eijciunt, vt Titanas Hercules. Verùm hæc alijs deflenda omittamus: Nobis temporibus tristari lætis ominosum sit, cùm spes certa spondeat accisis bonarum artium opibus Pontificem breui succursurum. Nemini hæc sanè gloria debetur æquius, quàm cui acta in litteris hucusq; ætas eos fructus tulit, quibus modò res christiana fruitur. & vt porrò fruatur diu boni omnes auent. Vale.

BARTOLOMÆO CARTVSIÆ *Vedanæ Præfecto.*

EQuidem mirarer te post tuum hinc discessum nihil ad nos dedisse litterarum, nisi vobis pro facundià silentium plus quàm Harpocrateum esse planè scirem, præsertim cùm nemo vos ad scribendum prouocat: lacessiti nāq; de disciplinæ rigere aliquid remittitis: Age igitur, & postquam animum induxisti nihil prorsus scribere; at rescribe saltē, nosq; verbis affare visibilibus. licebit id te puto facere, quod aliàs fecisti, saluis istis vestris Amycleis legibus; quę os quidem intercludunt vallo dentium; calamo, quod sciā, pænam non intentant, siquid fortè hiscerit. nos hîc haud aliter solabere tui desiderio grauiter affectos. Argumentum litterarum si minùs suppetit, pręscribere ipse non grauabor, cui nondum est exempta fames, recens editos libros perlegendi. Ecquid de Ripamontio noui? ecquid de sociali historiâ inaudisti tu, qui à bibliopolarum tabernis abes propiùs? amaho mi Bartolomæe, si quid habes huiusmodi cupediarum, quæ Apitianas artes minimè morantur, & sunt cultoribus Musarum valde expetitę, nobis indica; nullum, mihi crede, acroama isto fuerit iucundius. Valetudine te

ne te vti incommodiore (id enim ad nos à tuis est delatum) permolestè fero; si me amas, si te ame amari scis, enitere quantum potes, vt vires ante aduentum hyemis recolligas. frigus enim, quam semel ægritudinem prændit, solet alere impensiùs. animum auocare à studijs grauioribus plurimum iuuabit, nec parùm, corpus paulo accuratiùs, quàm mos tuus patitur, curare. Deus medicinæ parens, idemq; sospitatis autor te seruet. Contubernales tuos importu iam sortis, & fortunæ securè nauigantes saluta meis verbis. Vale.

N.

PVtasses ne vnquam euenturum. vt in vota transiret paupertas, Superûmq; aures huiusmodi prece fatigarent homines: auferte propitij importunas opes, tollite tot periculorum caussas, tot malorum suadas. Euenit iam sæculi flagitio, quod minimè omnium arbitrabare, nosq; talia vota nuncupantibus olim interfuimus non semel; nuper verò Aureliano veteri sodali, dum nullius probri antea cõperto vnum crimen esset census paulò vberior. Quid facias? haud aliter sector euitatur, haud aliter exilium, quàm egregiâ istâ arte; cuius nos Minerual Castoreo debemus; ne putes à Stoicis tantùm, aut Academicis præclara hæc in ludo, vitâq; sociali profutura dogmata edisci. Is à naturâ edoctus, nihil à se peti præter genitalis seminis loculamenta in vsus medicos quæsita, ipse sibi ea euellit stirpitùs, proijcitq; procul insequentibus libertatis pretium. Ab hoc exẽplo ecquis erit tam degeneri indole, qui mutilus esse non malit, modò liber; quàm toto corpore integer iugum experiri? nihil nos iniurijs Fortunæ æquè prodit, ac diuitiæ. hæ ni sint, faciliùs vulgi falleremus indignationem; æqualium inuidiam; potentiorum truculentiam. Neroni, quoad vixit, sic conueniebat cum virtute, vt eius conspectum

permolestè ferret, neq; tamen vnquam in Seneca præceptore eam violasset, nisi malam vicinam ipsa sibi adiunxisset opulentiam, quæ illi cotis instar fuit asperandis odijs. decies millies sextertiûm te Annęe perculit. absq; eo fuisset, non tu excisis ante diem venis tuo cruore Æsculapio litasses, Cleantheæ sectæ parùm memor, cui sapiens solus diues est: quamuis censu, lareq; indigus olere se alat; Cælo contegat. Longum nimis facerem, si quos elegantiores villæ, horti, domus, Regum prætoria æquantes proscripsere. proprio quemq; nomine huc cierem fidei rerum, quæ à me dicuntur obfirmandæ. Quod de auro Tolosano traditur; id de toto tradi auro putato, exitiale pariter possessori, & raptori est; nisi accedat vsus id in dies erogans, dispendio lucri non parùm allaturo, si quantum pecuniæ in nominibus faciendis occupatur, tantuudem conferendis beneficijs locemus; quorum Calendaria omnibus expensi tabulis præferri debent. Periti possessionum æstimatores, magni prata faciunt, præ alijs vel rusticis, vel vrbanis prædijs, quod eis nihil, aut parùm nocere possunt tempestates. neq; enim æstu aduruntur, si sint irrigua; nec carbunculantur; nec ea calamitas attinget grandinis. quanto illi meliùs, qui animi bona prima ducunt, reliqua verò omnia ne digna quidem, quæ boni nomine quis vocet, nisi eo sermonis schemate, quo Furiæ Eumenides dicuntur; aut Pontus, quo nullum inhospitabilius mare, Euxinus. Naufragio eiectum in Rhodiorum littus Aristippum, rerum omnium egentem hospitio excepit fama sui, famâq; ipsâ maior eruditio. Æsopus monstrum illud hominis, si famæ credimus de eius deformitate mira renarranti, in catastâ venalitiorum stans in seruili exomide non artis suæ oblîtus herum quærit, sed cui ipse imperet. Demirari ergo desinamus, si cui prisci ęui sapienti fortunis omnibus lapso vox ista excidit plena veritatis; *omnia mea bona mecum porto*, cùm nec sarcinulas haberet vllas ista iactans, nec peram, vbi

annonam viatoriam reponeret. Equidem memoriâ vetus illud verbum Græcorum recolo, quo docemur: artes, etiã si frugum penuria publicè grassetur, omne solum alere, modo operi velint manus admouere. Id ne græcè proferam, timor sanè facit, ne exoticę linguæ voces tuæ aures exhorhorreant non minùs, quàm Pęnulum Plautinum saturi Romulidæ; & si parùm refert, quo loquentem sermone inducamus sanam mentem, cuius tu porrò monitu parciùs incumbes thesauris struendis, recondendisq;, ne impendijs vnquam desit sumptus, cùm videas maiori facilitate perdi rem, quàm vndecunq; corradi perituram. congestas plurium annorum opes breui horę momento aut fiscus, aut hostis rapit, aut latro effosas refert in apricum; quod bonarum artium studijs non euenit, quibus cùm tu adhuc immaturus æui mentem excolueris; non video cur, quasi ludicrum pucrile foret sapientia, in alia omnia nunc eas natu grandis, nisi tu, quominus tibi restat viæ, eo viaticum paras copiosius; de quo tamen nihil comperti habeas, sit nec ne itineri satís futurum. Quin tu fędus cum Musis feris me sponsore, vt tu illas obserues, colasq; bonâ fide, quoad vita suppetet; illæ contra victum tibi, cultumq; in † Prytanęo præbeant dapsiliter, siue domi consenescas pauper; seu te patriæ extorrem longinquas visere terras fata velint. Iouem lapidem iuro, nullo te vnquam tempore pigebit ęruginémne hanc, an auriginem potius? extersisse; antequam aliùs descendat, animum peius infectura, quàm Icterus solet summam cutem. Vale.

† Locus Athenis, vbi benemeriti de Republica alebantur publicè, Vatesq; epulabantur

LAVRENTIO PIGNORIO.

DEflendis me carorum casibus fortuna seruat ingrato quidem beneficio, & Poliphemi Cyclopis liberalitati planè simili, quâ ille Vlyssi imputabat, quòd eum, postremam cænæ suæ dapem destinasset. Præficę id officij

conueniret magis, aut tibicini funebri inferij modos faciẽti, qui mercede conflucti sub pesona luctûs rident sæpe numero; non mihi effusi non tam in meos studij, quàm mollissimi affectûs, & qui eos Castoras superstites Pollux ipse mallem, si liceret, & daretur optio. Breui annorum curriculo Musarum Maurocenum, Valerios geminos amisimus repetitâ clade, quorum postrema Simonidæis lacrimis prosecuti sumus. Nunc, proh dolor: Octauianum Lex fati eripit, seu potiùs iniuria anatomicis medicorum vsa ferramentis, ne siccâ saltem morte vir tantus obiens cruciatus minùs sentiret ipse, nosq; dolore partius afficeret, eadem vulnere, quod illi vitam ademit, viscera traiector. O lanienam nimiùm patienter toleratam legibus, ò impunè grassantem per funera nostra audaciam? Non potuisse integrum excedere, qui integritate maxima illa nomina prisci æui prouocabat, Phociones, Socrates, Aristides? Verùm nos quamuis mærore confecti Næniam non dicimus, memoriam Viri famâ sui quantumuis amplissimâ maioris celebramus, vtinam non dispari conatu te Laurenti optime non fugiet, postquam nostra legeris, quæ tuæ censuræ iccirco submittimus in eundem fasciculum cum ijs litteris coniecta. Vale.

In Funere Octauiani Boni Senatoris Amplissimi.

Non abis Octaul, sed me præis occisor, ante
Quippe viam ingressus vitæ: confinia vtrique
Tempora nascendi fuerant, nec dissita fatæ
Esse reor nimiùm pot erunt; mora perducis vnum
Arcet àb alteris congreßu; abruta licebit
Instaurare citò alternis famina. lustrum
Fer ternum numerat iunctum melioribus annis
Fœdus amicitiæ: nondum lanugo ritentes
Vmbrarat malas: Pataui nos Vrbis alebat

Dulce solum intentos studijs iuuenilibus. ætas
Par ambobus erat; præstabas mentis opum ui
Diuite, & egregijs spectandus moribus. acer
Hinc amor extremos diri mansurus ad ignes
Vsq; rogi; iam frontis honos prænuncius altæ
Indolis omen erat. spem læta exorsa sequentem
Extulit in maius profectus clarior; ingens
Nomine adhuc viridante æuo suprema petebas
Cursibus ingenij vegetis fastigia rerum.
Te non docta minus Pallas, quàm dexter amabat
Mercurius; sapere illa dedit, veriq; colorem
Perspexisse oculis; hic fari, & sensa diserto
Exornare animi eloquio. processerat ætas
Interea; in Patriam reuocatus publica tractas
Munera, ius tribuis populis æquabile, Regum
Europæ, atq; Asiæ legatus limina rebus
De magnis acturus adis. tibi cognitus orbis
Nuper adinuenti domitor prægrande Philippi
Nomen Aui, Patrisq; ferens: non terminat huius
Extremus rerum limes, sed gurgite festo
Excipit imperium Oceanus, tumidasque per undas
Littora ad vlteriora vehit, quò carbasa Typhis
Euro expansa audax nunquam direxit. euntem
Ad sua regna hilari te excepit Gallus honore
Fœderis haud oblitus, Auis quod Martis alumnis
Iunxerat Adriacos. succedis magnus amicam
Aulam hospes, mandata refers, pacemq; reducis
Finibus Italiæ extorrem. par ardor agebat
Allobrogum, Insubrumq; animos in bella triumphis
Heu iustis caritura; procul iam incendia voluens
Iactabat Mars sæuus: Iber non segnis in hostem
Irruit, infestisq; vrbes intercipit armis;
Ille amissa instat repetens: furit vndique crinem
Anguibus implexa Eumenidum quæ maxima Enyo.

Qualis

Qualis vbi hibernam glaciem liquat aura Fauoni
Vere nouo flores submittit terra nitentes,
Spes redit alma animis tristem excussura pauorem:
Sic tu lætus ades populis gratantibus; æuo
Eximet hæc memori nulla vnquam obliuio. Ponti
Quid loquar Euxini penetratos puppe recessus?
Regem aditum regum obsequijs, validoq; verendum
Robore militiæ? pudor ò creuisse piorum
Excidio hunc fuerit tandem, & feralibus armis,
Alter in alterius queis fertur sæpe ruinam;
Ceu Lapithæ aduersis cæsi mucronibus, iras
Dum ferus accendit Lenæus pocula miscens
Sanguinis in riuos saturum versura colorem.
Illa tempestate acies in bella mouebat
Horrida fulmineas, & ludi Pannonis ampla
Scena erat, Odrysiusq; actor, spectator vtrinque
Sarmata, Danubijq; vndas epotus aquosi
Austrius. vna satis nec genti hæc cura feroci,
Altera succedit vastandæ Persidis; hostis
Ille moram Imperio complecti cuncta paranti
Difficilis vinci nectebat. Consulis æuo,
Cùm tu hæc bella stylo condis, cupidisq; legendi
Das libanda tuis. Patriæ dein redditus æquor
Emensum paulo ante paras tranare secundis
Cursibus; Ida iterum visendus, & inclyta magni
Creta Iouis primo vagitu: Gnossia pubes
Te Minoa putat rediuiuum, legibus ornas,
Instruis exemplo populos. modò rudera quæ sunt,
Olim vrbes claras inuisens, prisca Metelli
Castra recognoscis; prior hic victricia signa
Intulit, & Latio imperio parere tribules
Idomnæe tuos iussit. Romanus amicos
Crætas habere olim voluisset: perdidit vna
Ingentes animos, pelago & dare iura profundo

Assuetos

Assuetos tandem discordia. glomere fili
Demonstrante viam, quas euasisse latebras,
Quosue specus potuit Theseus, circumspicis, oras
Inde maris relegens scopulosi Creticus Vrbem
Proconsul Venetum inueheris, sociosq; reuisis;
Illis dulce tuo pendere ex ore vetustas
Insulæ opes memorantis. amor me tunc quoque longo
Tempore post audire soli natalis honores
Impulit, vt vacuas præberem sedulus aures:
Haud secus Alcinoi conuiuæ intenta tenebant
Ora, vagus dum bella illis exhausta referret
Dulichius, raptatum acto per mœnia curru
Hectora Dardanium, Patrocli funus, & ergo
Funeris inferias ductas Simeontis ad vndas;
Memnonis Æthiopis casum, Rhæsiq; labores
Inde suos, Ithacam repetit cùm serus, & alto
Neptuni memorem iactatur classis ob iram.
Curarum postrema tibi sed blanda Mineruæ
Florentem studijs regere vrbem Antenoris, olim
Rexerat illa animum pulchræ virtutis habenis,
Auribus ac teneris doctas infuderat artes
Largiter. obstrictum tali te munere alumnum
Cogit in officij que vices, parilemq; reposcit
Jam sibi opem; meritos reddis tu gratus honores.
Grandem æuo sic cara solent fulcire parentem
Pignora, sic altura auribus pensatur, adunci
Postquam vngues creuere, nec amplius aera tractant
Remigio alarum diffracto. subuenis arctæ
Annonæ; segetem tum fortè exusserat æstas
Feruidior, raras mittebat culmus aristas,
Arca culta minùs duris messoribus. alter
Triptolemus fruges aduectas congeris. arces
Ignauum fucos genus à præsepibus, arma
Queis studium est tractare animis imbellibus, iras

Inq; dapes conuertere, herus quas suggerit: amens
Qui tali auxilio confisus iurgia miscet
In cædem eruptura; manus cùm pugna requirit,
Hi pede agunt celeri rem fortiter eminus, alas
Aptat agens trepidis plantis timor incitus. æqua
Quid memorem lance appensum ius omnibus? hospes
Nil refert, ciuisue fucat: par gratia vtrumq;
Prosequitur, par pœna manet: prout quisq; meretur
Alterutram, odij expertem studijq; probas te
Sede sedens alta, turbæ dum iura ministras;
Cætera blandi loquus, lenisq; exterrita nunquam
Musa supercilio grauiori substitit, vltrò
Sed petijt secreta domus penetralia amicum
Inuentura larem. testis postrema Lycæi
Gloria Licetus, testis Pignorius ambo
Exculti varijs doctrinæ dotibus, ambo
Argutæ ad strepitum citharæ cantare parati;
Nam reliquos memorare foret mora longa petenti
Sermonis metam. dabitur paruo post tempore voces
Reddere, & exaudire, pijs cùm debita vtrumque
Excipient loca culta polo confinia, salue
Interea Adriacis magnum decus addite fastis,
Hosq; tui memores demisso lumine lustra.

OCTAVIANO BONO *Iuniori*.

OCtauiani patrui tui, summi Viri vitam, postquam fatis ordine currentibus præire ad beatos illi, nempe prius iter ingresso, contigit, superstes ego paucis conscripsi haud quidem nominis eius perennandi caussâ (non ita præclarè de me, styliq; mei conatu sentio, & id ipse sibi abundè præstitit de Republicâ optimè merendo) sed vt haberem, quo dolorem meum ob amici vnanimis absentiā breuem licèt, vti spero, futuram consolarer. Id quicquid

est li-

est libelli ad te mitto, cui maximè omnium incumbit vestigia patrui legenti sic ingenium bonis artibus excolere, vt te non nepotem modò, sed alumnum probes, non immemorem eius disciplinæ, quem improbat nemo, laudant omnes. quod tibi succedet haud difficulter, vt opinor, si ad hoc domesticum speculum inspiciens mores conformabis. Vale.

HIERONYMO ALEANDRO.

QVærengi nostri carmen, quod Epohippiam nomenclator appellauerit haud planè inscitus, accuratè à me lectum huius esse sęculi equidē negarem, nisi mihi eius in carmine pangendo indoles perspecta esset. mira in eo est sanè festiuitas cum candore coniuncta styli purioris. Argumenti verò lepos, & ars tanta, quantam vix in veteribus inuenias. Sed quid ego ad te ista refero, æque tibi ac mihi quæ sunt notissima; & non potiùs admoneo, ne annonam litterariam flagelles, tui ingenij fæturas supprimens. nam te cessare quid putem sub ętatis flore; cùm grandæui Vates semper aliquid pariant, parturiant; studijs sub almo Principe reflorescentibus, qui Heliconias Musas hospitio exceptas in palatio diuersari patitur? Si exemplo moueris, ego inter tot curas non vnius generis, quibus vndiq; distineor, epigrammate lusi in Quęrengi carmen, quod huic epistolæ adiunctum perleges, si vacat, valebisq; cum amicis magnis, quos à te meo nomine salutatos velim.

De Antonij Quærengi carmine inscripto Equorum querela

Res mira visa ciuibus Remi alitem
χαῖρε expedire garrulum
Potuisse binis voculis Graijs: , equos

Jidem iugales audiunt
Stupore nullo orare causam Rhetorum
Ex arte scitè, & metricè.
Heri hoc honori Musa dat præsepibus,
Vt inde vates prodeant
Rhedam trahentes, pernegatum queis pede
Nisi vngulato currere.

De Quærengi Epohippia.

Tota tua est Musæa domus Quærenge, cubile
Porticus, exedræ, cella, penus, stabulum.
Hinc carmen meditantur equi, pedibusque feruntur
Herois senis, non modo bis geminis.
I nunc Roma vetus, pecudes mirare locutas,
Portentum que refer tristis aruspicibus.

BERNARDO A COLLE *Medico.*

QVòd affectus tuos meis tam amanter miscens, fratris mei casum congemis flebiliter, & vberiorem mihi materiam præbes lacrymarum, & solamen. affert enim aliquid lenimenti misero miserabilem se bonorum iudicio videri. Id in caussâ esse verè dixerim, vt, qui te semper lætũ florentemq; cupiam, feram tamen haud molestissimè te tristibus rebus meis affici perinde atq; tuis. Deum porrò precor, vt, si tibi vllo vnquam tempore dolendum est, alienis id facias ærumnis, nec ab alijs vices mutuati officij reposcas. Equidem indolentiam Stoicam, virtutem esse stirpium arbitror, non hominum, quibus fibra cornea nõ sit. nec vllum aliquem ex eorum grege extitisse puto, qui re præstiterit, quod per otium in scholis iactant satis petulanter. Sed philosophari me non sinit mœror, vni tantum tempori cessurus: nisi lumen cœlitùs illapsum tenebras discutiat, quæ impediunt, ne videam mortalem genitum, non tam ætate, quàm morbo difficili confectum, viuendi finem, vel dolendi potius fecisse, nec insolens esse, neq; nobis plus nimio lugendum. Vale.

IACOBO PERONIO *Episcopo Ebroacensi*.

CApta tui amore purpura, diu est, cùm cupide occasionem quærit tui augendi, atq; honestandi sperans id non minus sibi, quàm tibi ornamento fore, qui soleas ornatiores reddere ornatrices tuas. quod nunc pręstat deniq; seriùs fortasse quàm par erat, sed decentiùs, cùm dignitati per se amplissimę plurimum incrementi venit à tanti Principis iudicio, qui fortunæ nihil planè liquit vsurpati iuris in hæc eximiæ præmia virtutis. eò nanq; illa impudentię deuenerat, suum vt beneficium putaret, si quis de plurium numero exemptus dibaphum indueret. vnde Nemesis orta indignatio, quasi pręstantissimi honoris fulgor communione indignorum obsolesceret. Quod sicuti euenisse aliquãdo boni doluere, ita nunc pristinum virtuti cultum, atq; decus restitutum tibi gratulantur, tibi gaudent, spem haud sanè dubiam fouentes, res suas meliori futuras loco, quàm ante fuerant, Ambitioni sæculo parente, studijs verò præclarissimarum artium non tam frigentibus, quàm exilium meditantibus in longinquas terras. Ista ego cùm plurimorum relatu audiam, mirificâ quadam animi gestio lætitiâ, qui præter caussas gaudij cum alijs communes vnam habeam præcipuam diuinationis, qua non ex augurum disciplinâ, sed Superûm admonitu pṛedixeram aduentare tẽpus, quod te ab secreti tui vmbrâ referret in apricam lucem maximæ celebritatis, dignitatisq;, cuius in dies crescentis cursum, exitumq; in præsens profari verecundiam tuam veritus absisto, dicturus deinde, cùm euentus ad vota propiùs accesserit. Vale, & famâ tui lætus diu fruere.

PAVLO SACRATO.

SI Romanæ eloquentię Rhodanum B. Hilarium Hieronymus appellat, quia Gallus esset: cur ego te eiusdem facul-

facultatis, Eridanum non vocem? qui inter accolas Padi numeraris; fluuiorum Regi copiam oris tui comparas longè disertissimi? certè & tu, si quis alius vestratium, isto cognomine es dignus maximè, & ipse non planè indignus, qui id tibi tribuam pereleganti epistolâ à te ad scribendum prouocatus tam amanter. Ferrariæ cùm fui, Romam proficiscens, ea me es beneuolentiâ complexus, vt merendo me tui memorem reddideris. absentem huiusmodi litteris prosequeris, vt ferreus sim, nisi te in ore, in oculis, in sinu feram. Eruditionem cum humanitate coniunctam minùs in te miror, qui sciam in contubernio auunculi tui Sadoleti Cardinalis te adoleuisse, quod quid aliud fuerit quàm à Musis eductum, Philosophię porrò dari morum, doctrinarumq; cultu efformandum? Fuluium Vrsinum salutaui tuis verbis: is ad Sacrati nomen gaudio exilijt. Muretum conueni, domi se continentem ob ætatem, ætatisq; infestam sociam, malam valetudinem. ad ipsum vndiq; confluitur à doctis, quorum est omnium attestatione columen. plurimum te merito tuo, loquor eius verbis, diligit. Valerius noster senectutis incommoda fert satis commodè. Vale, & me tui cupidissimum, quod facis, redama.

ERYCO PVTEANO *Viro Doctiss.*

NOn ego me à te superari sinam in hac luctâ, vbi de mutuo amore cernitur. non si viribus Antęum ęques, non si Herculem, qui Antęum vicit Terræ filium. Perge modò, & nobis inhæresce, obuijs vulnis te excipientibus. Ergo, inquies, absentes etiam luctantur? quid ni verò, si adsunt animis? quos neq; longinquitas, neq; tempus dirimit, si beneuolentiæ vinculo coniuncti fuerint. Verùm Poëtis metaphoras sua regna relinquamus. me à te amari valde lætor, ratus (qui peracri valeas iudicio) in neminem te ita affici, in quo non aliquid inesse putes à virtute profe-

ctæ amabilitatis, quam in me & si nullam inueniri sentio; gaudeo tamen talem à tui similibus haberi; qualem me esse cupio summopere. Cupio autem? immò cunctis ingenij viribus adnitor; ne id frustrà cupijsse videar Sed fit nescio quo pacto, vt neq; proprius conatus votis, nec alienæ expectationi planè respondeat: cuius ego ita præiudicio deterreor, vt remissiora in me studia amicorum malim, tuaque in primis, qui mihi nimio plus tribuis, quàm sim tempore vllo præstiturus. Vale.

N.

EGregiè profectò ingratum litteris sæculum vlcisceris, libros, à quibus abundè es instructus ad fumum non aliter suspendens, atq; clauum hiberno tempore soleat nauis gubernator: nisi quòd sic agens, indicio te prodis tuo, philosophiam non propter se, sed commodi, vel honoris causâ te adamauisse, quæ nobis aliena opinio, indeq; subsecutus fauor sæpe parit. Mihi (ignosce ingenuè fatenti) longè alia mens est. Virtutem sui mercedem esse puto indotatam licèt, & omni copiâ carentem externarum rerum, alioquin non radicibus ipsa suis niteretur: sed hederæ in in modum absq; pedamento subitò concideret, atq; humi serperet pedibus calcanda. Huius equidem siue opinationis, siue aberrationis meæ complurimos autores habeo homines eximios, qui Ambitionem Dearum pessimam, vt Euripidi videtur, amplissimasq; opes contẽpsere, quasi iter remorantes ad Virtutem. Tu, quos sententiæ tuæ assertores proferas, non video, nisi fortè vulgarem de triuio turmam, aut forices palatinos; causidicos, pseudo asclepiadas, agyrtas, pecuniâ cunctâ metientes; & quibus honorum finis est vltimus lucellum vndiq; corrasum; quorum tu de grege vnus nisi esse velis, non tam famæ propriæ decoctor, quàm tuorum de te expectationis, priori te ante vitæ redde, quã ex albo suo te Musæ deleant, appositâ notâ, transfugis inu-

ri solitâ, quâ nihil esse poterit, mihi crede, fędius, nihil execrabilius. Vale, & meliora consulenti pare. Quodsi hæres cogitabundus, cui nam te tradas disciplinæ, & exemplis amas condocefieri, tibi è nostris vnum producam, cui euenit, vt primordia doctrinarum attingeret, sed in plerisque sibi minus satisfaceret, neq; ideo omnibus posthabitis destinauit se otio dedere, sed in ijs decreuit studijs versari, è quibus solidiores fructus posset percipere. Hunc eundem sub oculos tibi dabo suas rationes secum putantem, quid facto foret melius, vt leui magis labore te ab eiusmodi sollicitudine absoluas.

PHILOMATHES.
seu
Studiorum candidatus in Gymnasio Patauino.

FEssus quiete tam longâ ægrè me intra culcitam cohibeo, postquam somno sat dedi, sat insomnijs, nec dum vocem audire chortalium salutatorum videor diei aduentantis. Trinoctiũ ne nobis pro nocte Iuppiter inuexit Alcmenę alicui sedulam dans operam? an Auroræ bigas frigoris solito vis acrior afflauit? quâ rotas quoq; diriguisse credere par est, quarum decursibus horæ nunciantur. perquam enim diu est, cùm muneris oblitæ silent. Sed quid ego anxius anquiro in arcana Iouis, aut vices temporum? nec potius secreto, quod abundè suppetit, in rem meam vtor mecum de ijs rebus cogitans, quibus & acutè perspectis, & maturè confectis mihi opus est, nisi velim officio deesse expectationi impar, spei degener. Philippides quidem in Aristophanis scenâ equestrem artem, cui assueuerat, dormiens quoq; somniabat. Et ego studia illa non retractem vigil, quorum incrementis me, fortunas, decusq; credidi, quod eis obuenire haud raro solet, qui Mineruæ litant? Annus est exactus, cùm huc Athenas Euganeas me contuli tanquam ad mercatum doctrinarum: nec dum satis cum animo meo constitutum habeo ecquam nam potissimum

sim viam initurus, adeò me plurima morantur, ne alijs insuperhabitis vnam aliquam corripiam, quæ me breui sistat ad optatam metam. Centipes hercle esse velim, vt Iulis, modò ne tam lenta, vt simul tot litterati laboris stadia percurrerem, nam vt aliud post aliud quî possim? angustiâ temporis excludor, quod mihi breue admodum præscribũt Manliana imperia parentis, qui negat sibi Pactolum domi fluere, vt queat vectigal diutius meo otio pendere: hæreo igitur, non vt olim Hercules Prodicius in biuio, sed in vestibulo planè ipso studiorũ tot in diuerticula tot in vias secto, nec me itineri singula circũspiciẽs expedio. Philosophia insanis pollicitis me capit, caussas rerũ, & quicquid vbiq;, & quicquid nusquã est, in mediũ proponẽs vestigandũ, terras, tractus maris, circumfusum aërem, ęthera Lunæ succubum, Cœli templa stellimicantia, & quæcunq; ijs dirimuntur, seu Epicuri intermundia illa sint, siue atomi, seu immensa spatia inanitatis. Hæc quid nî saliuam moueant ingenio, & institutione leuium etiam rumusculorum, quæ hinc inde dimanant à primis vsq; annis curioso? mihi ne mortalium vni Naturę dimoto velo sinus pandi, æternitatis adyta patêre, obuia astra fieri terras incolenti? hac mercede quidem vel Cratetis pera maximè placeret, nisi spei timor frigidam suffunderet, ne tam splendida promissa auræ differrent. Quem ego timorem non de nihilo natum vti credam, facit philosophorum perplexa de rebus minimis dissensio, aiunt, negant, ambigunt de lanâ caprinâ sæpe numero, veritatis securi, studijs incensi, & (quod magis mirer) in verba vnius Aristotelis iurata natio factiones alit haud secus inter se cõtrarias, ac Venetę Prassina in Circo Romę quondam fuit. Hinc me æstus rapit fluctuantis animi in aduersum littus Iurisconsultorum. nam Philosophiâ reiectâ Medicinam, quæ eius vestigijs insistit, sequi quid aliud quæso fuerit, quàm Herâ contemptui habitâ ancillæ in amplexus ire? Hic mihi iurulentorum naturâ à puero minus

appe-

appetenti nihil propiùs fuit, quàm ne iuris barbara, & quam nullum embamma, nullum Apitianarum artium mangonium condiret, adipositas orexim sanè omnem vnâ cum palato, & stomacho funditùs euerterit. nam qualem Dij, Deæq; crambem, quàm illepidam egregij isti Cæsarei Antecessores miseris coquunt, recoquunt discipulis vorandam, legis cùm alicuius Romanæ frustulum tot Baldorum ne Bardorum dicam meris affanijs infarctum proferunt. Equidem qui domi primoribus labris litteras gustassem, quæ ab humanitate nuncupantur, nunc eas ne planè dediscam, periculum est, si istorum elingues glossas audire pergam, qui gemmea veterum Iurisprudentum dicta candore Romani eloquij nitentia tetrâ interpretationum ærugine inficiunt, pro luce tenebras ferentium Cymmerijs tenebricosiores. Potitius sit oportet, aut Cariæ incolarum aliquis, quos Homerus † Βαρβαρόφωνος vocat, qui obtundi aures sibi patiatur sermone tam fædo, tam exlegi, quo isti ita sacra Themidis collutulant, vt inde nihil puri haurire queas. Philoxenum non obscuræ notæ parasitum legimus beatorum epulis admotum delicatioribus obsoniorum ferculis solitum inspuere, vt conuiuis absterritis ab eorum esu vnus ipse sine riuali ingluuiem per otium expleret. Fallor? an pari astu istiq; nos aggressi arcent à rerum humano generi conducibilium perceptione, vt soli in scholis, in iudicijs, in foro regnent, soli tanquam ex tripode in commune, priuatimq; consulant solio subnixi. nos viles animæ, &, quid fata nostrum vnicuiq; inuehant, ignaræ, scitatum ad illos accedamus, auro graues, ex oraculo domum leues redditúri cum responsis, ambagibus cæcis obuolutis, & Oedipo, qui Sphyngis interpres fuit, enarratore plerunque indigentibus. Sed cœlum vertice feriant, segetem istam suam auream metant pro arbitrio, rerum dominentur titulis, opibus superbi, ego istorum fortunas, latifundia, thesauri philacia non emerim gutta sanæ mentis, quam posse

† *Aspere, & obscure loquentes.*

posse tegi corio Elephantis nullus credo. nec dum in mentem venit huius sententiæ meæ pœnitere, quamuis oculis recurset adhuc patris imago admonentis, dum me ad iter accingerem huc immigraturus. Irem pede fausto; fors fortuna viæ mihi comes esset; Hermes opum dator, & si quod aliud numen dites facit, cœptis aspiraret: se, senium que suum, familiam, penates sorti, fideiq; meæ commendare, breui ruituros, nisi auxilium à litteris quæsitum opportunè ferrem: se istos minimè morari, qui sterilibus studijs ætatem tererent suis graues, nemini vtibiles. doctrinam lucro metiendam, quòd domum locupletaret luculento censu, ne dum pauperiem longius arceret. hæc ille quasi me Colchos cum Iasone mitteret auratam inde pellem auecturum, & non potiùs ad emporium Musarum, vbi æs expenditur, vt animi cultus comparetur, homine condignus, qui mihi si Superûm beneficio contingat, & sudore meo, iam conceptis votis cum fortuna liquidò paciscor me non recusaturum, quin domum ad meos Crates pro Cræso, aut Vlysses redeam, rerum omnium egenus, naufragus, Neptuni, atq; Æoli ludibriũ: qualis ille in Phæacum littore eiectus iacuit, antequam Ithacæ portum tenuisset, remigio Alcinoi adiutus. quem indignor equidem ab Homero inductum, vt munera ei discedenti immensi pretij tribueret, quasi timor esset, ne Virtuti deforet viaticum liberalitate Regis destitutę. apage has curas, quę mercedem olent, & ventri mentem animi subijciunt rerum pulcherrimarum contemplatione, & doctrinæ peculio contentam, etiamsi focus culinę algeat, & olera hortus malignè prębeat ad victum. Sed vt ad legum studium reuertar, vnde sum digressus, non id, modò sit legitimum, adeò abominor, vt ei aliquid opellæ non sim impensurus sub professoris eruditi auspicijs, qui norit reiectis tot, tantisq; cariosis putaminibus ius enucleare, & non plurimâ eius parte circumcisâ decurtare miserum in modum, quod Tribonianus fecit

atrox legum, ſector, ſi vera ſunt, quæ de illo narrabat tyro haud ſanè rudis, qui nuper è Gallorum Iuriſconſultorum caſtris huc transfugerat, vt opinio fert multorum, exploratum, an Accurſiani deſierint in ſcholis apud nos nugari. Is magna, & præclara refert de Academiarum illarum præceptoribus, vt legum riuos à philoſophiæ moralis fontibus deducant, prono, & admodum facili decurſu, vt + αντυνομιας tollant chronologiæ ope, qua cum illis fœdus eſt perpetuum; vt notitiam affectent Romani non tam fori, quàm ſermonis; vt hiſtoriarum omne genus iure copulent turpiter eorum vitio antea diuulſum, qui ſummam iuris ſcientiam in ſummâ ponunt rerum aliarum omnium ignoratione. Illorum ego præclarorum hominum ſimilem ſi aliquem nanciſcor, Lita fio è veſtigio. Interea dum ſpem alit expectatio, quid vetat, quominus ſcholam circumadeam errabundo pede, ſi fortè artem non inuentã mihi ad hanc diem porro reperiam, quę me amoris œſtro illectum ad ſe trahat? Geometræ in abaco diagramma deſcribenti cùm adeſſem proximis diebus, cupido inceſſit animum noſcendi, qualis neceſſitas illa, quæ vis foret, quæ nos aſſentiri ſubigit Mathematicorum demonſtrationibus etiam inuitos: nec fefellit ſpes. angulos obtuſos vno plures in trigono haud poſſe contineri, quod tum ille fortè docebat, ita mihi hæſit in medullis, vt trabali clauo fixum videatur: quodq; nunquã mirari deſinam, æquè benè id noui ac magiſter non modo, ſed Euclides ipſe, & ſi quis Euclide Geometrior. De Logiſticę numeris par ratio, nemini fucum facit, nullum decipit, manu ſe contrectari ſinit, aut tangi. Cubi duplicandi methodus Architę, vt ferunt, Platoniſq; conatu nobilis non tam inuentu ardua, quàm, ex quo inuenta fuit, perceptu faciils habetur, nec Aſtrologia multo memoratis artibus, quarum ope creuit, eſt incertior, modo ne fatisfandis vaniſſimo diuinandi genere ſe occupet, ſed cœlorum ſpatia, eclipſes, ſiderum circumactus, diſtantiaſq; notet, prædicetq;

+ *Legum cõtrarietates.*

dioptris ad oculos, ſpecillisq; teleſcopijs admotis, quorum inuentu ſi noſtri æui induſtria ſe iactat, non temerè medius fidius id facit, aut Thraſonicè. Verùm hæc talia non ſunt, quibus immori, imò nec immorari quidem multum debeamus, aliorum gratiâ inuenta, & pueris potius diſcenda ante pedem, quàm vlteriùs promoueant in Muſarum grauiorum penetralia: ſicut artes quoq; organicæ tergeminæ Grammaticorum, Rhetorum, Dialecticorum, quibus oratio politur, exornatur, ſubtilis, acutaq; ad congreſſus redditur. Hinc fit, vt ſæpe curſum animi inhibeam, quò meferri ſentio in bellaria iſta ſtudiorum, in quibus elegantior eruditio maximè conſiſtit, ſuntq; pertractata vberrimè à doctis, ne videar ſcitamentis vti, ſolidioris alimenti loco. Hæc ni cauſſa foret, libens conſeneſcerem in huiuſmodi amœnitatibus Muſarum. Et verò quid Poëtarum lectione dulcius, quid Oratorum potentius ſermone? quí nos quocunq; adlibuerit, impellant verbis delinitos; vt iam non amplius fabula videri debeat Hercules, qualis apud Gallos olim colebatur catenas ore exertans, quîs auditores ſuos auribus apprenſos ad ſe trahat. Vna mehercule hiſtoria pluſquam magneticam vim habet dies noctesq; animos morandi. verùm enimuerò rebus opus eſt, quas ornandas ſumas, alioquin linguæ iſta lepida tectoria colores pictorũ referunt, vbi nihil ſit, cui illinantur. Carne opus eſt, ſi ſatur eſſe velis, ille canit: lingua guſtûs causâ datur inter ea, quæ orexim acuunt. Igitur, vnde res petatur, amplius quærendum, poſtquam nec philoſophia promiſſa expedit, nec Leges legitimè traduntur, & diſciplinæ mathematicæ metam illam nequeunt contingere, quę effuſo humanarum actionum curſui proponitur in hoc vitæ circo. nec ſpes nobis omnino eſt abijcienda, quaſi fruſtra quærendo futuri ſimus, cum hos ſciendi igniculos natura animis inſeuerit, quàm nihil moliri temerè receptum eſt. Equidem quæſitę rei ſi non ipſum cubile, at ſaltem veſtigium aliquod comperiſſe

perisse videor non ita pridem, dum die festo fortè scholas eâ fine intro, vt in forum iturus exeam. Ibi enim Sodalem Dominicani instituti audiui primum sacrorum bibliorum, qui Genesis inscribitur, interpretantem mirificâ rerum subtilissimarum vbertate. Is me ita cepit eiusmodi amoribus antea intactum, vt non sine numine Diuûm eò me pedes deduxisse putem. Res scitu digna, si qua vnquam alia: fides verò autoris, quem sibi enarrandum sumpserat, omni est exceptione maior visa. Fixum itaq; immotumq; manet alijs curis procul ablegatis non alibi cogitationum mearum anchoram iactare, quàm in hac statione omnium tutissimâ. Tantùm, vt ille de superiori loco memorabat, credulitas nobis domo ad hunc ludum afferenda est, quæ, si eius auctoritas respicitur, cui fidem adhibemus, omnes omnium Geometrarum demonstrationes anteit. quid enim ni vera tradant, qui non nisi prius sacra cœlitus edocti animum ad scribendum appulere. Pythagoricos ea veneratio, pudorq; tenuit erga pręceptorem, vt ipsius dicta legis instar essent omnibus suffragijs sancitæ. Aristoteles tantùm non inter Numina censetur à suis homo apprimè doctus, homo tamen, quem falli tam potuisse, quàm fallere par est: Platonem Academici extra omnem aleam hallucinationis ponunt, ac erroris, & nos diuinis oraculis non per deliras anus, quales Pythię veterum fuere; sed per viros numine afflatos editis absq; pignore humanarum rationum minimè credemus? Quasi verò sit aliquis tam per fractariæ peruicacitatis, qui artem vel de genere sellulariarum percepturus, magistro obstrepere potiùs, quàm parêre velit. Addiscentem in primis credere non Christianę pietatis magis, quàm omnium gentium est cautio, quâ sine sorbere simul, ac flare, multo foret homini procliuius, quàm discere, & dictata pręceptorum redarguere. Hæc ille non vno ore, sed trilingui fluens Hebraicè, Græcè, Latinéq; peritissimus. Quibus adiungebat Theologicam non

certitudine tantùm artes quaſcunq; alias præcellere, ſed etiam argumenti dignitate, quod Deum cognoſcit, quà ſe noſse ſinit, perfectiori quodam modo, ac diſtinctiori, quàm à priſcis illis inſipientis ſcientiæ conſultis noſceretur. Nam illis quidem nõ aliter diuina Natura fuerat percepta, quàm Sol lucis origo mero meridie radijs ſplendẽs obtutui Nycticoracis. Nobis præter Dei naturam, prouidentiam, ſapientiam, cuncti potentiam, ad quæ illorum planè caligabat acies, ingens Trinitatis myſterium recluſum eſt, &, quod ex eo fonte veluti riuus demanat, arcanum illud ter maximum ſalutis humanę per Chriſtum reparatæ. cuius nouiſſe apparitionem, vitę curſum, miracula in ſpem noſtri profectùs perpetrata, vt demum mortem vltrò obierit, poſtque triduum rediuiuus in Cœlum ad Patrem ſcandens noſtræ immortalitatis fundamenta iecerit; omnium diſciplinarum eſſe non magis Colophonem, quàm tutamen pręſentaneum tela omnia contra vafri hoſtis: quocum lucta nobis anceps, atq; aſſidua cùm ſit, non aliunde auxilia opportuniora comparari debent, quibus & prolapſi (nam & hoc quoque accidit non rarò) erigi poſſimus, & veſtigio hærentes reddi fortiores. Sed commodùm iam diluculeſcit. Nola diem ſalutans ſtrepero tinnitu nos pẽſi admonet: turpe eſt à gallo vinci cultorem ſedulum Muſarum, alite haud multi pretij, & cui nec matutinæ lucubrationes curę, nec vlli rationes ſui otij reddendæ ſunt. Pacem primum omnium, veniamq; Superos oremus, vt boni valenteſq; faueant, & ſi pietate meremur, cæptis adſint.

N.

REm apprimè nouam mihi narras, Ægidium ſtertere deſijſſe tandem aliquando, poſtquam annos ætatis quadraginta, & quod excurrit, in re familiari negligendà ceu Epimenides alter indormierat. etſi vereor, ne ſerò nimis

mis experrectus, frustrà sit euigilaturus, cùm nihil ampliùs sit omniũ reliquum, in quod curam iactet; nisi tu opportunũ putas, amisso grege septa claudere. Ratio ab actoribus quæsita apparebit aliqua, argentum, vt ille ait, sanè † οἴχεται. Fundus: perditum ille quidem iuit funditùs, non calamitate rubiginis tactus, aut grandinis, sed incuriâ heri, nimiâ villici curâ in suum tamen compendium impensâ. Res redacta ad Triarios, seu ad restim potiùs: nisi Deus aliquis subuenerit ex machinâ apparens, vt fieri solet in Comædijs. Equidem sententiam rogatus, censerem ad somnum illum suum ipsi esse redeundum, modò gliris induat ingenium, cui à naturâ concessum est impranso, atq; incænato in arborum cauernis totas hyemes quiescere. Iam enim eò res adducta loci est; vt, nec vbi cubet; nec, quod edat, habeat. Sed nę ego leuis, qui consilium inconsultus dem, cui salus ipsa, etiam si velit, opem ferre nequeat. Vale.

† Abijt: euanuit.

BERNARDO A COLLE *Medico*.

VIdisse te non semel arbitror ad primos exorientis Solis radios, quàm multis partibus se maiores vmbras corpus iactet. Idem planè accidit Nebridio: ampliorem immensis eum penè spatijs, antequam de facie nobis innotesceret, Fama efformarat, istiusmodi superiectionum adinuentrix mira; quas veritatis lux altiùs prouecta statim disijcit. Postremò pretium adeò minuit præsentia, vt iumentũ Sileni apparuerit Leo ante creditus nõ ab omnibus quidem (non tantum fidei apud cordatos viros rumor inuenit) sed à quibus assensum nullo negotio fabulæ impetrant. Nos adhuc ornamenta quærimus in eum à relationibus ingesta liberali manu, incerti, quò sit euasura tandem inquisitio: nisi quòd vetus illud verbum, thesaurus carbones, animo recursans malè ominatur. Talium sanè expectationi conuenit egregiæ; supercilium suppetit abundè; reliqua omnia

vel

vel deficiunt omnino, vel morantur periculum in palęstrâ facere volentes. Quanto illi consultiùs, qui nomen à Famâ sibi temerê quæsitum illacesciti procul alunt, nec congressus appetunt curiosorum, impares, cùm res in certamen venerit, futuri. Vale.

IACOBO VECTIANO.

FRatris mei, quem Natura vnanimem, vnicumq; dederat, funere non immaturo illo quidem, si spectatur ętas; si pietas, quâ illum prosequebar, acerbissimo, ita sum affectus, vt doloris leniendi modum inuenirem nullum; caussas haberem lachrymarũ plurimas. Quibus obsecutus in summo mærore diutiùs fortasse fui, quàm sectatoribus suis diuinior philosophia, atq; ipsa adeò ratio præscribit. Sed ego mollissimi affectûs in meos, † ἀπάθειαν Stoicis relinquens vix intra † μετριοπαθείας fines me cohibui. Nunc demum temporis vulgari illo, & nemini negato vsus beneficio, ad officia redeo amicis debita, tibiq; in primis, ad cuius epistolam hæc pauca. Romanum iter tuum valde probo, probaturus etiam maiorem in modum; si redieris domum ęre grauior, sed tuo. Epistolarum volumen quòd concinnas, gratum. quòd illis meas assuis, pannum nempe purpuræ, non perinde gratum. Sed de ijs tu videris. postquam enim ad te transmissę, tui res factę sunt mancupij, meę esse desierunt. Vale, & te ad uiam auspicijs secundis expedi non ante tamen, quàm tecta præteruolitare videris plurimam hirundinem, nam vnam ver non facere prouerbio veteri monemur. etsi vereor, ne Fauonij aduentum plus nimio sit remoraturus Boreas, qui solito acriùs, obstinatiùsq; nos hîc perfrigerat. Carmẽ de Horologio perlege, si vacat. agnosces in eo haud multi pretij veteranum Vatem, missionem iandudum flagitantem à Musarum castris, qui tamen extundere aliquid, vsu non obtritum voluerit argumenti vbertate, venustateq; admodum illectus.

† Indolentiam.
† Moderatæ perturbationis.

LAV-

LAVRENTIO REGOSIÆ *Medico Bellunensi*.

Filiolâ qui te simul auctum, simul viduatum intellexerim, gaudeo, & doleo: non ita tamen, vt gaudere me ex asse sinat dolor, nec dolere gaudium. Poteras, si illi fata parsissent, iam dum thalamos eius meditari, dotemq́; animo concipere, cuius curam nascentes filiæ vnà cum vagitu deferunt parentibus. Nunc ab ea expeditum cogitatione desiderium excipit infantulę, festinanter nimis, ante posset quàm risu patrem cognoscere, ereptæ. Quid facias? si mortales viuimus: modò nos cura premit, modò dolor opprimit; diludij inter hæc duo parùm, aut nihil; credo, ne nobiscum pręclarè agi falsùm putemus, cùm diutiùs ærumnis istiusmodi supersumus: neu eorum vices defleremus, qui vitam hanc eo tantùm ingredi videntur, vt egrediantur, viatorum ritu, quos nulla diuerticula morantur, quasi iter citis quadrigis ocius conficiant. Interea lacrymas tu comprime, qui possis ætate indeflexâ, vxore incolumi, nullo damnum sarcire negotio, si voles: voles autem, si in mentem veniet, fœturam vos maritos humanæ Reipublicæ debere, quæ amissorum ciuium numerum exæquet. Vale.

IACOBO VECTIANO.

Feliciter mihi contigit, vt ob virtutem, eximiamq́; eruditionem summum iam pridem Virum coluerim, quem nunc Pontificem maximum, veluti de cœlo missum omnes veneramur. Quocirca tuo afficior gaudio effusiùs, sumq́; in spe maximâ fore, vt breui te non pœniteat tantopere esse lætatum de eius amplificatâ in immensum dignitate, cui es, & meritò, carissimus. Virtus porrò si iacebit, sibi ipsa imputet, quæ in illius conspectum non se dat, qui eam & ornatam cupit vehementer, & ornare potest

omnium

omnium vnus maxime. Tantùm Deus nobis orandus est, vt sua dona quàm Reipublicæ conducibilia, tam diuturna ei esse velit. De Aleandro nostro, credo, inaudisti; arcanis eum Principis admotum, inter Palatinos proceres censeri; quo sanè nuncio nihil mihi potuit accidere iucundius, cui cognita est Viri virtus, litteræ, ingenium. De Cæsarino non loquor sacris admissionibus Præfecto, ad te scribens sui peramantem. Reliquos pręterco probos pariter, doctosq; homines, quorum votis Fauonium tandem adspirare quidni gaudeam, qui virtuti vel in hoste faueo? Ioannis Casæ, quod quæris, epistolas præter Florentiæ, Lugduniq; editas nullas vnquam legi. Vale mi Vectiane optime: & te secundis rebus, teq; dignis serua.

HENRICO DAVILÆ.

SAlutauit me pridem tuo nomine Sodalis Franciscanus Hieronymus: quæ mihi sanè salutatio statim aurem vellit, monuitq;, quod minimè rigidi creditores solent, veteris reliquamenti satis opportunè. Etenim, si ritè rationes exputo, ad illas tibi litteras responsum debeo, quas ad me Iaderam proficiscens dederas, erantq; illustribus conspersæ notis amoris, officij, eruditionis. Ex eo quidem tempore nihil de te tot terrarum, marisq; spatijs dirempto audieram ipse montium iam non inquilinus amplius, sed ciuis, & quidem assiduus magis, quàm Ruffus ille Ciceronis fuerit frequens Vrbis cultor. Equidem sæpe numero mirari soleo nostræ amicitiæ fatum, quod nos postquam arctis apprimè studiorum, necessitudinisq; nexibus deuinxit, quasi experiri vellet, an inter absentes amor intepesceret, tantis locorum diuortijs distraxit, quantâ consensione animorum iungimur. Non ita ab amœnitatibus penitus exarui inalpinus incola, vt non multum congressibus carorum tribuam, quorum nedum collocutio festiua, vul-

tus

tus ipſe, veluti nubes Cœcias, omnem mihi pectore abigit triſtitiam. Meq; ideo abſentium ſortem infelicem puto, modò meditatio crebra refricent memoriam ſuauiter actæ cum amicis vitæ. Quoties me in mentem reuocare putas colloquia inter nos hîc habita temporibus licèt non lætis, læta tamen? cùm tu Oritanas has fauces lectâ manu militum ſeruares, ne quà hoſti patêret aditus: ego in ſtatiuis excubarem gregi. Æquè mihi modò iucunda eſt huius rei recordatio, ac res olim fuit: imò medius fidius paulo etiam iucundior. Tunc enim (meminiſti arbitror, Panici bellorum rumores perterrefaciebant nonnihil animum, mitibus aſſuetum artibus, ideòq; lituum horrentem, qui nunc deſijt obſtrepere, gratâ vice pacis, & ſecuritatis: ſi modò pax, ſecuritasq; mortales manſura recreat, nec aliæ ex alijs malorum Iliades excipiunt. Mars erat tunc temporis timendus, nunc peſtilitas, ne clauſtra indidem perrumpens parùm cautos inuadat. Aduersùs hanc ſi ſegniter agas, fruſtrà opem à thorace, & clypeo petieris. bellatores pariter, & imbelles ſternit ictibus fatiferis. Verùm religio iam ſit epiſtolam triſtibus implere, quam lepidam, hilaremq; decet amicorum abſentium ire in amplexus, non contractâ fronte, quaſi aduentum Gallorum nunciet, aut cladem ad Thraſymenum legionibus illatam. Vrbanum Pontificem habemus perurbanum, expolitum ſtudijs, eorumq; cultoribus plurimùm fauentem: & qui (mirabile dictu) carmen pangere, & purioris eloquij ſtylo indulgere non inferius tantâ Dignitatis maieſtate putat. Hunc ego purpuratum adhuc colui, quàm illius Ordinis amplitudo patitur, familiariùs. Hunc cultus in venerationem vertit ſuperis æquę poteſtati debitam. Lætabere, ſat ſcio, cùm inaudies litteratorum animos ad magna ſurgere, dum ſpei ſuæ in Principis eruditiſſimi fauore blandiuntur. Sed calami curſus cohibendus eſt, ne fines epiſtolaris paginę tranſiliat. Tu, vt valeas; quid agas; quibus tuum otium oble-

ctes studijs, rescribe non tribus verbis, qui Spartiatanum mos fuit, breuitatem in scribendo non minus, quàm in conuiuio sectantium; sed mensurâ, vt Herodotus admonet, multo cumulatiore, & quæ deceat Cypro oriundum inter Asianas insulas ditissimâ. De Octauiano Bono æui nostri Catone parùm læta nobis nunciantur. Vesicę calculo adeò laborat, vt sectio illi adhibenda sit, remedium, vt te non fugit, valde anceps, & nescio an non morbo ipso periculosius, præsertim cùm anus ætas accedit, & infirmę vires. Animi modò robur indeflexum nos solatur, & pietas Viri, quam Diuis Venetę rei Tutelaribus cordi fore credimus, & verò, si quid nostræ preces possunt, adprecamur. Vale.

LAVRENTIO PIGNORIO.

ID quoq; villę suburbanę refero acceptum Laurenti, quod me absentem amicorum admonet per otium, quorum memoria vrbanorum animos negotijs nempe occupatos segniùs irritat. Vnde ortum arbitror prouerbium Romę pro mortuis haberi longè inde semotos. Mirabitur fortassè aliquis rus à me officiosiùs vrbe ipsâ reputari. Tu verò, nisi fallor mecum senties, si rem perpenderis. Quotannis te litteris interpello meis rure manens: cùm in vrbem remeo, nos non tam locorum longinquitas, quàm silentium Amyclęum dirimit. Verùm hæc, ἐπιϛοδιώδια omittamus. Diu est, cùm nullam vidi tui ingenij fœturam. Cessare te, qui semper aliquid parias, parturias, vix credo, nisi fortè valetudinis intercedit violentia, cuius omnes imperia Manliana nouimus. Quibus Musa dedit victura condere, eos annonam litterariam incendere quis ferat, nisi condus ipse, & vel caminum domi obsignaturus, ne inde fumus prosiliat, si posset. Synclitico nostro subinuideo, quòd te vtitur familiariter, sermonesq; tecum se-

† Digressiones.

rit stoi-

rit ſtoicorum ſcholę æmulus + ποικίλους. Nos, quod datur, + Pictura tos.
te epiſtolâ prouocamus ad reſponſa, Pythię oraculis nobis gratiora. Vale.

BARTOLOMÆO SENENSI *Monacho Cartuſiano.*

NIues hîc nos, puto, inaudiſti, candidatos reddunt; licèt nihil nobis cum comitijs commune ſit: centurias nullas ambiamus, dexteram nemini prenſemus. pullatos quin ipſos (quod mirere magis) ſi fortè domo efferre pedem libido inceſſerit, ne atricolores ampliùs appareant, inuitos ſubigunt. nec vnum aut alterum diem tacitarum hæc vellera aquarum demittit Iuppiter, à Calendis Decembribus exorſus ad ipſa vſq; ſaturnalia nullum finem fecit conſpuendi non alpes modo, vt ait Ennius, verùm etiam planitiem, conualles, cunctaq; vt verbo abſoluam, ſubdialia. Qui, vbinam ſint niuium theſauri, problema humano ingenio inacceſſum putant, nœ illi loca iſta haud adiere, aliter ſenſuri, ſi adijſſent, vidiſſentq; quæ nos, quid non cogit amor nimius in gregem, vel ſuadet potius? videmus oculis illacrimantibus. Nam id quoq; afferunt incommodi: ſpectari ſine fletu nequeunt non ſecus atq; cœnę Thyeſteę, vel Medeæ in filium Abſyrtum diritas, aut ſi quid ijs atrocius in ſcenam Tragædi proferunt. Quàm obtuſâ ſim viſûs acie, credo, meminiſti: proſpectus cum maximè, non vltra decem vlnas mihi patet. Hinc euenit, vt loca nimio fulgore exclarata ita fugiam, vt non magis alij Cimmeriam caliginem. niuem æquiori ſanè animo perferrem, ſi viridis, aut purpurea eſſet, qualem in Armeniæ montes cadere tradit Olympiodorus, neſcio an oculatus teſtis. Certè cùm memoriâ repeto illud, credo, ex Ouidio.

Membraque purpurea candidiora niue,

Indignor non idem Noricę huic noſtrę eueniſſe, naturamq; tacitus incuſo, quòd non eam colore alio infecerit, quàm

niueo: &, si facultas par foret animo, insterni eam protinus iuberem aulæis Babilonijs, aut purpurissum pallori eius albido admisceri: fucata displiceret minùs. Sed quid ego verbis, imbelli vindictę genere inuisam vlciscor muliebriter, nomen eius idemtidem vsurpans, quod mallem indictum, ac immemorabile? ad vota, precesq; ire multo erit satius, vt, postquam solis vigor adeò emarcuit, vt facem in cineres collabentem præferat; auster huc alis inuectus vuidis repentè aduolet, secumq; tantum ferat imbrium, quantum satis sit niui profligandæ. Id si fecerit, aram illi voti compos statuam exempla Atheniensium secutus, qui templum Orythię amatori, Boreę sacrarunt ob disiectam Persarum classem, Pyręo infestis signis imminentem. Habes paucis quàm strenuè algeamus in hibernis; vt tu tua bona magis noscas ærumnis nostris comparata, ferasq; æquiore animo, cùm istinc per æstatem sudore difluis, & circumstrepentum culicum audire cogeris concordiam; tunc enim nos perbeatos putas, quòd nullo flabello auras; poculum glacie nullâ frigeramus; & Syrij vix nomen nouimus; incommoda verò ne vix quidem. Quisq; suos patimur manes, terrarum inquilini; cęli ciues. In patriam postliminio reuersos ea excipit temperies, quam veteres fortunatorum Insulis, quia minùs erant notæ, tribuebant: posteritas illos falsi arguit, eò quoq; penetrare avsa.

LAONICO N.

TV verò mi Laonice & cantu, quem nomen tuum gentilitium præ se fert, vales sanè plurimum, & in orationem solutam ora soluis adeò suauiter, vt Quiritium aures demulceas non minùs, quàm olim Arpinas Siren rostra obtinens. Epistolam certè tuam nemo legit, nemo autem, cui palatum sapiat, non legit, quin mel sibi lingere videatur Atticum, in latina aluearia transfusum. Quæris? lepidum

dum es apud nos, publicumq; acroama festis omnium acclamationibus per fora, per compita ad arcis vsq; Capitulinæ culmen, & Iouis statoris solium delatum. Vnum te esse dicunt post Pierium, si modò secundum locum ferre potest tua summa laus, qui Bellunum patriam, qui ciues, Noricamq; circumadiacentem regionem omnem, Anaxo flumine irriguam eloquentiâ tuâ euehas ad astra, aut si quid est astris ipsis celsius: siue inane illud sit, seu atomi, aut Democratiana intermundia. Vnum te fama aliorum oblitâ nomenclationis, gloriçq; loquitur: memoriter iuuenes ediscunt, senes admirantur, omnes tanquam demissum Cœlo Palladium suspiciunt, feruntq; in ore, in oculis, in pectore, in digitis etiam gesturi, si imaginem annulis insculpi tuam patereris. Magnopere igitur me tibi deuinctum esse scias, velim, isto tuo munere: cur enim munus quantiuis pretij non appellem litteras, quas opibus suis vel Midas præferat, nisi Arcadici pecoris aures haberet? Ego quidem præ illis monile Eryphilles, & Cleopatræ inaures contempserim; quamuis illud obrizo auro, hę vnionibus fulgerent Erytręi maris. Quod de quercu narras, haud satis assequor, qui sciam post inuentas à Triptolemo fruges, vesci passim esse glandibus desitum, neq; magis liquet, quod de dormitione addis in vtramq; aurem: nunquam enim, ex quo primùm infans somno assueui, ita me dormisse memini, vt vtrâq; aure puluinar premerem, alterutrâ id facere contentus, cùm in latus iaceo; neutrâ cùm supinus. Verùm hæc tu melius, sophię medulla qui sis, adeps Theologicus, Musarum rosetum, doctorum hominum delitium, quibus ita places, vt non magis placenta illa ab Athenęo + νικολεως vocata; quam ego, si ea te tempora tulissent, abs te transnominatam nullus dubitarem. Vale.

HIE-

HIERONYMO ALEANDRO.

HActenus egregiè ferebam senectutem; quòd & pastorali muneri, & studiorum labori sineret vires superesse: nũc verò mihi Ætnâ grauior videtur mecum reputãti, quàm illa spẽ, quã cupidè votis expetitam adimat, Vrbem hoc sæculari anno sub Vrbano Pontifice videndi, pręsertim me euocantibus amicorum litteris peramanter scriptis. Quâ quidem propensæ in me voluntatis declaratione quid mihi contingere potest honorificentius? Non tulit hanc gestientis animi lætitiam anus ætas mea cum valetudine non satis firmâ fœderata, meq; iter iam cogitatione metientem iniectis velut manibus retraxit sorti meę inuidens. Hinc mœstitudo, hinc dolor, & nihil profutura lamentatio, nisi vt planè cognoscas me tot bonis inuitissimo animo carere, quod aspectus vester cumulasset multo post tempore Romam reuisentem, vbi præclara occasio se dabat expiandi animi; simul Pontificis eius venerandi, quo nihil in terris maius Deus esse voluit. Quale illud spectaculum fuisset videre illum orbi præsidentem, quem ego velut animo diuinans tamquam familiare numen antea colueram? Verum cùm non oculi; si Anaxagoræ credimus, sed mens ipsa sit, quæ in nobis videt; tolerabo æquiùs iacturam, mihi sanè conscius nunquam non me mentis acie, vbicunq; sim, tanti maiestatem Principis suspicere, eiq; fausta cuncta adprecari. Te verò mi Aleander, cuius me vota morari subigit necessitas, etiam atq; etiam rogo, obsecroq;, vt Mœcenatem æmulatus, quam mihi ęgro dares veniam, des iam senescenti, & extremum iter meditanti ad beatos. Excusationem istâ causatiorem haud facilè puto tibi se oblaturam. Deus te bonorum expectationi seruet quàm diutissimè.

BAR.

BARTOLOMEO SENENSI *Monacho Cartusiano.*

SAlus ad me venit iam reualeſcentem nimiùm amanter abs te miſſa. Illam non epiſtola, quod translatitium eſt inter abſentes, ſed cœnobiarca montellenſis retulit, Vir & ore lepidus, nec ingenio inelegans. Multus de te ſermo, ac iucundus; dum ego de tuâ valetudine, ſtudijs, ſtudiorum fœturâ quæro diligenter: ille ad omnia reſpondet vt volebam: valere te ſcilicet Pancraticè, ex quo querquerę febri nuncium remiſeris: in ſtudijs totum eſſe: propediem librum editurum aureolum, quem parui æmulentur, omnes laudent. Rogas? ſermonem ad ſerum vſq; veſperum extraximus. commodùm enim in ſuburbanum rus ſeceſſeramus, vbi interuentor nullus, qui poſſet colloquium diffindere, aut interturbare. Aures tunc oportet tibi tinnijſſe, quibus epulum præclarum dare potuiſſes, ſi coram adfuiſſes inſperatus. Nobis certè abſens licet, in ore habitas, hæres in medullis. De hiſtoriâ ſociali Ignatianorum ecquando in lucem hominum ſe dabit: de Ripamontio quoq; ſi quid habes comperti, ad me ſcribas velim. Exprimi non poteſt, quàm auidè ſcire aueam, ceſſetne, an promiſſa præſtet eruditorum votis reſponſura. Raro ad nos lepida iſta perferuntur niuium alpinarum incolas, & quibus Syrij canis aſtrum quoq; friget. Vale, & mihi à Deo propitio veniam expoſce.

DONATO MAVROCENO *Senatori.*

CVpiditate tuæ me litteræ excandefecere, dum tam graphicè oculis epulum ſubijciunt, quo hoſpites rure excepiſti, Viros eruditos, & omni amœnitate ingenij florentes. caue enim putes tantum mihi ſaliuam commouiſſe ſtruices illas patinarias ornithonis, & piſcinę opes de-

feren-

ferentes, Apitium aliquem hæc moueant, aut Aristoxenum, quantum vestri sermones symposiaci, quibus par est vos dipnosophistas æmulatos cœnam in multam noctem extraxisse. Nullus apud nos de Phæacum gente certè fuit, qui Vlissi errores suos memoranti aures modo præberet, ipse rana seryphiâ elinguior. Omnes ad vnum, & narrare pares, & respondere parati consedistis. Axium nostrum audire videor nationes, mores, nomina cientem piscium, auium, quadrupedum, vt quodq; à structore scindebatur. Non ita Agamenoni ad Troiam commilitones sui erant noti, quos admonere consueuerat in acie compellans, vt se viros esse meminissent. Conuiuę mussitantes cum se tantùm infarciunt, tum ea visceratio vocanda est potius, quàm epulum: quod garrulum esse debet, ac festiuum inter eos, qui non tam multi cibi, quàm ioci sint. At nos hasce alpium fauces solitarij insedimus confragosas, auias, & quas vix, quàm hospes, crebriùs inuisit. Nona lux effulsit, ex quo Leonis astrum cœlo faces subdit, cùm interea hîc hiemat; ningit; pluit totos dies & minora veris hæc à me dicuntur, ne profectionem huc ad nos penitùs abijcias. Veni nihilominus si locum per æstatem quæris liberum à muscis, quibus omnia feruere apud vos audio. Vale.

LAVRENTIO REGOSIÆ *Medico*.

QVod morbo difficili perfunctus reualuerim: quod viuendi spem vlteriùs producam, quàm putaram: tuum est Laurenti. Tu alloquio, ope, conspectu deniq; ipso fugientem hinc animam veluti fugitiuarius retrò reuocasti, tanti benificij memorem fecturam. Iam studia intermissa retractamus, & stylum situ obsitum resumimus, vt ad te epistolam demus Eucharisticam, simul vt genio nostro obsequamur, cui vita sine litteris, ne vitalis est. Qua in re si fallimur, erroris te habemus comitem iucundum, cui

cui nulla dies abit ſine lectione, eiusq; legitimâ ſobole commentatione, ſcriptioneq;. Nam lineam modò ſpargere, vt Apelles olim ſolebat, parùm tibi admodum videtur. Equidem admiror, vnde tibi Muſę tantum otij ſuppeditent, tot ægris occupato inuiſendis, accurādis, erigendis. Verùm vnde vnde tibi otium obueniat, egregiè illo vteris, & ingeniosè: neq; timor eſt, ne, ſi eius ratio tibi vnquam cenſoribus litterarijs fuerit reddenda, hęreas. Iter ad montana Agordina ſuſceptum tibi ex ſententiâ ceſſiſſe tantundem gaudeo, quantum mihi pectus perfrigefecerat peſtilitati te obuiam iuiſſe, aduersùs quam nullum genus remedij præſentius abſentia. Aſpectu ne dum contactu nocet dirum illud malum quauis catoblepte exitialius. Superis tua ſalus curæ eſt, vt eam alijs impertiaris. quod ſicuti libens, & aſſiduus facis, ita diu facias. Vale.

HENRICO DAVILÆ.

QVi te lętum in primis, florentemq; cuperem, quàm angar animi, cùm tuas lego plenas querelarum aduersùs fortunę, & valetudinis incommoda, ipſe me vel tacente coniectare potes, cui non ignota eſt tua in me propenſior voluntas, meusq; in te amor ſingularis. Præcipua vis ſit, oportet, morbi contumacis, quæ ſtrenuum virum, & (ſi Senecę noſtri vocabulum facilis admittis) perpeſſitium cogit ad lamenta. Vita certè tibi quà in armis, quà in litteris exacta non permittit, vt ad translatitia, & vulgaris notæ mala ingemiſcas, quibus ſæpe ferendis animus occaluit. Ogygia illa eſſe mente fingo, atq; Herculana, quorum incurſu ſuccumbas tanto fortitudinis robore ſubnixus, ideòq; procul conſolatoris munere abiecto, comploratoris partes mihi ſumo haud aliter, quàm chorus ſolet in Tragædijs, nihil præterquam affectus ſuos calamitoſorum caſibus accommodans. Inaudieram iam pridem mœ-

rorem expectorare ſapientiam: idem modò experior ſero tyrocinio, agnoſcoq; demum potiores eſſe doloris vires, quã conſilij. Conor tamen, & ſubinde me ipſe vrgens comminiſcor aliquid, quo te, meq; erigam, ſi poſſim. Occurrit autem non intempeſtiuè, quod in ludo prætextati erectę indolis ediſcunt, à Deo optanda optima, ferenda æquo animo quęcunq; dederit: luti ille noſtri figulus, ſiue morbum, ſeu paupertatem, ſiue exilium, quæ veluti progymnaſmata virtutis nos ad palmam de fortunâ referendam inſtruant. Sed næ ego abſurdè leuis, qui Cyprium procerem hæc doceam, poſt amiſſas opes, & clariſſimę Patriæ excidium, duratumq; pectus caſibus bellorum. Docilem me tibi potiùs præbuerim artes retractanti tuas, Mineruæ huiuſmodi diſciplinę libens debiturus. Verùm mos gerendus erat conſuetudini, quæ ineptias id genus vitæ mortalium inuexit adeò, vt ſæpenumero inueniat hominem de triuio ægroto medico, quæ ad leuandum morbum faciant, pręſcribere. Iaderæ te morari tam diu permoleſtum eſt, præſertim cùm ad incolarum faſtum aëris accedat intemperies. Salonas non procul inde diſſitas vix crederem tantùm Diocletiano arriſiſſe, vt ibi priuatus conſeneſcere maluerit, quàm orbem Imperator temperare, niſi id ſcriptorum adſtrueret concordia. Equidem, ſi mei iudicij res ſit, Caſtilioneum ſeceſſum, quò me iam recepi, toto Illyrico prætulerim, licet generoſorum piſcium nutritio. Parciùs tamen recreor loci mihi iucundiſſimi conſpectu, quàm ſolebam; quia nõ idem animus, non ætas, non curæ eædem litterarum modò ſtudia reſpicientes. Frater mihi heu miſero ademptus hilaritatem omnem animo omnino expulit, nihil nunc niſi triſte reuoluenti. Rebus meis florentibus Auſtrum immiſit hic illius caſus. Tota ſecum domus noſtra ſepulta eſt; nec quicquam præter lacrymas relictum, mæſtitiæ teſtes, doloris indices: cuius tantam eſſe vim, vt eo mens, veluti fulmine perculſa ex omni amænitate exareſcat, nunc ex-

pertus scio, ante coniectabam. Quotidie noui aliquid suboritur, quod vulnus instar vnguis refricet nondum occalescens. Nox quoq; quietis tempora varijs imaginibus funestat, tanquam parum sit, soles mihi illucescere tam nigros. Animi teneritudinem mei causarem, quod ita effusè congemam, nisi talis fuisset frater, qui posset, vt se amaret, vel lapidem silicem subigere, ne dum me, cui fibra cornea non est. Igitur postquam omnia miserabilis eiulatûs exempla edidi, parùm mihi dolenter video illi parentasse, parùm explesse animum illętabili lætitiâ, quam ex luctu capio. Solet enim ambitione ita tangi mollis ille pectoris affectus, vt modum alium, finemq; nesciat, nisi quem mors facit. Accedit Octauiani Boni obitus. Frater is mihi alter erat, non naturæ iure, sed amoris, luctuosus quidem ille bonis, vni verò mihi lacrymabilior, qui in eius consilio conquiescebam trepidis in rebus, quæ fortuna lætis intermiscet. Sed me comprimo, ne ad tristia relapsus mæstitudinem tuam, quam aliqua ex parte leuatum veneram, magis adhuc onerem, mittoq; conatûs mei specimen litteris commendatum, quo à perturbatione, & nimiâ rerum aduersarum solicitudine animum eximere studeo, in iacturâ amantissimi Fratris commoda quærens acerbi doloris lenimenta. Vale mi Henrice, & rebus secundis, tuæq; Virtuti debitis te serua.

In Funere Fratris consolatio.

SOl non nisi animi acie spectabilis, huius, qui nos diù lustrans vespere destituit, fabricator alme, ad mẽtis tenebras nostræ facem admoue, ne in lubricâ hac vitæ orbitâ labamur. Caligare oculum, & lapsare pedem necesse est, vbi opem subtrahis, sinisque, vt ipsi nobis relicti demum agnoscamus, quantâ nocte circumfusum sit sapere hoc nostrum, quo nobis adeò perditè placemus. quamque humi

proiecta repat humani ingenij velocitas, tum maximè, cùm sibi superuolitare sidera videtur. reptare dixi? se dare in præceps dicere debueram, Icari conatui persimilis, cuius quidem ruinam remigio alarum aërem tractantis non terra excepit parens, tumulum datura; sed mare corpus ita obruturum, vt memoria extaret facti nos erudiens, ne maiores nido alas explicemus. Inter cœlestium stipatorum agmina eminebat Lucifer Diuini rudimentum non rude opificij, totus labis expers, totus mens, cùm ei conditionis suæ obliuio obrepsit; decus aliunde sumptum proprium putauit; Dei perduellis infimus vocari maluit, quàm minister primus. Iam sedem Aqniloniam animo conceperat, vnde conscriptas desertorum aduersùs supremum Regem copias instrueret, cùm conscientiâ facinoris velut fulmine ictus abalto cum suis cohorticulis in ea se detrusit loca, quibus aiunt nihil esse tetrius, humilius, vbi modo iacens nocendi mille artes meditatur in humanum genus. Huic ego quidni acceptam referam tristitiam, quam mihi nuper Fratris funus attulit vnici, vnanimis, oculis ipsis mihi carioris? languebat ille septimum iam mensem morbo insanabili confectus, nec iam amplius res cum medicis, sed cum pollinctore. Procul eram iniquis locorum spatijs diremptus, doloremq; tantum auribus percipiebam, segniùs irritari solitis in aduersis rebus, quàm oculi consueuere. Hinc adeò factum, vt me insipientis philosophorum sapientiæ præceptis ante communirem, quàm tristis de eius excessu perueniret nuncius. Multa leniendi luctûs ergò colligebam à doctis vsurpata; ætatem in senium prolapsam, vim ægritudinis diuturnæ potiorem, quàm cui obuiam ire posset corporis debilitas, licèt promptis medicorum artibus adiuta; præterea cruciatus artuum podagræ iniuriâ morbo ita superadditos, vt vitam ei precari diræ imprecationis instar esset. Sic dolori aduentanti prodire contra reputabam meo Marte fretus, cùm ecce vixisse Fratrem

nuncia-

nunciatur. tunc verò ſtans in veſtigio dirigui Niobes imago, niſi quòd illam poſt defleta ſuorum funera ſtupor occuparat; mihi neque vllæ lacrymæ exciderant, neque via ad querelas laxabatur, quà animi leniretur mœror. Experiri tunc mihi licuit, quod olim diu inaudiueram ingentes dolores ſilere, loqui modicos. Triduum perpetuum dolor me defixum tenuit nullius congreſſum ferentem, nulli affabilem. Exinde in lacrymas abiere oculi tam vberes, vt mirarer tantum in corpore curis exeſo humoris extitiſſe. nec dum lamenta admittebat dolor, credo, ne luctum interrumperet; poſtremò ad illa quoq; deuentum eſt, ne quid deeſſet ad miſeriam eo omnibus miſerabiliorem, quo vni ſibi ſepoſita ſolamen aſpernabatur amicorum. En quò me loci Alaſtor ſtygius adegerat, mihi pugnare aduersùs angorem animi ſuadens armis omnino, telisq; deſtituto, quæ certamen adeò anceps, periculiq; pleniſſimum requirit. Perieram equidem, perieram tanto mœroris æquore abſortus, niſi tu Deus dextram porrexiſſes, & meæ læuę inſertaſſes fortiorem clypeum ſupra Aiacis illum ſeptemplici corio munitum, quo nūc deſiderij iacula quantumuis aërea excipio mecum ipſe voluens non abijſſe Fratrem, ſed præiuiſſe, quò rectà hinc animæ humani corporis vinclis exolutæ auolant, ad loca nempe Elyſijs tanto amœniora, quanto vera fabuloſis præſtant. Spes id mihi ſpondet; ſuadet pietas; vitæ eius anteactæ tenor, ne vana ſponſio videatur, facit, ne ſuaſio irrita. Haud longa nimis mora futura eſt, quæ nos diſſociet ætate pares, concordes animis, &, ſi non gemellos geminos, gemellis proximos. Annum ego, quàm tu prior vitam colere incœpi, ſi hæc modo vita eſt, nec ergaſtulum potius ſeu Tullianum. Tu hinc, dum ipſe vaſa colligo, ocyus te proripis ſorte tuâ fœlix, & ideò non luctu, ſed inuidia magis, ſciret ſi germano inuidere frater, proſequendus. morem hunc tenere apud noſtros ſcio quàm antiquum, tam pium: obdormientes appellant fato functos.

ctos. id quantam vim habeat ad lacrymas in funere carorum cohibendas, qui non videt, is credo non animaduertit nec naturam somni, nec quantùm à Letho consanguineo suo planè differat. Nemo nostrûm, cui modo cor sapiat, à cœna cubitum euntem congemit quasi nullo vnquam tempore experrecturum: sed ei potius ad refouendas vires statum à natura soporem facilem precatur, vnde rursus ad labores redeat etiam alacrior; quamuis huiuscemodi desurrectiones à quiete somnus exinde alius, atq; alius excipiat. cur igitur non idem facimus in nostrorum excessibus, præsertim cùm eos in postremo sæculorum die semel excitatos vigilię æternæ maneant euigilandæ? fatendum nobis erit denique, si quis nos vrgeat instantiùs, ista à nobis dici dicis causa, nec integram fidem verbis adhiberi, quibus Christus lumen nostrum Lazari sorores fuit interfatus, indormire illum inquiens, licèt iam elatum, funeratumq;. Salus ille communis occubitu suo morti veluti oleastro mitioris oliuę surculum inseuit: quo factum, vt omnem eius amarorem dulcorarit adeò, vt iam in rerum expetendarum, preciosiorumq; numero mors habenda sit. Sic est profecto: de ore demortui leonis fauus mellis defluit, cùm Deus iusserit. Non aliter bombyx vermium vilissimus fit ales, nisi priùs non ex testamento, sed ipse sibi viuens tumulum parauerit, in eoq; iacuerit exanimis. Subirascor equidem, dum cogito inuentos olim, inueniriq; hodie quàm plurimos profanis superstitionibus deuotos, qui vitâ sic excedunt hilares, vt de hospitiolo malè materiato, malè sarto, casumq; iam minante inquilini solent in patriam ituri; alios fatum obuijs præstolari vlnis minimè contentos, sponte suâ oppetere, profundentes animas non in acie modò, vbi seriò res agitur, verùm in amphitheatri arenâ etiam per lusum. Socrates certè oraculari Pythię sententiâ in sapientis nomen adoptatus mortem sibi scypho propinatam hausit perinde ac nos in conuiuio tempestiuo mulsum. vt omittam Indorum

rum Gymnosophistas, qui non elati rogum, sed proprijs delati pedibus conscendunt. Nec mares id tantùm animos audere credas: maritis vitâ functis nescio vbi terrarum (alicubi certè) coniuges commoriuntur eâ alacritate, ornatuq; , quo choreas nuptiales adeunt. Et nos, quibus mori tam exodium huius vitæ est, quàm exordium futuræ, tam trepidè mortem exhorremus? vsque adeo degenerauere animi à beatis illis, quorum cùm sobolem nos esse nimiùm iactemus, exempla minùs imitari, quin, ni turpe sit? Nullus præterit dies, quin sacros fastorum libros perlegentibus occurrat alicuius Martyris natalis. cuius nominis sensum eò tendere potissimùm crediderim, vt tunc nos nasci dignoscamus, , cùm denascimur, transcribimurq; in cœlestium ciuium laterculum. Hæc nimirum causa non est, cur vel nos molestè feramus mortales genitos, vel mortuorum sortem defleamus, nisi fortè cum illis præclarè actum sentimus, & fatemur etiam, nostram vicem dolemus, quasi eorum conuictu perpetuò nobis sit carendum. Hic vnguis nostrorum vlcus laniat, nec coire sinit: hinc lacrymę indecores emanant, & pijs hominibus minimè concessę, Nam primùm increduli est diuortium istud ne dum perpetuum putare, sed ne longum quidem eandem viam, quâ illi, insistentibus: eodem, quò illi deuenere, deuenturis. Sed demus ita esse, nec nos amplius inuicem visuros, quis rebus carorum lętis contristatur, nisi sui nimis amans, bonis verò alienis inuidens? At nostra, inquiunt, intererat illos perennare, quorum opibus perinde vtebamur atq; nostris, delectabamur officijs, ope nitebamur. Audio introrsum versas doloris causas, nec dubito, quin non admodum imparibus querelis defleretis Asturconis obitum, qui vos per Vrbem vexisset tolutari gradu, vel catellę funus delicias vobis lasciuo assultu facientis. Sybaritarum mores hæc lamenta deceant, quibus nihil viri præter nomen fuit. nobis sub eius Imperatoris signis stipendia merentibus, cui

contra

contra aduersa durare solés erat, perasperum, scruposumq; iter euadendum est ad salutis arcem difficilia ferendo, prospera optando. Mihi quidem nullum Nepenthes poculum aduersùs animi mœrorem exhiberi potuit salubrius, quàm ista fuit cogitatio, quâ sæpe recreor, fratrem ad cœleste conuiuium vocatum iam Diuûm epulis accumbere, vbi non Hebe iuuentutis Dea fabularis, non Phrygius puer administrat, sed aligerum agmen aulicorum, qui mortalium supplices libellos ad Deum deferunt. Illic eum beatitate perfrui fine cariturâ ærumnarum huius vitæ oblitum, nostri ita memorem, vt spes sit eius interpellatione exoratum Numen propitium se nobis prębiturum. Luctu hunc in modum mitigato funeris fraterni mentem subit męstitię veluti appendix, familię inter Venetas nobiliores haud vltimę defectus: neque enim illi Superûm beneficio concessum prolem edere, vnde maiorum nomen apud posteros propagari posset. Postremus gentis suæ fuit, si me excipis, vltra sexcentos annos perpetuâ propagine sobolescentis. Hoc sanè incommodum, seu cladem potius, & opinione hominum grauissimam, & per se non leuem fero equidem tolerabiliùs, qui sciam progeniem Priami Regnatoris Asiæ (liceat enim magnis exemplis minima componere) cui centum nati essent, centum nurus non diu Troię excidio superfuisse. Darij tot prouincijs imperitantis stemma vnà cum dominatu ipso intercidit: Alexandri, qui illum vicerat, hęredium tam ingens, tamq; luculentum, sicuti armis partum, ita armis cretum ab ijs fuit, quibuscum ei cognatio intercessit nulla. Ecquænam ergo fuerit animi mollities, cùm Regum deficiant successiones, ruinęq; vel ipsę ruant vrbium, familiam, quotam tandem partem Ciuitatis è communibns fati legibus exemptam velle? Id medius fidius perinde foret, ac humano in cineres collapso corpore membrum eius aliquod, vt de digito Pirrhi vulgò creditur, excipere, in quod flamma rogalis ius non habeat. Sagax

rerum

rerum natura circa vniuersitatem humani mortalium generis sollicita, ne quo casu intercidat, singulorum hominum, quos folijs Homerus comparat interitum susq; deq; habet, prætores solertes imitata, quos de minimis rebus cura non fatigat. Postquam igitur vni mihi tanquam puncto accidit lineam gentis meę claudere, dabo sanè operam, vt ita claudam, Fama saltem vt aliquantisper funeri superstes posteritati renarret me non frustrà tot dierum Soles condidisse. nam eam perpetuam futuram, non voti sum adeò improbi, vti sperem; non adeò arrogantis, vti postulem.

EIDEM.

NOn aliàs me adeò in hibernis riguisse memini, quamuis essem à sagis minimè imparatus. cuius rei caussam cùm à meo contubernali vetere requirerem, ille nihil perendinatus retulit. At ne vllo quidem vnquam tempore laudatus fuisti luculentiùs. Quasi hæc duo inter se respondentia mutuò recurrerent: laudari, & algere. Responsum planè oraculare, & veluti de cortynâ mihi Delphicâ emissum, cui perspectum iam diu sit laudum mearum fatum hyperboreum gelu afferentium, quod me conglaciet, & præterea nihil. Hinc fit, vt illaudatus esse malim, dummodo non illaudabilis, quàm ijs præconijs efferri, frigore mox corripi. Quod sanè frigus cur sæpenumero subsequatur laudem; dignum fortasse fuerit accuratiori operâ disquirere. & verò non inter ea numeratur laus, quæ ab omni labe secreta, innoxia accidunt mortalibus; sed ipsa quoq; vt pleraq; omnia humana, in se habet aliquid, quod ritè auerruncandum Herculi committas: siue illud fascinum sit, siue aliud quidpiam ex eorum genere, quæ ad nos huc pyxis Pandorę detulit. Certè & in nobis plerunq; inanis glorię excitat, alitq; appetitionem, dum longè alios nos,

quàm sumus, fingit; &, vt vitio hoc careat, parcius à viris sapientibus ingesta, fieri vix potest, quin in nos non prouocet inuidiam, non alio stimulo magis irritabilem in laude dignos. Vtrumq; licèt non tam exemplis, quàm experientiâ cuiq; testatum, permitte, si vacat, tibi paucis vt explicem, postquam epistolę argumentum longioris in hac solitudine nos planè destituit. Virtutis pręmium laudem qui ponunt, ijs puto mente excidisse ipsam sibi condignũ, luculentumq; esse præmium Virtutem. Ingenuum alienæ dignitatis, decorisq; testimonium laudem si dixissent, ferendum nobis esset æquiùs, qui non adeò demissi voti virtutem ipsam facimus, vt, cùm se cursui accingit, laudem sibi veluti brauium proponat, si metam pertingere contigerit. altiùs illa humo se attollens volatum dirigit, quàm vt hæc respiciat caduca, ancipitia, & quæ ambitio iampridem improbis quoq; communia effecit. Pij cognomentum Antoninus à Senatu meruit; Commodus extorsit: ambo in id se adoptatos sunt gauisi, licèt pudor alterum suffunderet, cùm sic se, suamq; plus quàm ferinam truculentiam vocari vulgò audiret. Equidem non ita affici virum fortem reor vocibus theatri, vt eius festis acclamationibus se beari putet; infestis verò non secus concidat, ac si fulmine ictus, quippe non ignarus ad famę rumusculos sinisterioris Fabij Maximi aures obsurduisse, dum restituere cunctando rem Romanam pergeret. Per famam iuxtà ac infamiam Paulus humani generis Doctor, & quidem, quod multùm refert, perpessitius, nos iubet rectum tenere cursum ad Virtutis arcem, ad Pietatis Capitolium, quod aliquando euenit, vt anserum quoq; obstrepentium clangore ab insidijs hostilibus seruetur. Quę non à me ideò dicuntur, vt velim neglectum laudis animis inducere, quos natura ad gloriam, laudemq; glorię prænunciam erectos finxit: Sed potiùs, vt multo esse optabilius demonstrem laudem mereri, quàm apisci: quorum alterum est in nobis positum,

positum, & virtutem arguit manifestariam, alterum maximâ ex parte pendet à Fortunâ, quandoq; vel ex crimine quosdam commendante apud vulgus: vnde si Etymologicis credimus nomen ipsum laudis defluxit primùm. λαὸς enim populum, multorum capitum beluam significat; ex cuius ore spirat ista aura, in horas longè mutabilior, quàm flatus ventorum sunt sub exortum Veris. Aliquid profectò foret, non inficiamur, si nos Pythia iudicio suo decoratos famæ daret, quod Socrati olim accidisse ferunt. Nunc verò causa non est, cur plus nimio nobis placeamus, si in eorum ore habitamus, vbi nemo bonus diuersari ferret æquo animo. Verùm Laodicenis istiusmodi laude relictâ, quâ Phœacas illi suos, atq; Bœotios dementent, vlteriùs prouecti dictis hæc addamus, ab ingenuis etiam laudatoribus cauendum esse aliquando, ne progressus nostros aut remorentur, aut interrumpant vanis imaginibus animum fallentes, in spes suas vitio gentis humanæ nimio plus pronum: & qui se iam profecisse videri malit, quàm proficere. Eximîam multorum indolem, & ad maxima queq; euasuram ista sæpe perculit calamitas sub ipso bonæ frugis flore. Hinc scitum illud emanauit græcorum prouerbio testatum. † τὴν οἴησιν ἐγκοπὴν εἶναι προκοπῆς. retrô sub lapsum fertur omne studium, omnisq; adeò progressio in virtutis via: vbi tanquam ab aliquo maligno sidere afflatur à falsâ quippe nostri persuasione? cuius præcipua suada laus est; præsertim si in aures credulas inciderit. Nec verò in medium allatis ad uersatur vetus illod verbum. Virtutem laudatam crescere; si laudem hîc sumas ab hortatu parum differentem, quam parænesim appellant græci, verbo per quàm apto, nempe quæ ἀνέσεως, hoc est laudis affinis sit, nec iam tamen ἄνεσις. Itinere namq; recto ad decus incedentes sic solemus alloqui. Pergant porrò alacres, nec ad diuerticula deflectant in alia omnia ducentia. Hæc siue monita, seu hortamenta non aliter erectas indoles accendunt, ac Martis alumnos

† Biantis apud Laertium opinationem esse profectus, progressionisque retardationem & impedimentũ.

ſonus buccinę. Verùm id adnotatu non indignum puto, Virtutem, de quâ modò loquimur, non adultam eſſe numeriſq; abſolutam omnibus; ſed adoleſcentem, & adhuc impuberem, quàm rudimentum potiùs virtutis dixeris, ſi ſcias, perfecta quæ ſint, qualis virtus maximè habetur, incrementis parùm indigere, defectum magis, quàm ſummam abſolutionem indicantibus. Hinc ortum illud βαλλ' οὕτως à grçcis vſurpari ſolitum, Virgiliano illi non abſimile.

+ Acclamatio Homerica, qua vti cõſueuerant re feliciter peracta, vt illud. Ιὼ pæan.

Macte noua virtute puer, ſic itur ad aſtra.

Itur, inquit, non peruenitur, ne viæ metam contigiſſe ratus nihil ſe debere amplius Dijs vialibus putaret. Laudis verò, & promeritæ iam ſatis, & à dignis omni laude laudatoribus tributę alicui longè alia eſt ratio. Non enim illa profectum remoratur, aut impedit, ſed inuidiam laudato ita creat, vt ſolenne illud verbum præfiſcini, ſit ipſi quoq; vſurpandum, & frons baccare cingenda, ne lingua noceat. Exempla huius rei adſtruendæ tulit omnis ætas: nobis vnũ modo occurrit Sopatri ex Platonis Academiâ philoſophi. Florebat is Conſtantino Magno rerum potiente, vt in hiſtorijs habetur, nec contentus mirifico ſcholæ ſuæ plauſu, amplius theatrum, vitio gentis humanę concupiuit, Regiam nimirum, vbi præter cœteros principem quoq; haberet ſui pectatorem, fauitoremq;: nec eum omen fefellit. Venit, vires ingenij exprompſit, placuit, ab omnibus primùm laudatus: deinde poſtquam ſenſim in gratiam Cæſaris euaſerat, ab eis dolo appetitus, quorum è re non erat philoſophiam Regię aſſueſcere nimium familiariter, donec illi idem planè accidit, quod Calliſtheni olim apud Alexandrum. Huic, atq; adeò ipſi Conſtantino indignabere ſat ſcio: quod tu quidem iure facturus es, meq; habebis ſocium. Verùm demus cæteros non ita credulos delatoribus futuros, ecquiſnam erit laudatorum ſtatus inter aulicorum odium, æmulorum fraudem? Equidem diſperire malim, quàm ſic viuere. Nec quis mihi Ariſtippum memoret ſub

philo-

philoſophi pallio vrbanum ſcurram, vel Gnatonem potius tegentem: cuius cum omnis cura in curandâ cute ſic euigilaret, vt cor in ventre habere videretur; nec cenſus ſumptui par eſſet, inuenit, inſtitit q; viam, vnde ei, quę ad victum pertinent, abundè ſuppeditarentur, cultum nẽpe Regum, quibus erat carus non tam ob eruditionem, quâ pollebat plurimùm; verùm etiam ob ingenij feſtiuitatem, iocis conuiualibus accommodam. Hunc illi proponant ſibi exprimendum, quibus res curta domi eſt; nec cum re benè conueniens cupiditas. Nam mihi Superûm beneficio, & maiorum virtute tantæ ne cogitanti quidem opes obtigere, vt non vnos Ariſtippos domi de meo alere queam potiùs, quàm eorum artes ęmulari debeam. Accedit, quod nec Natura ad luſus mores dedit, potentiorumq; gratiam captandam, demerendamue: ſed ad vitam colendam magis aptos ſegregem, inamœnam, genio inſeruire ſuetis improbabilem: vt non mirum videri debeat, ſi laudatus aliquando, algeò continuò: quo ſanè algore, ſic me Muſæ ament, haud indelector, cùm mecum cogito, quantum iſtis feruidis negotij ambitio faceſſat. Illis nulla quies, nulla vacuitas ab angoribus, vt primas teneant. me mea eò adigit ruſticitas, vt his votis candorem præferam ſimplicem, infucatum, luci concolorem, quæ diuos, quæ ſidera conueſtit; Cycnosq; ſi quid ad rem facit, Muſarum clientes pulchriores reddit: quorum ego eſſe quàm ſimillimum quid verò ni cupiam? eiuſdem cum illis factionis; & qui capitis niuibus iam albeam? Candidatus ſim, quoad viuam, lubens: nullo rubore perfundar: modò neminem prænſem: nihil ambiam; nil vllo vnquam tempore iſtiuſmodi rerum ad piſcar, quas me impetraſſe non omnino gaudeam. Non enim, ne contemnar, timendum mihi putaueris; ſi priſcæ meæ conditioni adhuc hæſero. Enitar, vt me vindicet ab hoc periculo præclaris aribus ſtudium impenſum; ſimul conſtans animi propoſitum nihil admirari,

nisi

nisi quod virtute hominibus paratur. Prҿterea se se demittentem animum hæc erigit cogitatio, fore fortasse tempus, cùm de me sera posteritas loquetur, complurium oblita, ex eorum numero, quos postridie eius diei, quo efferuntur; vixisse nemo vllus meminit. Nam qui ex se ipsis sumunt decus, quod titulis virtute acquisitis regerant, ij mihi Heroes; ij mihi Diuis proximi videntur. Habes longiorem de frigore historiam, quod nobis intulit laus à summo Viro tributa liberali manu: ne, si rumor illam ad tuas vsq; aures difflauerit, tu quoq; rata fore putes, quæcunq; inde amici euentura sperant; ҿmuli exhorrent: nos verò nondum constituimus in numero ne sint optandarum rerum. vt dubij porrò super hac re simus; illud facit, quod Rhodus, & saltus abest longè gentium: nec animo aliæ cogitationes desunt, quibus se maiori compendio, cùm datur otium, oblectet. Vale.

EIDEM.

NE dum sanè quidem abesse videris, cùm abes mi Henrice, qui in sinu, oreq; habites non inquilinus, aut hospes, sed legitimus, & vetus incola. Idem ipsis oculis te ferens, quo iure vocari potero locorum à te spatio diremptus? Desine igitur mirari, si raro ad te scribo, tecum sæpe loquor. quis enim per epistolam compellet coram adsistentem, nisi mutus ipse, vel cui cum capto auribus res sit. Te, si secus sentis, litterasq; flagitare pergis, fateri quoq; necesse est me alio apud te esse loco, quàm tu apud me es. Veriùs tu quidem fortasse opinaris: ego amantiùs longè, ac iucundiùs, quem error, vel dum fallit maximè, oblectat. Vale.

N.

SI non nisi oculis corporeis laus summa Maximi Pontificis discerni posset, quin iter ad vrbem ocyus arriperem nulla me ætatis ratio, nulla viæ incommoda remorata essent. Vrsissem equidem ipse me, & cursui quantumuis præpropero calcar admouissem, vt præsens præsentis optatissimo fruerer conspectu. Nunc verò, cùm & virtus in eius Beatitudine eminens non alia quàm mentis acie percipiatur, & iampridem eminus spectata eos in me cultus, atq; obseruantiæ produxerit affectus, vt locus amplius reliquus non sit vllis eorum incrementis, officij desertor minimè videbor, si Sanctit. eius ritu veneror huiusmodi, quo Numen, quo Diuos soleo, quibus est tam proximus. Quotidie de Beatitud. eius aliquid animo reuoluo: Pontificatus sui decora, & inde Reipublicę Christianæ fructus prouenturos spe præcerpo: est quando etiam Principem, summum, tot, tantisq; districtum curis adeo interuentor haud importunus, & quem nemo volo obducto procul arceat. Mihi quoq; sic consulo non nihil: si enim tot terrarum spatijs diremptus intra iactum inuidiæ telorum sum, quod ob nescioquid litterularum aliquam mei mentionem in sermone fecerit: quid præsenti erit, & fortasse non frigidè (quæ eius est humanitas) excepto? Dicar ab æmulis, quos mihi peperit mea in Eruditissimum Pontificem pietas, simul eius in me voluntas paulo propensa, prænsatum venisse veluti in campum candidatus senex: feræ ambitioni dabitur, quod meis me è sedibus commouerim, Vrbis alioquin cultor parùm frequens. Quæ ante ego quàm audiam, Ithacam istam meam montibus affixam incolam libentiùs, mihi, gregiq; inter studia litterarum viuens. Hæc mea mens: nisi Sanctiss. Domino aliud videbitur, & quod benignitatem eius velle tibi videtur, iusserit potestas

ſtas aduersùs ingenium, geniumq; meum valitura. Deus votis noſtris annuat, quæ quotidie de incolumitate Max. Pontificis rite nuncupamus, & te hilarem in dies magis reddat. Vale. Belluni.

HIERONYMO ALEANDRO.

EGo verò Apennino tranſmiſſo eo, quo poſſum, modo Romam venio, cogitatione nempe, atq; voto. Hæ meæ bigæ ſunt, quibus iter ingreſſus vehor, ad Vrbemq; dicto ocyus me ſiſto, pulueris, & luti aquè expers, viatico hoc contentus vno, voluntatis in id vehementiori applicatu. Sic me peregrinari docuit neceſſitas ſolers illa adinuentrix artium omnigenarum: ſic te animo dimidiato fruor: nam tu cùm eius altera pars ſis, facis, vt ne ex aſſe quidem vel tunc abſim, cum abeſſe videor. Herotica iſta admiranda nemo iam miratur, cui pectus amoris viuâ face vnquam incaluerit: alioquin quis diuortia longa ferret amicorum, niſi Thalus eſſet, quem ferreum fuiſſe perhibent? Hinc adeò fit, vt ſilentium nobis minùs noceat, neceſſitudines diſſoluturum procul dubio, niſi allocutionis vices cogitatio expleret frequens: cui ſi accedat mutuus litterarum vſus, ne deſiderio quidem quicquam deerit, quod præterea expetat. Id quia ſolus ego præſtare haud poſſum, te oratum volo, vt me iuues reſcribendo ſæpius. Ita diſtantiæ incommodo, iunctis inter nos operis, negotio planè nullo, occurremus. Vale.

IACOBO VECTIANO.

ANnum iam me ſiluiſſe abs te tam amanter prouocatum ad ſcribendum, ſi non miſerum eſſet, inurbanum foret. Huius tam longe ceſſationis cauſſa funus Fratris fuit, vnici, vnanimis, quod me planè ipſum mihi, nedum

dum omnem officij memoriam eripuit. Totum istud tempus iacui in luctu interuentoribus nullis adeundus, nisi queis idem affectus lacrimas eliceret, quibus dolor meus aleretur, contumax solari. Nunc ad consueta munia reuertenti mihi nil fuit antiquius, quàm ad tuas litteras rescribere, quibus significabas te Romam primo vere cogitare, vt Vrbanum Pontificem venerareris, tibi ante cognitum, quàm summus piorum Parens vocaretur. Executusne fueris cogitatum iter, nondum comperi. Quandoquidem longa nos interualla viarum dirimunt, nec est, cui tutò dare litteras possimus. Scire aueo satin res ex animi sententia processerint. Cardinalis tui postrema quin tibi luctuosa acciderint, non dubito. Princeps erat perhumanus, & qui plures sui memores merendo faceret. Accedebat Præsulis nomen, quod tacitè illum admoneret, vt te, tuosq; ciues charitate prosequeretur singulari.

Hæc reuoluens animo dictabam, cum ecce tua Epistola superuenit, ipso Natalis Domini peruigilio conscripta. Ex eius lectione certior sum factus te adhuc in patria morari, spe non lentum minùs, quàm typographus Bononiensis dilator est: qui tandiu epistolas tuas prælo torquet, vt velint, nolint in lucem proditaræ sint castigatissimę. Pierij libellum aureolum illum quidem ac perlepidum, licet tetricioris argumenti equidem non miror tibi placuisse, qui nouerim tam ingenium legentis, quàm Auctoris genium, victuri donec erunt, qui litteras mitiores colant. Eiusdem hîc apud nos extat volumen authographum, ingens, eruditum, Emendationum in Pandectas, vulgatę editionis, quos ille curâ anxiâ contulerat cum Florentinis, assiduus cultor Mediceę gentis. Hoc ego quoq; volumen quin publici iuris facerem, id obstitit, quòd non multo post tempore eosdem locos pertractauit diligenter Antonius Augustinus Iurisconsultus, Criticusq; idem famæ satis notus. Epistolam habes planè geminam pro vnica, qua mvnis tuis litte-

ris debebam. Appendicis fuit aliquid addendum loco fœnoris, ne impune forem nimiùm cessasse. Vale. Belluni. viij Cal. Februar. postridie eius diei, quo tuas acceperam gradu iter testudineo emensas.

HENRICO DAVILÆ.

TV quidem homo es mirificus, qui me non ante de tua valetudine scire voluisti, quàm conualuisses, scilicet vt vnæ, eædemq; litteræ & solicitudinis nonnihil, & consolationis plurimum afferrent. Permolestum sanè fuit te Virum Pancratici roboris, atq; firmitatis cum febri tam diuturna, tam non probi moris conflictatum, sed tantisper modò dum epistolæ tuæ limen preterueherer, mox se se in lætiora; & quæ maximè volebam, explicantis. Inaudieram pridem de Asilani cæli grauitate aduenis inhospita, noxia indigenis; & te illic consedisse ita non æquo ferebam animo, vt nunc gratus accidit tuus in vrbem ad amicos reditus. quorum medius fidius vel aspectus ipse, ne dum familiaris allocutio virium plus habet ad fugandos morbos, quàm Asclepiadarum formulis temperatum poculum. De Bono, & Mauroceno Heroibus nostris quæ narras, periucunda. nihil est consuetudine eorum amabilius, nihil fructuosius. Nos, quod vnum possumus, datis ad illos litteris frequentibus, absentiæ sarcimus damna longioris. Diuinè, vt fermè omnia Annæus Seneca Sacerdotia comparans relegationibus: neq; nos inscitè, cùm nostri ordinis homines colonos glebæ adscriptitios vocamus. Quæcunq; forte contigit terrarum regio, nobis obfirmato animo est inhabitanda seu caloribus nimijs damnata, seu niue rigens, qualis est hæc nostra inaccessa rupibus, &, si foret pelago circumflua, Ithaca ipsissima. Vbi ne frigore planè torpeamus, non dolium, vt olim Diogenes, reuoluimus, sed libros, vt se dant in conspectum, nouos, veteres, omnige-

nos,

nos, profectu, si rogas, per quam modico, sed quem suo melle condiat varietas mira illa satietatis expultrix, illex voluptatis. Idem te facere non addubitamus in istis tuis bellici negotij diludijs; quæ tibi, si actuosa virtus feriari diu à labore potest, longiuscula à Deo ad precamur. Vale, & nos, quà potes, crebriùs inuise. Litteris admodum tuis oblectamur, præsertim cùm noui aliquid afferunt ex ista Africa, quod non sit vulgi rumoribus penitùs obtritum.



ALOYSII LOLLINI EPISTOLARVM

LIBER QVARTVS.

SCIPIONI *Cardinali Cobellutio.*



DIu eſt, cùm Bibliotheca Palatini Comarchę litteratâ opulentiâ inclita habetur. Ingentem vím auctorum veterum, nondum pręlo excuſſorio temeratorum ibi aſſeruari memorant, queis facta olim facultas adeundi, exſcribendiq; nec ego ad ea fuerim incredulus, quæ quàm veriſſima eſſe valde vellem. Hæc igitur ſimulac ex vrbanis commentarijs accepi à Bauaro nunc rerum potiente impetratum, vt Vaticanę, quam tu Illuſtriſs. Domine accuras, inferatur, Epiſtolam gratulabundus tibi deſtinaui, cuius eruditioni doctorum non modo otium, & negotium, verùm etiam Mars ipſe militat, alioqui ſtudijs infenſus. Magnum Romanis opibus cumùlum præda iſta afferet: maius ſublimioribus ingenijs oblectamentum: decus tibi maximum, quo auſpice tropica hæc fiunt merce exoticâ vrbem ditatura, cui nos quoq; copiolas noſtras reſeruamus hinc inde à naufragijs Gręciæ collectas. Eò tamquam in Palladiam arcem conuehi par eſt, quicquid armorum ſolers antiquorum Patrum adlaborauit vigilantia aduersùs religionis perduelles. Sed reprimam iam me, donec abs te certiora, atq; exploratiora ſpei meæ firmandæ perferentur. Interea fauſtas tibi à Deo adprecor Calendas anni hunc abire properantem,

perantem, excepturi, deindeq; alias, atq: alias, vti tua pietas meretur. Vale amplissime Præsul, litterarumq; patrocinio celebratissime,

SCIPIO *Cardinalis Cobellutius.*

ALOYSIO LOLLINO.

VErvm est, quod audisti Serenis. Bauariæ Dux, Heidelbergâ captâ, Bibliothecam Palatinam S. R. E. dono dedit, iamq; illhuc à S. D. N. emissus est, qui eam ad Vrbem transferendam curet. Itaq. hoc euentu merito lætaris, qui non minùs huic Sanctæ Sedi gratus fuit, quàm optimo, & fortissimo illi Principi gloriosus: Tu, inquam, meritò lætaris Episcopus tam doctus, quiq; consilium illud tuum tanto exemplo comprobari cognouisti. Mirum sit, ni tibi stimuli admoti esse videantur celeriùs perficiundi, quod apud animum pridem statuisti. Ad gratulationem mihi tuam quod attinet, agnoui vetus tuum studium erga me, cui magnâ, vt debeo, voluntate respondeo; id quod amplius sum declaraturus, cùm inseruiendi tibi erit occasio. Interea Deum precor, vt nouum annum, & plures consequturos tibi prosperos tribuat. Ex Vrbe.

D. PATRI BRVNONI *Generalis Cartusiæ Præfecto.*

HAbet profectò in se vim maximam virtus ad conciliandas amicitias, cùm famæ commendata terras peruagatur. Inde fit, vt te longis locorum spatijs dirempt um compellare aueam ignotus fortasse salutator, vadariq; sacri amoris vadimonio ad mutuæ necessitudinis officia mecum excolenda. Causa talia audendi mihi fuit eruditio perspecta cùm tuis in epistolis nonnullis, tum in eâ maximè oratione aureolâ, quam in Conuentu vestri Ordi-

nis

nis Patrum habuisti. Scilicet mecum reputabam admodum raro euenire, quin humanitas veluti varra vibiam, eruditionem subsequatur. Accessere Ægidij Vedanensis Cartusiæ Pręfecti hortaměta longũ ad vos iter meditantis. Is fidũ tabellarium se obtulit, nec ego ei litteras negare debui, quibus viri probitatem plurima consuetudine mihi satis cognitam, moresq; dignos professione arctioris vitæ contestarer. Huic si se placatam tua pietas præbuerit, summopere mihi gratum erit. Iuuat enim amicitiam nuperam ritè inter nos institutam ab huiusmodi commendatitijs formulis auspicari, in hocq; tirocinium ponere abs te aliquid petendi, cui nihil planè, si quando se dederit occasio, sim denegaturus. Vale dilecte Deo Vir, & mihi admissorum veniam, pacemq; tuis precibus cęlitùs exposce.

ALOYSIO LOLLINO
Bellunensium Episcopo.

D. BRVNO *Generalis Ordinis Cartusiensis.*

LEgi litteras Vestræ Dominationis multo thymo, & amaraco purę latinitatis odoratas, ad quas tamen statim erubui propter laudes illas immensas, quibus me illa voluit in illis ire ornatum, quas nec mihi arroganter tribuo, nec eas iuxta vetus verbum, tamquam Scytha equum accisso. Noui enim cum illa Sareptana, quàm parum farris mihi sit in fidelia, & olei in capsace: si enim me Vestra Reu. Dominatio propiùs ruspectur, profectò inueniet vel vt est in fabulis ceruam pro Virgine, vel iuxta sacras litteras, positum pro Dauide simulachrum. Quicquid sit, gratias latas, & grandes ago, & habeo pro singulari suo erga me amore, cui ex Theocrito † Τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. Legi dodecasyllaba, quæ diuite vena fudistis in laudem Sancti Brunonis, primi Cartusianæ disciplinæ depalatoris, tersa cer-

† Nō pulchra, pulchra videntur.

ſa certè, & plena Venerum, & lepôrum, quæ, vt verbo dicam † Ταῖς χερσὶν ἰδίαις ἐξεπύνησε χάρις. Ex ijs, tamquam Rex ille Ægypti ex calceo Rhodopues, agnoxi eximiam ingenij omni ſcientiarum genere exculti pulchritudinem, & opulentiam, à qua tamquam à quadam naphta incalui ad illam amandum, & colendum. De Ven. Patre Priore Vedanenſis Cartuſię bono humillimi mei obſequij vade, & pręde, referet ipſe, quantum apud me roboris, & neruorum habuerit docti, & pij Pręlati commendatio. Itaq; tibi Reu. Antiſtes pro ſuo iſto erga nos, & Ordinem noſtrum ſtudio, hunc animum meum ære, & libra tuum, non dicis cauſsa, ſed ex puro corde humillime offero, quem Veſtra Reu. Dominatio inueniet inter denſas huius laneę noſtræ niues ſemper ardentem ad magnarum ſuarum virtutum, & edecumatę eruditionis reuerentiam, & ęſtimium. Quam Deus diutiſſimè ſeruet incolumem in columen, & lumen Eccleſię. Cartuſię. ſedente Capitulo anni MDCXXV.

† Manibus proprijs elaborauit Charis.

FRANCISCO *Cardinali Barberino*.

BEnignè tu quidē Domine Eminentiſs. datis ad me litteris iubebas, vt te nonnunquam ſaltem per epiſtolam inuiſerem. Sed me, quin id facerem, pudor quidam ſubruſticus hactenus inhibuit illud inſuſurrans: Paucis eſſe obſtrependum auribus Principum Virorum, quibus, ne quando quidem otiari in ſpeciem videntur, à rebus modò meditandis otij eſt ſatis. vt omittam curas maximam fortunam veluti Solem vmbras, comitantes; ſtudiaq; ipſa litterarum ſubciſiuis horis illi reſumenda, cui magni Patrui exemplum faces addit ad egregias artes inter negotia ardua tractandas. Accedit non debere nos ſępe appellando autoritatem, & gratiam tui ſimilium deterere, ſed eam tamquam ingentis indicaturæ gemmam aſſeruare in theſauris, inde, cùm ſe dat occaſio, promendam: Cuiuſmodi iſta eſt.

Me

Me lex annalis admonet, Episcopis dicta, limina Apostolorum adituris, vt Romam eo modo veniam, quo per valetudinem datur, non satis nunc habilis itineri, per alium nempe muneri huic destinatum. Hunc ego Princeps Illustrissime non tam suo nomine libenter, & quâ soles humanitate, vt excipias, oro, adprecorq; est enim Pamphili Persici tibi ob fidem, & virtutem cari frater, fratri non absimilis: verùm etiam quia te meam vicem est veneraturus. Ex eius ore, ne pluribus tua morer tempora, accipiès, quanti apud me sit in eorum numero censeri, qui fauoris prerogatiua tui, licèt longis locorum interuallis dissiti fruuntur. Deus amplitudinem tuam Illustrissimam incolumen Ecclesię tuæ bono, tuorumq; expectationi diu seruet. Vale.

Iacobum Persium Cathedralis Canonicum.

HIERONYMO ALEANDRO.

PEr litteras te interpretes alloquor Vir doctissime, cuius præsentis amplexum spe iam conceperam, sperata executurus procul dubio, nisi valetudo incommoda intercessisset, senectutis omniùm pęnè horarum fida comes. huius iniurię acceptum refero, quod Vrbis, & Vrbani Maximi Pontificum optatissimo caream conspectu: quodq; in epistolas, viuę vocis tenues imagines iterum relabor, quibus desiderium leniam, si quo possim modo. Nempe hęc me potissimùm solantur, nondum omnium dierum Soles occidisse; dilatum mihi esse, non oblatum gaudium, quod eram istuc veniens summum percepturus; non oculos esse, qui vident, verùm mentem animi: hac siquidem cogitationibus defixâ sæpe numero obuersata oculis quantumuis intentis minimè videmus. Quid enim vetat nos affectibus nostris obsecutos cum Anaxagora, magni olim nominis philosopho, sentire explosis putidis Etymologiarum consarcinatoribus, qui τὸ ἐρᾶν deducunt ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν quasi Amor ipse non vtroq; captus lumine fingatur. Sed paucis

philoso-

philoſophari Ermianus Neoptolemus permiſerit, pluribus non item: præſertim cùm tecum agitur, cui ſunt vni omnium iſta cognitiſſima. Igitur ſtylum aliorum vertam, vt epiſtolam (eſt enim ſenile† λειχωνισμοφοβιά) reddam magis garrulam, quàm principiò mihi propoſueram. Tu, qui mirus es veſtigator operum elegantiorum, legiſti ne vnquam Ioſephi Ripamontij, nuperi hiſtorici Annales de Eccleſia Mediolanenſi? Equidem ad me non ita pridem delatos ita ſum miratus, vt non magis Phidię ſignum priſca ætas. Siquid ego iudico, vberem illam Liuianam copiam, Taciti argutijs conſperſam referunt; autoriſq; arguunt ingenium ſui ſęculi facundia minimè contentum iniuiſſe viam, quâ feliciori auſpicio famę innoteſceret. Quid tu de illo ſentias, ſi vacat, reſcribe; noſq;, quod facis, ama quamuis à te longis terrarum ſpatijs diremptos. Quærengum inter Vrbis æternę admiranda ob litteras, & virtutem reponi meritum ſaluta meis verbis. Vale.

† Breuiloquentię metus.

FORTVNIO LICETO.

TV verò mi Fortuni huius meę ſolitudinis miſertus aliquid ad me ſubinde mittis, quo, & ipſe eam ſuauiter oblectem, & tu te minimè ceſſatorem probes Muſis, abs te ingenij penſum exigentibus. Quantum ex pagellarum paucarum lectione potui conijcere, liber eſt egregij laboris, & te dignus. totum poſtquam accuratiùs euoluero, quid de eo ſentiam ad te perſcribam. Interea iudicium probo, quod diſceptatorem controuerſię optaueris Donatum Maurocenum illum eruditorum anteſignanum, patronumq; maximum, à cuius ego ſententia ne latum quidem digitum diſcedam. Sed næ tu Nilum bibentibus multo es fœcundior, qui ſemper aliquid parias, parturias, quod litterariam annonam ditet vberi prouentu. Vita modo ſuperſit, incœptiſq; aſpiret Numen, Varronem nepotum

Romuli doctissimum polygraphiâ es superaturus. Vale, successu amici augurium adfirma. Nos hîc ætatem in gregis cura, bonarumq; artium studijs procudimus, valetudine non admodum incommoda.

IOSEPHO RIPAMONTIO.

IGnotus fortasse te compello Ripamonti, mihi ex eo vsq; tempore sat cognitum, quo historiæ tuæ decade in lucem editâ, felici augurio famę innotuisti. inde meum in te effusum studium: inde amor ortus, qui mutuus vt porrò sit, amicitiamq; quamuis infacundus interpres inter nos conciliet, pauca hæc per epistolam me præfari cogit. Ego studijs ab ineũte ætate innutritus hactenus processi, vt quos flores doctrinę, atq; eloquentię meis lucubrationibus desidero, eos in alienis summa cum voluptate suspiciam, adprobemq; libens. Illud ingenij tarditati, hoc ingenuitati naturæ si attribuis, nec multùm à verò aberrabis, nec mirabere, si prior ad te scribens veluti fundamenta iacio futuræ inter nos necessitudinis, cui occasionem tua scripta dederant. Cedro digna illa quidem, & quibus, si quid ego iudico, nil deest præter promissi fidem, Lectori auido spondentem breui te cętera prosecuturum. Quod vt facias, te rogare minimè contenrus, oro, hortorq;: &, nisi tantum fiducię nuperum amicum arrogare sibi, subimpudens sit, etiam admoneo. Florentis certè tuę laudis intererit, præclaris Historię exorsis egregiam coronidem imposuisse. Vale.

IOSEPHVS RIPAMONTIVS,

ALOYSIO LOLLINO.

PErtulerat etiam olim ad nos de te fama, quemadmodum antiquorum Patrum litteris, & innocentia simillimus

limus Bellunensem istam Ecclesiam obtineres, & paucę fortassè nomen Vrbis, eximię cuiuis celebritati sanctimonia tui Pontificatus æquaret. Atq; perfecti Episcopi exemplar inter isthęc Saxa cum ex longinquo mecum ipse contemplarer, litterę tuę superuenerunt, quibus inspectis, omnes animi mei partes altius in eâdem contemplatione defigerentur. adeò amabiliter graues, & in ipsa mansuetudinis significatione refertæ cuiusdã excelsi animi notis erant. Purè loquebantur, & optimarum artium studijs intentam vnicè mentem præferebant. Ego verò non alacri solum, sed etiam reuerente, sicuti decet, animo munus accipio pulcherrimum, quò beneuolentiam mihi tuam offers, ac pro eo me tibi vicissim in seruitutem trado. Quod mea scripta probari tibi ostendis, valde ob eam rem lętus sum, ac tanto magis lętus, quia non perinde omnibus probantur. Iam enim querelas audimus partim requirentium aliqua, partim ob alias minitantium. Pars hæc altera qualiumcunq; historiarum iam ad vmbilicum propè perducta est, & curę mihi erit, vt statim ad te perferatur. Sed & litterarum inter nos continuari commercium vehementer cupio, atq; vt fiat, & respondebo lacessitus, & lacessam. Mediolani.

FLORENTIO SVO.

COnterraneum nostrum, credo, meministi, illum, inquam, de Coclitum stirpe Leontonymum, cui, quo minùs præclarissimorum Rhetorum numerum impleret, quod profectò à puero cupierat perditum in modum, non ingenium sequax, non cura anxia, non oleum, quod dapsile opes suggerebant, sed natura ipsa parùm æqua obstitit, litteræ sonum ei inuidendo, vnde Rhetoricæ artis, quo ipse remis, velisq; ferebatur, nomen inchoamus. Is postquam toga in pallium mutata in patria desijt morari Ro-

ma ὄμμα, rota ὦτει, reges deniq; ἄγες, myra μῦα audiebant: resq; in eo erat, vt rumor ipſe, qui ſolum iampridem verterat, vel medio in foro conſpici auderet, non ſuo amplius capiti, non caudæ timens. Eumdem nuper his auribus meis audiui Vrſum importunam beſtiam in vſum, arcum quinetiam in acum, neruum verò, quo arcus tenditur in næuum momento temporis vertentem. Quod ni linguam eius pręteruectus fortis euaſiſſet, Photis ancilla Theſſala fiebat è veſtigio. Hoc pręterea ipſi perfamiliare eſt, quod Hidram, Remuliq; gemellum Remum inter inſignes terrarum orbis montes Idam, & Emum ſolet recenſere: Rhenum verò Germanicorum fluuiorum maximum, poëtico ectopiſmo, atq; Homerico illi non abſimili, quo Cimmerij in Heſperias oras deportantur, in fines Horicos traducere, Oenumq; inuitiſſimis geographis indigitare: nam Maronem Vigilium vocare, quod illi ſolenne eſt, inaudita veteribus nomenclatione equidem culparem, ni ſic litem maximè controuerſam apud grammaticos diremptam nullo negotio animaduerterem, Vergiliasnè ſit dicendum, an Virgilius. Conſultò plurima omitto, ne longum faciam, ſimul vt oris hominis hiatum vitem, quem iratum illum diducere teſtantur, qui eo vtuntur familiariùs, vno hoc contentus, quod non illepidum prorſus memoratu reor. Inaudierat fortè, vt eſt reconditę eruditionis non incurioſus, Trypiodorum poëtam inter gręcos non vulgarem, quòd sygma ei littera peccaretur, opus oppidò arduum, & voti planè improbi tentaſſe, perfeciſſeq; Homeri Vdyſſeam, quàm longa eſt, ita retexendo, vt in ea veſtigium inuiſæ litteræ nullum remaneret, quod illi blęſitatem lingue, ſi perlegere aſſa voce vellet, exprobraret: idq; eam ab cauſam λιπογράμματον iure inſcripſiſſe. Nec auſu hominis indelectatus eamdem ſolertiâm ęmulari cœpit in Ciceronis libris à S caninę litterę vindicandis. Hanc ille nunc incudem tundit pernox, perdius, laboris aſſidui incommoda rependens, ſperatâ,

ratâ, prȩceptaq; iam animo nominis sui commendatione. Cui vix olim par Periclis laus, qui populares suos, vt Aristophanes iocatur, ἀαμήμκξε Τῶν συγπά Τοον ἐυριπίδου. Ipse enim primus, dum se ad speculum dicere anxiè exercet, verborum vitauisse sonum perhibetur, quæ stridorem obstreperum emittunt. θαλεισσαν, πίσσαν, σέρξην non aliter temerè enuncians, quà t. in sygmatis locum prius cooptato: vnde Comicum illum iocum ortum ferunt Notum, νόσσον Atticam vocantium. Tanta priscis illis Cecropidarum posteris religio fuit sygmatias voces euitare. Eiusmodi friuolis, pro quibus nauci suum Afranius non daret, morbum suum solari Consueuit Arion noster. Enimuero quidni Arion sit, cuius elocutio non minus caret r. littera, quàm lignis axylus, auibus Aornus? nec non Metelli Pontificis maximi exemplo, quem linguȩ fuisse accepimus tam inexplanatȩ, vt multis mensibus se torserit, dum in dedicandâ sacrâ quadam œ le Opiferȩ pronunciare meditatur. In eo verò non infacetissimus videri potest; quoties domum redit, Homericâ imitatione domum edit; ipsius est enim, δόμον ἐμόν ἔδοντον: cum os rodit, odit: cùm se in arctum agit, actum agit. Non te puto prȩterit syagium vocari suem efferum ab istis lucilij æmulis bilinguibus, qui in latio sedulò grȩcissant, inter grȩcos penitùs elingues. Igitur in huiusmodi feram cùm fortuitò inter loquendum incidisset, propius nihil abfuit, quin eam mirifica apotheori extolleret vltra quàm sanè debuerat, eâdem planè operâ, quâ olim idem præstigiator graphicus Ciceronem in Cyceonē, phrasin vero eius in Phasin fluuium liquauit. Hanc suam metamorphoticam artem, Aten ipse vocat, haud falsus equidem interpres. Quid enim aliud quæso fuerit, nisi Numinis ira, grauisq; disertum se videri cupienti homini calamitas eiusmodi Battologia? Florebat belli iuxta ac pacis artibus Atheniensis iuuentutis Princeps Alcibiades non minus Socrate, quàm auunculo Pericle iugens, à nemine

vnquam

vnquã iniuriâ impunè impetitus, ipse vltrò plurimos etiam lacessens per diuitiarum comitem proteruiam. Huius tamen tot dotibus exaggerata indoles comicorum scommata non effugit ob linguæ vitium ad nostra vsq; tempora traductum, quo fiebat, vt κόρακας in κόλακας impurissimum genus hominum mutaret. & miramur, si huic mitissimi ingenij homunculo, præsertim logodiarrea, infesto senili eius ætati morbo, laboranti ludificabiles à suis ludifiunt domi? cum in suberrata eiusmodi, ac veluti improbę monetæ nomina aliquando incidit. risu penè diffluo, cùm illud cogitationibus occurrit. In macello carnem poscebat importunius, ex quo canem lanius in eum irritauit, vt vix saluâ se potuerit penulâ proripere exclamans sibi non ita fuisse satisfactum. eidem etiam cibum allatum ferunt pro cribro à rudi ancillâ nondum mores domini edocta, qui Pręnestinorum more lucrifacere in loquendo nonnullas litteras soleret haud contemnendo parsimonię compendio, quam ditari quouis vel exiguę rei vectigali constat. Valerios idem, Furiosq; mirus antiquariùs, explosis, receptìs iam à consuetudiue nominibns, Valesios, Fusiosq;, vt olim Arunci loquebantur faunis prognati, Quintiliano monitore vocat. Vis plura, magis noua, admiranda, & omnem naturæ ordinem supergressa? Africam hîc nobis fingimus, & non visum, non auditum priùs aliquid adsingula ferè eius verba exoriri demiramur. Tu his considerandis te aliquantisper detineas, dum nos alijs colligendis occupamur, & Vale.

LAZARO FERRATENSI.

NIl mirum, si silent musæ, cùm Mars lituum inflat violentus: illis litterata otia sectantibus nil cum eo conuenit, accendere animos ad arma solito. Infelix Italia campus destinatur, vbi aduersę inter se acies confligant,

eadem

eadem pugnę ſpectatrix futura, prœda eadem. Neq; enim de finibus eius promouendis cernitur; ſed vter de poſſeſſione alterum deturbans, illi dominetur; mutare, non excutere iugum aſſuetę. Ipſa dum mala præſentia faſtidit, peiora ſibi quæſiuit, inuenitq; praui compos voti, poſtremamq; cladem perditis iam rebus allaturi. Clauus clauo truditur viſceribus intimis hæſuro; donec alius atq; alius ſuccedat idem malorum vindex, autorq;. Fatale eſt regionis, olim Regnatricis, vt ab eis ſe conculcari videat, quos domuit, quaſi vices reddente fortunâ, cœterà variabilis, in hoc tantùm conſtans, ne gens victores ſuos, poſthac vnquam vincat, victa toties. Vel Inſubriam reſpice, vbi res nunc nimio plus calent, quos non pertulit faſtus dominorum? A VVandalis, Gothis, Rugis, Erulis inſeſſa, tandem ad Longobardos incidit, qui tamquam parùm foret eam peſſimis modis diuexaſſe, ad barbariem ſuam tranſnominauere. Is vltimus acceſſit pudor ad priora damna, ne ab vllo vel vocari poſſet abſq; ſeruilis ſtatûs exprobratione. Quid hac truculentiâ crudelius? Atqui vrbium buſtis voces ſuę manent, & licèt ſeges ſit, vbi Troia fuit, ſeges tamen ipſa Troia nuncupatur. Vltum Gallus iuit hanc iniuriam, ſed non tamen aliter quàm à Longobardis poſſeſſa nuncupando, quæ Germanus poſtmodum vaſtaret, incurſaret Iber, Gallus inde repeteret amiſſurus breui. Non prouinciam, ſed ſcenam dixeris, vbi Tragœdias ſuas ludant Reges, ipſis non minùs, quàm ſpectatoribus funeſtas. Nunc denuò idem orbis voluitur. haud vno ex latere tempeſtas orta in nos incubuit. Fœderatos Celtis Britannos excipit Sabaudus, quos ſuis copijs auctos traſmittat Italię clauſtra oppugnatum: iamq; in eo res eſt, vt factâ ſibi viâ vi per receptam armis Vallem Vulturenam Verbano lacui immineat, cum Hiſpano manus conſerturus: qui ne veniſse hoſtis nimiùm lætetur, ſedulam dat operam, tot in bella nationes trahens, quot non vnius li-

bri

bri catalogo comprehendi possent ab Homero si rediuiuus huic bello dicendo mentem occuparet. Rem in calculum redactam esputa: inuenies multis partibus minores fuisse copias Gręcorum, quibus tam lento duello Pergama expugnarunt. Thucidides certè, cuius id intererat, ratione accuratiùs subductâ maiori rerum ac militum molimine arsisse bellum Peloponnesiacum tradit inter Corynthios, & Corcyreos, quotum populorum partem, si regna non vnius orbis respicis in quæ Hispanus dominatur? Græciam puderet, sat scio, si suas copiolas conferret cum exercitibus nostrorum temporum, siue numerus spectetur, siue robur. Accedit ad ferri aciem, quæ postquam ad manus est ventum, confertos dimetit, ignis violentia tormentorum globos temporis momento latè spargens adeò, vt non imitabile, fulmen æmulentur. Quæ quidem illaudabilis laus eò vergit, vt clades, quas modo Mars communis affert diluuia Deucalionea, incendiaq; Phaëtontis fermè ęquent. Quæ à me non ideo dicuntur, vt timore dolorem anteuertens, diutiùs sim miser, sed quo pręuia meditatione tristium obfirmatus animus, malo fortiùs resistat aduentanri. Proximus Vialegum iam ardet, iam fragor incendij nostris parietibus minatur; cui non opis est nostræ frigidam infundere, licèt puteus non procul sit, nec haustrum, quo hauriamus. Quotidie magis inualescit, imbribus tantùm illis restinguendum, quas numen cœlitùs demittit. Nec illicium ad hos imbres impetrandos succurrit aliud, quàm effusę vbertim lacrimę, testantes nos admissorum pœnitere, quorum causâ plecti promeruimus. Sic Niniue perdita diuinam in se iram deliniuit. Sic Ezechias Rex distulit præsens mortis vadimonium in seram vsq; senectutem. Exempla nos, quid facto opus sit, opportunè admonent. Necessitas quinetiam suada violenta ad id cogit. Tantum nobis Deus benignitate sua vires, animosq; tribuat ad se infimis precibus orandum, cuius of-

fensionem

fensionem toties incurrimus ita delinquendo, vt conscientia spem opis minuat. Idem cogitationum æstus quin te quoq; agitet, non dubito in eadem naui, eisdem iactatus tempestatibus qui sis. Adnitamur igitur, si quo modo possumus iustas vindicis iras cohibere. Vale.

DONATO MAVROCENO *Senatori Amplis.*

DIriguisse me putaueris Vir Amplissime, qui nullas ad te litteras dederim, ex quo hiems inhorruit sæua: verùm id egi diligenter, vt animo per rerum meditationem incalescente penetrabile frigus à corpore arcerem, aut ne sentirem. Pauculos dies ea mente reuoluendo me occupaueram, de quibus iuuenes olim inter nos differere solebamus: quædam etiam litterarum memoriæ commendaui, scriptionis argumentum frigore mihi potissimùm suggerente. Disceptationis, igitur specimen, quod vtinam ne subfrigidè habitum videatur, iudicio mittimus, & censurę tuę, simul vt ratio meæ cessationis tibi constet; & tu, quid potiùs sentias, accuratiore nobis, quod potes, demonstres commentatione.

Aristotelem, eiusq; inuentorum æmulos Peripateticos, summum in aquâ frigiditatis collocasse non minùs ab omnibus receptum est, quàm dubitatum ab eruditis, quî nam fieri possit, vt qui ijsdem itineribus, quibus illi huiusmodi rerum cognitionis viam ingrediuntur, non alterius auctoritate, quod pleriq; faciunt, sed suis operis causam defendant. Multa enim afferri solent ijsdem positionibus implexa, ac quasi inhærentia, quæ si diligentius inspicias, disrumpi ea potiùs, quàm eò, vnde profecta sunt, reduci posse videantur. Tale plerumq; dissidium inter euenta, eorumq; existimatas causas contingit. Nam quod in eâdem causa de gelatione, eiusdemq; effectore produci solet, id à me par grauibus, obuolutisq; summâ perplexione quæ-

ſtionibus ſemper iudicatum. Ita à plerisq; tractari video, vt diſſimulando, rei difficultatem potiùs ſedare, quàm tollere perueſtigando videantur. Cuius ego rationem cùm altiùs mihi repetendam duxerim, non committam, vt me de curriculo diſceptationis, alicuius auctoritas expellat; quod ijs vſuuenire non me fugit, qui ſemel in grauiſſimi cuiuſpiam philoſophi familiam coniecti, ab eo de omni re petere reſponſa non deſiſtunt. Quod à me in eam partem dictum nolim, vt parùm apud me valere nomen Ariſtotelis aliquis exiſtimet. Impudens enim ſim, ſi id vnquam animo concepi. Quin quod dandum auctoritati, quod nomini diuini planè, atq; incomparabilis Viri, id à me abundè Ariſtoteli præſtabitur. Quod verò tribuendum eſt veritati, cuius & ipſum in primis Ariſtetelem, & omnes bonos mirificum ſtudium tenuit, id ita temperabo, vt & quẽ contrauẽniam, quâmq; diſpari conatu, ſubinde meminerim. Quod à me pleniùs tranſigi puto, ſi quâ ille via ingreſſus antiquorum ſententias reſcidit, eâdem mihi eundum conſtituero. Solet enim Ariſtoteles ita plerumq; veteres interpretari, vt inde non quæ ſenſerint illi, ſed quæ illorum ὑποθέσει conſentanea cenſeri poſſint, extorquere videatur. Exemplo ſint non ſemel in ſcenam ab eo productus Anaxagoras, Empedocles, Leucippus, qui cum vno plura principia pro materiâ decernerent, nullumq; præterea diſcrimen inter ortum, & eam commutationem, quę ἀλλοίωσις græcis, ſibi conſtituendum iudicarent; eos tamen, nè parùm ſibi conſtare viderentur, quaſi inuictos ad diſcriminis, inter ortum, & ἀλλοίωσιν, confeſſionem compegit. Quod & in principiorum rerum naturæ contrarietate ab omni vetuſtate eruendá ſimiliter animaduertimus. Acciderat enim fortè fortuna, vt quæ illi in principia rerum coaptabant, eamet ab Ariſtotele accuratiùs excuſſa, contraria ipſis inſcientibus inuenirentur. Verùm non aggrediar ad illa, quæ noſtram cauſam aduersùs Ariſtotelem defen-

defendunt; ni priùs docuerim, quibus initijs hæ tantæ difficultates inter Peripateticos sint excitatæ. Aquam in qualitatum elementarium distributione summum frigus illorum suffragijs obtinuisse, quòd humiditatis coniunctum natura ipsius constitueret, norunt omnes, qui in illorum scholis vel minimùm versati sunt. Eamdem ipsam hiberno tempore si quando vis inclementior frigoris terris incubuit, concrescere, in glaciemq; conuerti sensibus ipsis haurimus. Quod tamen si longè omnium frigidissima sit aqua, saluis naturę legibus nunquam continget. Nam qui glaciem validissimi frigoris opus, ad aërem tanquam ad effectorem referunt, ij confiteantur necesse est aërem frigiditate plurimum præstare. Neq; enim fieri potest, vt quod acre, longèq; vehemens sequitur frigus, id causę ne frigidę quidem natura tribuamus; frigidissimum verò corpus, omnisq; omnino accessionis, ob exuperantiam qualitatis, impatiens, opportunum illius efficientię velimus. Ni priùs iudicatum fuerit ignem luculentum, qui nunc temporis ob hiemis sæuitiem non procul à nobis ardens, vltro se se cogitationi offert, à circumfluente aëre, eodemq; in frigidam naturam commutato, detur enim hoc nobis, calefieri. nam dicere non impressione frigoris glaciem parari, tametsi inuenti sunt, qui id quoq; contenderint, sed tantùm concretâ, astrictâq; in semet materiâ ab aëre, vaporum restinctione frigefacto, aquam vegetiorem agendi vim acquirere, eoq; nomine in glaciem cogi terreę portionis admixtione: id omne rei, de qua quęritur, aperta nimis ignoratio est, omnis enim illa in se materiæ coitio, atq; quasi aggeratio, frigoris est opus, eiusdemq; excellentis; quod siue à vapore, siue ab aëre ipso transigatur, eodem res deuoluta recidat, oportet. adimitur enim aquæ imperium, aëri ius in illam agendi illius armis condonatur; nec vapores vel minimum illis ferunt adiumenti. Ipsi enim, si quid in se frigiditatis continebant, id omne aquę vt pote per illos fri-

gidissime accepto referunt: non minus ac calorem soli, qui se à terrę gremio eduxit. Quod verò de terrę portione admixta sibi fingunt, id nullo iudicio productum, nullo quoq; negotio refellitur. Terra enim vel sui frigiditate adiuuat gelationem, quod ab illis si concedatur, arripiemus, perlibenter, atq; in rem nostram conuertemus; vel siccitate, à qua nonmodo coniungendi, durandiq; facultatem Aristoteles ademit; verùm & siccare ipsum, quod illam saltem iure coniugationis sibi reposcere videri posset, frigori, caloriq; concessit. Nihil igitur planè siccitas moliri; affici solùm apta est ab efficientibus causis elementorum. At ipsius ad perpetiendum habilitas nostram disputationem nō attingit. Facultatis enim indigemus, quæ vim in se non recipiat alienam, sed in alia exerat suam. Quo loco si effœta hęc nostratia, impuraq; elementa causaberis, neq; enim purum putum dices, aquæ corpus accessione frigoris cōcrescere, sed aliorum qualitatibus permixtum, nihil minus propositum his allatis assequare. Nam si proprio ingenio aqua latè fusilis, profluens, perenniq; succussa libramento, eademq; frigidissima censetur, quo pacto à frigiditate vehementi, quam tu ipsius naturæ nutriculam facis, non potius perficitur, expurgatur, secernitur, quam à propria natura expellitur, in longe à se diuersam duritiem induitur; deses, ac plane demortua relinquitur? vt omittam in confusa hac primorum corporum miscella, si frigus aquæ cognatum, atq; ingenitum eam in partem temperatur, vt ne exuperet, multo magis naturę interdicto caueri debuisse, ne frigoris vehementior cumulus his elementis adijceretur, quibus cum illi parùm, aut nihil affinitatis intercedit. Restat igitur, vt vel aquam, dum in glaciem agitur, suæ naturæ à se ipsa reddi contendamus (excessus enim frigoris, glacies à summo frigido, id est, ab ipsâ aquâ transigi debet) vel si id cum summis difficultatibus coniunctum est, quod à nobis maximam partem iam demon-

stratum

ſtratum eſſe credimus, eam non primùm, ſed à terrâ proximum aliquo interuallo frigiditatis locum occupaſſe fateamur. Quod nos longè faciliùs peruinceremus, ſi non plus auctoritatis, quàm facultatis Ariſtoteles in contrariâ parte aſſerendâ contuliſſet. Vtemur tamen, quoad licebit, illius ſuppoſitionibus, vt omnes intelligant, ſi quis hoc ſumet, vel ipſos aduerſarios Ariſtotelis eius ope ad eummet impugnãdum indigere, eum in errores leues abripi. Contrarij igitur motus nonmodo contrarias arguunt in alia atq; alia loca elementorum appetitiones illas, quas græci ῥοπάς vocare conſueuere: verùm & naturas inter ſe diuerſiſſimas declarant. Cùm enim quicquid vel naſcitur, vel denaſcitur, id à contrario atq; incontrarium naſci, ac denaſci videatur. Cœlum autem ideò commune rerum caducarum effugit fatum, quod nulla eius circumlationi aduerſatur latio. perſpicuum eſt hanc ſummam naturarum, quæ inuicem commutantur; diſſenſionem, ita contrarietatem motionum ſequi, vt ſine hâc illa ne eſſe quidem omnino poſſit. Vnde duo inferre potuit Ariſtoteles; Cœlum, quod nulli contrarium natura finxerit, ęternum ſempiterno tempore manſurum: itemq; ſi terra in rerum vniuerſitate ſit, neceſſariò futurum ignem. Hæc enim elementa, ſiue eorum effectrices facultates ſpectes; ſiue locales differentias conſpicias, hoſtiliter in ſe opponi non inficiaberis. Natura enim affert, vt quemadmodum Arabes ab Hyperboreis non minus ingenio, quàm loco differunt: ſic quæ repugnantis ſunt naturæ, longo etiam interuallo à ſe ipſis diſiungantur. Hinc factum, vt maior extremarum affectionum inter ſe pugna, quàm cum medio cenſenda ſit: quandoquidem longiùs deeſt alterum ab altero: quę autem plurimum diſtant inter ſe, ea contrarietate definiri ſolent, eoq; magis, quò maior ſpatij intercapedo intercedit. Nam ſi quidpiam ex glacie fingens Natura, id ſub Heliocamino diſponeret, aut rem aliquam ex nitro, fluentibus aquis committeret

mitteret ferendam, næ tu nihilo maiorem prouidentiam in nomine Naturæ collocares, quam temeritas sibi deberi postularet. Et dubitabimus adhuc, postquam iudicatum fuit τὴν φυσικὴν τοῖς οἰκείοις τόποις ἐξετάζεσθαι affirmare locorũ contrarias distinctiones habere nescio quid oppositum ad rerum naturas inter se distantes indicandas? non mehercule, si viri sumus. Ne quid enim in hac causâ à quoquam amplius obijci possit, Aristotelis ingenio, laboreq; fuisse perfectum fatebũtur ij, qui eo familiariter vtentes, quæ breuiter à nobis pertractata sunt, ad fontes ipsos, vnde defluxere sibi statuerint esse deducenda. Ignis igitur, ac terra non minus his discriminibus, quæ à græcis τοπικαὶ διαφοραὶ vocantur: verùm & affectionibus ad naturam, formasq; generum spectationibus inter se vehementer aduersentur, contrariaq; sint. Eadem summè oppositas inuicem operum functiones edant: quas in præsentiarum (neq; enim vniusmodi sunt, sed variæ, & multiformes) quæ, qualesue sint, inuestigabimus; singularem illam ingressi operationum viam, quam omnis ætatis sapientes ad rerum naturas ediscendas inierunt. Dubitandum itaq; non videtur elementorum qualitatibus efficientibus à natura esse adiudicatum, vt se se latè, suosq; fines promouendo, id, quod illorum actioni subest, in propriam naturam vertere paullatim studeant, atq; enitantur. Victum enim in victoris familiam transire iustum semper iudicatum fuit. Hinc est vt omnium actuosior ignis, cùm ipse longè leuis, mobilis, calidusq; sit, in opposita quæq; se induat, calorem impartiatur, mobilitatem paret, leuitatem excalfactis à se rebus conciliet. Rerum enim consecutio hoc suscipere videtur, vt si calidi peculiare fuerit rarefacere, idem calidissimum omnino, quod leuissimum, esse velit. pari modò si humidi munus mollitiem indere, in summo humidi τὸ μαλακώτατον reponat. Hoc autem quominus in vniuerso genere concedi possit, effecit cœlum, quæq; cœlo sidera feruntur. Si

quidem

quidem illorum imperium, nutumq́: cùm inferiorem hanc mūdi partem non vno modo ab illis affectam sequi constet, Solisq́; præsentia lætus ille radiorum splendor, & vestiat terras, & genitali foueat calore : ita tamen eiusmodi efficientias in illis ponimus, vt quarum in terris affectionum causæ sint, comprehendamus : quibus id modis Deus faciendum voluerit, si verum requiris, hæsitemus. Indignum namq; cœlorum amplitudine, & penè dixerim diuinitate semper à sapientibus existimata fuit illorum cum his inferioribus aliqua in re communicatio, siue id illorum dignitas procul ab hac humilitate seiugata; siue non æqua materiæ conditio cum hac nostra eos persuaserit, verùm hæc maioris sunt otij. Nos à cæteris elementa hæc, quæ vocant, seponentes, de his, quæ eorum naturæ consentanea sunt, probauimus : nunc remanet, vt quoniam de primę frigiditatis elemento quæritur, ijs enumeratis, quæ frigoris concreta sequi solent, videamus alterutro conueniāt magis aquę ue an terrę. Initia enim ac quasi fontes animo concipiendi nobis sunt; vnde id genus affectionum deriuantur. ac principiò quidem communis est omnium vox, & ex scholis petita cantilena, concutionem, qnàm græci πῆξιν, frigoris excedentis opus esse : itemq́; frigoris efficientiam πυκνότητα, quam vocant, & grauitatem rebus, quę vnius generis non sunt, insinuari, quæ duo si ad proprias referentes causas; quæ superiùs à nobis sunt exposita, memoriâ tenere volumus, illi maximè, & non alij tribuemus, quod inter elementa idem & frigidissimum, & longè graue, astrictumq́; sensus iudicauerint. id autem quo minus aqua censeri debeat, facit potissimùm, quod ipsa concreta, nisi priùs ab alienâ vi affecta, inuersaq; fuerit nusquam est visa, suæ naturæ, constitutioniq́; relicta ἀσυστάτος, ac latè fusilis semper est habita. contra verò terra, cum infra omnia quasi materiæ sedimen detrusa sit, & loco sui concretionem, grauitatemq́; testatur, & arguit attrectatione,

appensio-

appensioneq;, si cui id attentare libeat. nec minus ab omnibus recipi solet immobilitatem summè frigidum quodq; comitari: calore enim incitari ad motum nos, fouerię; constat · cùm à frigore, & mors intendatur animantium generi, & membrorum compaginis solutio. Quę cum eandem ob rem Heroi Virgiliano contigisset, non maior me admiratio excipere solet, cùm degeneres illos gemitus edentem audio fortissimum Virum, & Æacidæ congressus haud recusantem, quàm cùm mecum reputo, quî fieri potuerit, vt tanta hiemis sę vitia torpens & orationem haberet non inelegantem, & duplices palmas ad sidera extenderet. Sed illam fortassis manuum extensionem Medicorum natio quasi Τέτανον quemdam vocaret, vel si quo alio nomine affectio illa notari solet, qua homines à frigore exanimati distenduntur. Nos autem θέσιν διαφυλάττοντες id maximopere tenemus, immobilitatem, siue quietem ambo enim eadem de re agens vsurpat Aristoteles, ita peculiarem terræ esse, vt si cui elemento in mentem venerit ea veluti propria in re sua vti, & litem ei intendat terra, & contendat, vt leges iubeat, interdicto. quid? durities nonne assecla perpetua frigiditatis? de qua memoratur à Theophrasto, quotiescunq; frigus pisces Ponti accolas adortum, eos gelauit, ac planè durauerit, ita misellos disrumpi, atq; perfringi, vt non ex Tethios gremio, sed ex frigidi alicuius officinâ exisse credis. nam quod Lucianus de clamyde vitrea, postquam se non dissimulanter, sed ex suscepto opere, mentiri, ideoq; neminem fallere professus est, in veris narrationibus produxit: id sua ætate contigisse Plutarchus grauissimus author testatur his, qui mediâ hieme Parnassum montem conscenderant. hæc de duritie. nunc cui ex elementis debeatur, videamus. & primum quidem si iudicatum fuerit, quod in plerisq; animaduertimus, in nobis etiam experimur, id omne exile esse, ac penè nullum ad rei illius naturam perdiscendam, ad quam animaduer-

ſiones ipſę, atq; experientiæ feruntur: non dubitabo aquam cum duritie cognationis habere plurimum fateri: ſin autem humiditati, quam aquæ maximè propriam voluit aliquando Ariſtoteles, mollities, fluxibilitasq; natura conuenit: terræ verò moles ἑδραῖα συνεραστικὴ q; conſiſtit cubi in modum, nemo ſibi tam inconſtans erit, qui τὸ σκληροποιὸν καὶ τὸ ἐμβρυθὲς, quod græci appellant, terrę naturam ſequi non concedat. Nec mihi negotium faceſſet, ſi quis terræ ſummam hanc, quam incolimus, ſuperficiem tam variè affectam conſpicatus, non omnes, quas recenſuimus, affectiones in ea adeò perſpicuè videri dicat, quin inquiat ſiccitatis nomine minùs ab igne diſtare terram, quàm aquam, cùm terrę cum igne commune quoddam intercedat, aqua verò ne minime quidem cum eo ſocietate coniungatur. Nam vt quod primo loco productum fuit, haud inuiti concedamus; illud tamen à nobis extorqueri non ſinamus, etiamſi quæ oculis noſtris ſubijcitur terra, & Solis inuertatur actione, & cęterorum elementorum temperetur efficientiâ, ſupereſse tamen illius puriorem partem alterius intactam contagione, omnibusq; enumeratis affectionibus inſtructam. hęc ſi à nobis non videtur, ſit tamen in re poſita atq; natura. Poſtremùm quod afferebatur, & animaduerterunt Peripatetici callidiores, & quid in terra ſiccitas, quid itidem in igne ſignificaret, doctè pariterq; luculenter explicarunt. Sed ſtylum cohibeo, qui videam me epiſtolares fines prætergreſsum. non enim mens fuit iuſtam his litteris diſceptationis ſeriem conplecti; ſed potiùs oſtendere me nec ocij nec frigoris vi in torporem fuiſse coniectum, Boreâ alpes noſtras inuadente. gratum inſuper fuerit tui excitaſse acumen ingenij, vt, quid omnino hac in re ſit ſentiendum, ediſseras: dum nos etiam pergimus id examinare ex ijs, quæ iam ſeorſim adnotauimus, ſtudia huiuſmodi dum perſequeremur. Vale.

LAVRENTIO REGOZÆ *Medico*.

PEr codicillos te vrbanum ciuem ipſe aſſiduus vrbis cultor vt compellem, occupationes faciunt tuæ, imò potiùs diſcurſationes, quibus fora, compita, angiportus circuis, ægros inuiſendo. Omem me ſimul vetat, ne te accerſam: ſimul pudor impedit, ne laborem conſcendendi ſchalas feſso iam addam importunus. rem commodiùs tabellariùs perficiet, qui tibi indiculum reddet nundinalium, librorum cum exſcriptis inde authoribus, quos mihi coëmptos velim, ſi priùs, quanti veneant, cognouero. Interea caue, ne dum alienam valetudinem ſedulò accuras, tuam negligas. Publicum votum tua ſalus eſt, vt omnes rectè valeamus, te ſaluum, ſoſpitemq; cupimus.

FLAVIO CRISTINO.

IDibus Auguſti ex Senatuſconſulto publicè apud Enyopolitas ſcito litteras proſcriptas, quod non ideò nunciamus, vt ob id ἐυαγγέλια abs te ſperemus: ſed vt caſus amicorum miſeratus, amplius mirari deſinas litterarum intermiſſionem: ſimul vt res tota, quibus initijs orta progreſſionibus aucta, peractaq; fuerit, cognoſcas. Hilaria erant, vt ſcis, celebranda: atq;, vt eſt effrenis, ſuiq; oſtentatrix publica lętitia, per triduum feſtas noctes, accenſis in foro ignibus plusquam Decembri licentia egere non aliter acclamationibus, tubis, ſyſtris perſcrepentes, quàm hi ſolent, qui lunę laboranti opem ferunt. Verùm hæc notiora iam ſunt, quàm vt lepida memoratu ob nouitatem vlli eſſe poſſint. Illud inter tot gaudia ludimagiſtrorum ordini lugendum accidit, quod cùm ligna planè ad lumina nocturna defeciſſent, ſtudioſa iuuentus non illa oblita laborum, qui in addiſcendo grauiſſimi percipiuntur, ad

† Præmia felicis muntij.

ſcholas agmine facto aduolauit, refractis repagulis atria irrupit; tabulata, pluteos, ſubſellia ſecuribus fruſtillatim diſcidit, ne cathedræ quidem parcens magiſtrali. tantus vindictæ amor, tantum Orbilij Senis odium animos inceſſerat, ſcuticam procul fruſtrà intentantis, Quiritiumq; obteſtantis fidem, quòd legibus ſaluis, Republica incolumi ea paterentur, domi, quibus nil hoſtilis furor inueniſſet crudelius in victos, & Martis iure extrema meritos. Huiuſmodi fomite inſtaurati ignes æmulam diurnæ lucis noctem præſtiterunt. Spectatoribus verò, quos inter columina Senatus cernere erat, ſpei neſcioquid nouæ iniecere philologię, quod erat illis pridem in optatis, ſtirpitùs delendę. Igitur forte in conſilium adhibitâ ſummo mane in Curiam frequentes cöeunt, ſententias conſules exquirunt. quarum quæ è Republica magis videbatur iſtiuſmodi fuit à Lucumone dicta triumuiro monetali deſignato. Quod nec humani ingenij ſubtilitate iueſtigari, nec expediri prudentum conſilio ad hanc diem potuit, id nobis aliud agentibus planè confectum fors fortuna datura eſt. Si viri ſumus, quò nos illa vocat, ſubſequi parati. Scholæ ſcholæ inquam illæ, vbi puerilis ætas inexhauſtis ærumnis, vt deſipere addiſceret, oleum, & operam perdebat, vbi tantum licuit in liberorum noſtrorum terga ſæuitiæ ludimagiſtrorum, periere: ferrum illas abſumpſit, vltricesq; flammæ. Veſtræ iam poteſtatis eſt, Patres, ne quod auſpicatò perijt, perditum nolitis, non tam aduersùs Deorum prouidentiam ingrati, quam erga Rempublicam iniurij: quorum illi ſibi aduerſantes pœnis agunt; hæc non niſi litteris aquâ, & igni interdictis reflorere poteſt. Nam quid, quæſo Vos, ex quo primùm hîc Aſylum aperuimus litterarię deſidiæ, aut mali non perpeſſum nobis, aut boni non amiſſum? Imprimis, ne ſaltem gratuitò inſaniremus, ærarium penè exhauſimus puerorum carnificibus alendis immani impenſo ære non ſecus communia damna cöementes, ac Hector

olim cum Aiace aureis permutatis armis baltheum parauit, cui postea ipse alligatus curru raptaretur. adeò tunc numina lęua mentes euerterunt ne cogitaremus, quibus in regionibus consedissemus, quàm angustis, quàm humanæ curæ contumacibus, vbi labore improbo, atq; ferijs fermè nullis intersecto opus est, ni velis excussa quercu araneantem stomachum solari. nota cano; nemo vestrûm est, qui non magno suo malo sit expertus, quantum scholasticum otium detrimenti afferet educatori familię agello. Squallet ille, & syluestre ingenium interim resummit, dum natorum cohors barbariem exuit in ludo, quasi verò barbaries sit vlla grandior, quàm habere nihil, vnde mazam pares. hoc ego ęrumnosiorem solęcismum noui nullum, & qui dignus sapientis cuiusq; ferulâ sit magis, Deosq; precor, vt calamitatem hanc à me, meisq; longè auerruncent. Velim deinceps meliora sint: sin secus fuerit, meos ipse natos diris, nepotesq; adigant, vt ne scholas aliter posthac deuitent, quàm Cyclopis antrum. magna omnis æui exempla Romanosq; imprimis rerum dominos habemus, triumphali manu agros conseuisse; & nobis tam delicatis esse licet, vt iuuentutem nostram graui veterno torpere patiamur? Non Alcinoi siluas, aut amplissimas Apulię oras, vbi parùm abest, quin tellus inarata fruges fundat, inhabitamus: sed lapidosi angustias agri, cuius sterilescentem naturam pręaltæ augent crepidines, genitabilis lumina solis plus æquo nobis adimentes: addendus igitur improbus labor, quà deficit soli benignitas, nec nos decet nisi agriculturę, pastioni, mercaturæ sedulam operam nauare securos, quo igne Ilium antiquum arserit, quóue nomine vocata fuerit Nestoris proauia. hę, si sapimus, nostræ erunt artes. his pręcipiendis arcessendum censeo alicunde aliquem C. Furio Cressino similem, qui veneficijs suis, hoc est ponderosis ligonibus, grauibus rastris, quibus alienas fruges excantabat, nos ex angusto admodum agro doceat lar-

giores

giores fructus capere, quàm ex amplissimo vicinitas: huic ego disciplinę tam familiam docilē optarem meam, quàm à Musis omnibus auersam, quarum amor facit, vt rustici inuersâ iam rerum serie vrbani fiant, illotis manibus studia otio olim liberali disfluentibus permissa arrogent Iurisconsulti, Tabularij. Medici euadant, Rempublicam demum mera mapalia efficiant; neq; enim aliunde tot sordes hanc ciuitatem infecere, quàm ex doctrinarum arcanis postremę sortis hominibus vulgatis. Verùm hæc olim fuere, nunc bonis auibus viam à Dijs nobis sectam, munitamq; ineamus, fatali scholarum demolitioni, pulcherrimæ coronidis loco imponentes senatus consultum in hęc verba, quandoquidem serò sapere Phrygum est, Romanę gentis autorum, vnde nos sumus oriundi; Senatus demum longâ experientiâ edoctus litterarios ludos nihil minus, quàm ludos esse, nisi ludum vocas pignora nostra ergastulo inclusa seruilem in modum macerari; in hanc sententiam venit, vt cunctis suffragijs decerneret, ne quis posthac scholarum instaurationem suaderet, sed abolendę omnis memoriæ ergò rei tam feralis, Ædiles repurgatam aream locarent Architectis ad ædem Libertati puerili ex publico voto extruēdam. Assensere omnes monitis, cùm A. Pamphagus Mus, largitionibus publicis Præfectus, sententiæ loco Senatus consulto Epinomidem adiecit, æquum esse, inquiēs, postquam puerilitatem vrbanam vocari ad pileum placeret, quæstores partem aliquam autoramenti professoribus erogari soliti in crustula mellita vertere Idibus Augusti, ex æquo inter ephœbos diuidenda, quibus etiam fas esset, quoties adlibuisset, in propylęo ædis libertatis nucibus ludere par impar pecuniâ publicâ cöemptis, id quoq; legis corollarium omne tulit punctum. Simul vt Idus ipsæ Augustæ fastis illatæ, atq; Litterifugium vocatæ quotannis celebrarentur solemni circensi pompâ. postremò additum curarent consules primo quoq; tempore in æs incîdi elo-

gium

gium huiuſce carminis in ærario inter tabulas publicas ſeruandum.

Appio Claudio Caudici Agrammato, & C. Vitellio Lurconi Conſulibus. Idibus Auguſti dierum optimo, atq; fauſtiſſimo Senatus conſulto litterę procul à finibus exactæ, aurea ętas in vrbem Dijs, hominibuſq; plaudentibus quadrigis altis poſt liminio reuecta.

Vindiciæ ſecundum ephæborum libertatem aduerſus Profeſſorum truculentiam decretæ.

Exemplo vtinam tam perenni, quàm Reipublicæ ſalutari. Interea Conſules præfati ſe patres minime amplius morari, Senatum domum dimiſere. Reactâ, peractâq; ſerò ad Orbilium Gymnaſiarcham (nam perincommodè paulo antea ſeceſſerat in ſuburbanum) nuntius affertur ſæcularem vacationem addiſcendi Senatuſconſulto diſcipulis conceſſam: ſibi verò eſuriales ferias indictas, ſalario, vnde vitam tolerabat, in cruſtula, & nuces lautitias pueriles deſtinato. quo ille nuntio tamquam de cœlo tactus corruiſset, ni rei indignatio à deſtinatione mortis, quâ perire magis, quàm ſceptris ſupereſse cupiebat, animum contumeliæ dolore æſtuantem, vt in perditis rebus aſsolet, ad vltionem reuocaſset. Lingua erat opus ſeni effæto iam, nec niſi verbigerari aduersùs inimicos aſsueto. Igitur vbi pauliſper conticuit, humi oculos defixus Carmen hoc flebiliter admodum effudit.

Ingratæ Aonides, tuq; ò mentite receptam
Phœbe fidem, in ſenium deflexa ætate laborum
Hanc mihi das finem? meritis hæc digna rependis
Præmia? in has vitæ producis tempore curas?
Et quisquam poſthac rabioſa ſilentia rodet,
Ut carmen pangat, ieiunaque guttura lympha
Proluat, ex alta, quæ defluit Hippocrene?
Accipe poſteritas, quod per tua ſæcula narres.

Orbi-

Orbilius canis cycnos, & cantibus æquans,
Et potis hinc latios, hinc in certamen Achæos
Doctrinæ reuocare Palæmonas; omnibus olim
Excultus nimium studijs, quibus inclita Vatum
Fama viget, superumque petit sublimis Olympum;
In Patria postquam sex dena stipendia miles
Emeruit, iuuenumque rudes mira arte cateruas
Duxit ouans, vbi summa biceps ferit æthera culmen
Montis Apollinei, solis inglorius aruis,
Despectusquæ iacet, vulgi iam fabula, sortis
Postremæ exemplum infelix. Iniuria Ciues
Me miserum, non damna mouent. licèt vltima egentem
Opprimat incumbens effœtis viribus ætas
Officijs refouenda pijs, Sed verba per auras
Quid frustrà lacrimans fundo? mea fata querelis
Haud vllis flectuntur. arat qui littora, tantum
Proficit, æquato quantum moderamine habenas
Qui regit ingratæ pubis. cui hoc imprecor vnum
Ex animo, ò Superi, vitæ labentibus annis
Virtutem vt videant, contabescantque relicta.
Tunc mihi terra leuis. tumulus tum fundet amomum,
Vitaq; in Elysijs spatiabitur vmbra viretis.

LAVRENTIO REGOSIÆ *Medico Bellunensi.*

PErsuasum tibi fortassis erit mi Laurenti, cùm in secessum hunc Castilionæum migrauerimus, aut nos noui nihil habere; aut villaticis voluptatibus penitus occupatos, commentationes deposuisse litterarias. Sed ne adeò malè de nobis iudices, descriptum tibi mittimus rei non illepidè euentum, quę otio nostro cogitationem immiscuit non inutilem. Tonsor, quo vtebamur satìs locutuleio, elinguis euasit, & vel iniussus tacitè nunc posset tondere Archelaum Regem. Credas recens initiatum Pythagoricæ disci-

disciplinę ſacris, aut illi aſſiduè tonſoris Attici caſum obuerſari animo, garrulitatis ſuæ pœnas exoluentis, quod Nicię cladem apud Syracuſas, & internecione delitias ciuium copias primus alieno relatu nunciauerit. Silens mihi collo linteũ circumligat: ſilens barbam metit, & ſiquid cædui capilli eſt, quod nos à cæteris internoſci vetet verticis raſurâ. cultros quin etiam ipſos, obſtreperum genus ferramenti, & quos vel aliud agens ſanè audias, ne hiſcere quidem permittit, veritus opinor, ne tonſorem temerè ſe prodant. tantum artis ſuæ titulorum odium, tanta verboſitatis auerſatio hominem inceſſit, vt ad interrogationes quoq; noſtras vix leui flexu capitis renutet. Qui eo familiarius vtuntur tam obſtinati ſilentij cauſam hanc afferunt. Eius tabernam, hirundinum ſcilicet Muſæum; ſeu, vt cum Theophraſto ludam, † ἄοινον conuiuium, inſidere frequens conſueuerat ſcurrarum forenſium notiſſimus. huius munus erat linguâ corpus alere, dicterijsq; diuitum cœnas demereri, quorum ille non minùs vitam, quàm dapes arrodebat Theonino dente. Id dum ſæpe facit, nec finem obloquendi inuenit, tonſor tantum abeſt vt eum, quod plerumq; contagione vitiorum vſu venit, æmulari animum induxerit, vt erga multiloquium non aliter fuerit affectus, ac olim aduersùs temulentiam ingenij Laconũ pueri ſpectaculo admoti Ilotarum à nimio potu inter ſe rixantium. Accedebat frugalitatis amor, & vini plus ęquo carior annona, quæ bibendi libidinem arctauerat, cuius pręcipuum commeatum, ſeu potiùs illicium ſitis acris eſset verborum profluuio contracta. cùm enim tonſtrinam forte ingreſsus veſtri ordinis Archigenes quidam aſsediſset, quæſtioq; vti fit, incidiſset & quod nam inter ſiticularia remedia foret pabilius, alijs aliud commemorantibus, ipſe ſilentium dixit Hippocratis fretus auctoritate † ἄδιψον. illud appellantis, ac † ἀνόδυνον. Ex eo ille tempore, & verba ſimul, & ſumptum compendi ferit. Habes non fictæ fabulæ hi-

† Vino carens.

† Sitim extinguens.
† Doloris leuationẽ afferens.

læ historiolam. restat, vt adfabulationi parum te moraturæ animum aduertas. Haud paulo acrius odium, quàm amorem virtus perspectum vitium excitare solet, modò extra nos sit, nec in sinu lateat, quo oculorum acies minimè pertingit, interuallo ad videndum indigens, præsentiâ luminosæ rei exclarato. Hinc fit, vt præcipua moderatorum iuuentutis cura esse debeat, in eorum animis ita effingendis; turpibus vt tristentur, bonis gaudeant· quod naturæ ductu non erit deuium (præsertim si consuetudo accesserit nihil non duri mollitura. Quotidie, quæ pietas est tua, experiris, quàm ægrè à vobis regi se ægroti sinant sub prima morborum tentamenta, cùm nondum satis mala sua norunt. Eosdem morigeros reddit longiòr decubitus, dictoq; adeò audientes, vt nostra memoria extiterit Marchio Prianius, Galliæ procerum non vltimus, qui largiori inter epulas inuitatione sibi interdictâ ob Hydropem sensim obrepentem eò demum in dies se magìs, atq; magis vrgens imbibiæ deuenit, atq; continentiæ, vt, quoad vixit (viuere autem perquàm serò desijt), pincernâ ab se procul ablegato, potu omni, vulturis ritu abstinuerit. Quid ille non persuaderi sibi valetudinis ergò pateretur, qui siccus tot annos aduersùs gentis morem, Geniumq; suum obdurare potuit? Ita sanè est: summopere enitendum est nobis, vt virtuti consentaneam vitam nanciscamur. eandem quin iucundam consuetudo redditura sit, nihil ambigendum. Quod tonsori contulit constans animi propositum lubricitatem linguę cohibendę. Quod Gallo cura valetudinis intensior, vt alter loquendi, bibendi alter vsu spontè se abdicarit; idem præstabit vnicuiq; nostrûm propria voluntas, si seriò cæptis incubuerit. Me de me ipso posteritate aliquid referre non deterret pudor, qui nullus apud ignotos esse solet, atq; nunquam visos, videndos vè: cupidò verò etiam irritat famæ innotescēdi nonnullis per scelus quoq;, ac piaculum petitæ, quos suo quemq; ciere nomine

quid attinet, silentio omnium, ne exemplo noceant, dignissimos? Igitur me puero nemo fuit ad discursationes pronior, itineraq; procul à patria suscipienda. Cretam, vnde domo, quàm latè, longèq; porrecta est, non minùs quam Talus olim, qui totus æreus fuit, circum iui, primum. dein claustra Ægei indignatus, quibus insula vndique amcingitur, quasi me Scyrus latibulum Achillis distineret aut breuis Gyaros, aut rupibus inaccessa Seriphus, vbi incolę ficus fundâ legunt, & non potiùs ocellus terrarum, atq; æquoris, natale Iouis magni solum, vitio gentis humanæ concupiui, quæ non absq; periculo petuntur. conscensâ itaq; naui Euris vela dedi illam per

Cycladas, & circum crebris fræta consita terris

ad Cythera alta deuecturis; nauale quondam Laconum nobile, haud hercle sat dignum, vnde cognomen Venus mutuetur. inde porrò itinere tridui Zazynthum: quàm cur nemorosam Virgilius vocarit, equidem anxiori cura vestigarem; ni in Vatum inquirere parentem nefas foret. certè, vt se res modò habet, vites interleuatis nemoribus agros passim occupant nullibi fæcundiùs florentes. Dextra hinc digressis, Pelopis apparet insula ne insula, fœlix vsq; ad præter nauigantium inuidiam tellus. Læua Cephalene aëreo melle per æstatem roscida; Ithacaq; Homeri carmine insignis Vlyssis Regia; cuius è camino prosilientem fumum Circes, & Calipsus opibus antetulisse quis nunc credat, nisi cui læua sub parte mamillæ nihil salit? Sciscitabere reor, extet ne adhuc aliquod vestigium veteris fortunæ? nihil sanè minùs. adeò insula tota scopulescit, vt ipsę quoq; ruinę penitùs corruerint; Antrum illud Nympharum littori admotum, biforum, de quo multa egregia Porphyrius, qui librum in eo explicando integrum consumpsit, Phorci gregis stabulum effecit Neptuni sæuientis iracundia; Penelopis gyneconitis procantium iuuenum commessationibus insessa; Laërtis senis villa; Eumei

mapalia

mapalia cum omni rustico instrumento natant. Corcyram inde delati arcem penè inaccessam, arduam, nubibus caput inserentem scandimus, vnde circumiacentia littora prospectaremus. nihil non oculis lustratum; si hortos Alcinoi excipis hospitalis Regis. Hos ego felicium arborum ordinibus in quincuncem redactis memorabiles, ingenio Homeri consitos crediderim, haud multo maiori sanè molimine, quàm ille olim ad Troiam murum circum Argiua naualia extruxit, destruxitq; idem, nullâ fabrili operâ adiutus, ne foret, qui Musas mendacij argueret. Ionio permenso Illyricos sinus penetramus, Dalmatarumq; littoralia oppida, Romanę militię triumphis cognita. Salonas in primis vrbem opulentam, & terra, mariq; quondam præpotentem, nunc vrbis informe bustum inter molis suæ rudera iacentis. huius patriæ nempè, Cæsarem Diocletianum tantus amor cepit, vt fascibus Imperij humani generis abiectis, huc se condiderit irrigandis hortuli sui areolis assiduus. Nec dum omnis pristini decoris fastus ab indigenarum animis penitùs recessit, in summis angustijs proauos iactabundi crepant inclytæ nobilitatis autores, qua inter finitimos se efferunt immane quantum. Præsules habuere supercilij adeò subducti, vt Romani Pontificis iussa detrectarent, Regibus quoq; ipsis obeunda: quod in eis Gregorius cognomento Magnus per epistolam acriter increpuit. Horum exempla gentilitia secutus, nostri æui Gigas Spalathensis Antistes, (sic enim Salonarum Primates, post patriæ excidium se transnominarunt) quasi parùm foret aduersùs Pontificem Maximum cornua obuertisse, eumdem libris per summam proteruiam editis, incessit, miser ille quidem, sed piorum nemini commiserabilis, nisi fortè facti eum pœniteat. quod illi à Deo precatus, viam repeto. Pa breui Istriæ vrbibus nos sistet tam infrequenter inhabitatis, vt ad illarum maximam, Polam populandam Cypri opus fuerit excidio; vnde supplementum vrbi

datum, colonię Romanæ ornamentis olim celebri, quorum ob reliquias hodieq; visitur. Ciues, inquilinos, rusticos si in vnum cogas, vix imam theatri sui caueam expleueris, iniurię temporum superstitem. Adria nos exinde excipit fluctuanti sinu insulas paucarum horarum velificatione inuisuros, quæ pontibus interiunctæ vrbem faciunt, cui clara illa Rhodus comparata scrupeus sanè scopulus vel sole ipso iudice videbitur. Hanc ego non mare, non terram voco, sed æternis fæderibus nectentem fibulam maria, terrasq;: adeò rerum copia frequētiam hominum exęquat, quotidie eò tanquam ad commune vndiq; orbis mercatum confluentium. Illic quin altiùs radices egerim velut in solum longè felicius translatus, & maioribus meis inde ortis multò ante cultum, nihil fermè obstitit nisi mei ingenij mobilitas peregrinationibus magis, quàm quiete gaudens. Cupido animum incenderat alia ex alijs loca adeundi, nec paterni affectûs indulgentia cupidini moram imponebant, quominus sibi morigeraretur. Euganeis collibus subiecta ciuitas; Eridanum circumsparsa oppida, quà secunq; porrigunt Taurini, Cenomani, Ligures lustrati. Mediolani nil me æq; tenuit, & erant sanè plurima, queis caperer, ac Vrbis amplificę Antistes Carolus famâ sui, celeberrimâ licet, multo maior. Triduum apud illum hospes mansi iam tum cœlestes curas ita agitantem, vt breui Diuorum albo nomina daturum appareret. Hunc profectò ego numero inter præcipuos fructum laborum, qui longo itineri comites se addunt. nam, si Pelopis nomen obliuione eximit adhuc, accubuisse epulis vel fabularium Deorum: quanto mihi decôri fuerit illius conuiuam extitisse, qui nūc cœlo receptus votis damnat? Non multi post interiectū temporis, quod reliquum est Italiæ lustraui, non Vlyssis fato, quem violati numinis ira longè à finibus patriæ arcebat, sed φιλοθεωρίας studio incensus. Id vnum faces subde- + Spectandi.
bat animo ingenitâ leuitate volitanti. Audieram in scho-

lis

lis olim puer, mortalium vitam esse, quasi peregrè profectus iter agas, longiùs, aut breuiùs quid refert si requiete nullâ intersectum? Hinc desidiæ odium primùm inoleuit; hinc vagandi amor planè perditus; nisi meminisse laborum dulce sit. Bononiam, litterariam palęstram veni, vbi animi cultum iuuentus induit, à viris omni excultis disciplinarum genere edocta. Quos inter flos illibatus Sophiæ Pendasius ciuium, aduenarumq; oculos in se obuerterat, professorię pondus grauitatis temperans morum comitate. Tum primùm auditus mihi est florentis facundię Siren Carolus Sigonius, cuius adhuc lepidum illud de fluuio vrbem alluenti menti hæret, non magis ipsum decere Rheni nomen quàm Pygmæum aliquem Oti, aut Ephialtis. Non intermisso itinere Apennini hinc claustra euasimus, Etruriam adituri, populari diu rectam dominatu, donec Principem domi inuenere, cuius potentiæ pars fierent. Is sedem florentiæ optauit; vnde gens æmulationis oblita omnis iura petat. Vrbs, vt tum primùm mihi visa est, viris, opibusq; latè potens, & cui, velut equo generosę stirpis, multo feliciùs libertate cessit, frena pati. Illic inter præcipuos ciues Petrum Victorium mihi nosse contigit senescentem iam, atq; sui famam tot præclaris ingenij monumentis editis collectam, ægrè alloquio breui, nec diserto admodum tuentem. Calamoboam ipsum tanquam Zenonem alterum vocasses, nec extra librorum suorum margines quærendum. Inerat tamen ori decus: moribus autem is candor, qui natum annis melioribus argueret. Quod mihi sæpe cogitãti aliàs, id tibi modò succursurum reor, quî fiat, vt Italia penè totâ pererratâ paucos memorarim eminentis doctrinæ laude eximios. Vetus hæc seu querela, seu crimen est à primis litterarum cultoribus ad hæc vsq; tempora extentum. Omni adeò æuo qui non vulgariter saperet, rara auis fuit. Græcia ipsa, litterarum nutrix vix Thebarum portis pares numero exemit, quos in id nomen

adopta-

adoptaret. Nec apud Romanos extitit annona laxior talium virorum; vt nobis semilatinis dolendum sit de nostri sæculi infœcunditate. Enitendum magis, ne semina doctrinarum prorsus exarescant in tanto benignitatis Principum squallore, vnde illę, non secus ac rore segetes aluntur. Aemulatio studia incendit; æmulationem fauor non theatri modò, sed Aedilis cuius liberalitatis interest certantibus premia sufficere. maior admiratio te subeat, si dixero Romæ, quo veluti in mare confluit quicquid vbiq; locorũ pręclari oritur me paucos olim Gregorio xiij. sacris præsidente, nec multo plures nuper, bis enim Tyberim adij, Clemente viij. res administrante reperisse, quos in litterarium Senatum seueri censor supercilij legisset. Horum princeps Sirletus habebatur Cardinalis, natione Calaber, ad Græcorum, qui illas oras diu insedere, reliquias genus suum referens; vnde linguæ omnium ditissimę peritiam tanquam gentile bonum Latio inuexerat disciplinarũ præceptis, & Romanâ facundiâ ornandam. nemo conscriptorum patrum luculentius doctrinę lumen ordinis sui purpuræ admiscuit: cuius ne vel leuis saltem strictura apud nos appareat commentandi obstitit neglectus ne dicam, an violenta intermissio? vtrumq; puto: nam & lucubrandi laborem exhorrebat animus lectioni omnigenæ veterum intentus: & podagræ nexus alacritatem quoq; dempserant stylo requisitam. Equidem dignum ob id illum reor maximè, cuius memoria scriptis celebretur, quia ipse minus calamo indulsit. Haud longo interuallo proximi subibant Marcus Antonius Muretus cathedræ Romanæ Roscius, Fuluius Vrsinus natu grandis antiquitatum patriæ suæ illustrator diligens; & Antonius Querengus, cuius adhuc florentis carmen sæpe apud me legis haud sanè contentum sæculi nostri elegantiâ. His litterarum Triumuiris porrò succreuit Hieronymus Aleander iunior, auiti in studijs decoris æmulus. Sed non eò sermo à nobis institutus

sanè

ſanè tendit, vt noſtra opera doctorum hominum habeas nomenclationem. aliunde hanc petas licet haud difficulter. Nos veluti in tabellâ viatoriâ radio deſcripſimus non plus vitæ, quàm itineris permenſos ad id vſq; tempus, cùm nobis prouincia, cuius regendæ munere nunc fungimur, non populi ſuffragio, ſed diuino nutu decreta eſt; vt exemplo noſtro doceamus non eſſe omnino deuium nimiùm volenti ea deſueſcere, quibus à teneris vſq; conſueuit. Quem triginta, & ampliùs annis perpetuus penè diſcurſus huc modò, modo illuc egeret, ſextam iam, atq; vigeſimam hiemem anguſtis comprenſa finibus regio vna tenet, non frequentiâ loci captum, quæ nulla eſt; non amænitate, cuius hîc nomen quoq; ipſum ignorari dixerim; ſed religione promiſſi præpeditura: ne cupidè videar deſeruiſſe, quorum non inuitiſſimus regimen ſuſcepi. Expertus mi Laurenti didici alios, atq; alios nos ſubinde fieri, prout ſe ſtudia in contraria vertit animi propoſitum; vt minus Democrito ſuccenſeam non eoſdem nos eſſe hodie opinanti, qui heri fuimus, aut ſumus in craſtinum futuri; niſi quòd ita argutando decoctoribus negandi depoſiti latebram aperuit; quaſi non idem planè ſit, qui argentum repetit, ac qui pridem dedit. Mirabar Xenophontem Socraticum, qualem philoſophum? quem Imperatorem? poſt Perſicam expeditionem, & phalangem incolumem reductam domum Scillunte Helidis delituiſſe: Thucididem Peloponnoſiacæ hiſtoriȩ conditorem inclytum Scapte, Traciæ oppidulo: totum ſeptennium Capreis Tiberium inſulâ perbreui freto Campaniæ delitijs diremptâ: Liternum poſthabitâ Roma incoluiſſe Africanum: Titum Pomponium Athenas, Rhodum, & Mitylenas alios tædio vrbis captos, ac vrbanitatis. Nunc admiratio illa exceſſit animo, inq; eius locum cogitatio ſucceſſit pulchrum fore ſepulchri titulum Epiſcopo, ſibi de exilio patriam: de patriâ exilium feciſſe. Nec minùs præclarum fuerit, ſi Laconum illud di-

ctum

ctum & menti obuersetur crebriùs, & in ore sit frequens, quo monemur Spartę, quęcunq; tandem illa nobis obtigit ornandæ. Calcar enim quasi quoddam addit ad cautam Sanctorum Præsulum æmulationem, quorum omnis fermè vita fuit gregis continens custodia. Verùm quò, inquies, pertinuit tot viarum diuerticulis narrandis aures nostras tàm diu tenuisse? quid facias? garrulitas tibi senile peculium ferenda est, præsertìm cùm habet aliquid quod & auditorem instruat, dicentemq; oblectet recordatione anteactæ vitę. Et verò si Antipater philosophus non obscuri nominis Tharsensis inter ea, quæ sibi prosperè euenere, numerabat iter, quo Ciliciâ Atticam petens commodo est vsus; cur me pœniteat errores meos recensere, vnde mihi, & amicorum copia, quâ nihil est in vita optabilius, & præstantissimarum rerum contigit notitia, cui potissimum parandę mortales nascimur. Vnius certè Romæ visendę nulla non sat iusta causa nobis esse debet; nullus non meritò exantlatus labor. vbi (omitto veteris dignationis maiestatem) nostræ pietatis pignora & religiosè seruantur, & coluntur ritè non victimarum nidore, aut silentio, ruboreq; dignis cæremonijs, quales Matris Deùm mysterijs Eleusina præfectos, aut Pythijs Delphos, aut Corinthum Isthmijs excipiebant; sed sinceriori animi affectu Numen venerantis, quod & multis agnoscere veritatem dedit, & ei porrò agnitæ inhærere inter tot, tamq; densas tenebras errorum, quos nec enumerare curiosi possint, nec si possint, velint. Vna medius fidius Septentrioni obuersa regio; vnde tamquam à Pandorę vase malorum omne genus ad nos venit, documento fuerit, præcipuum esse Dei beneficium de Deo rectè sentire, atq; loqui. Absq; eo sit, mors iuxta, ac vita per acerba putanda est; cum eo ne quisquam sua regna Regibus inuideat. Inter Aristotelis epistolas (pulcherrimum operum, quæ vnquam) Plutarchi ætate vna legebatur ad Antipatrum: vnde ille hæc pauca in librum

de

de tranquilitate animi tranſcripſit. *Non magis conuenire Alexandro Philippi filio ſe magni facere; quia populis Aſiæ imperitaret*, quàm quibus diuino munere conceſſum eſt de Dijs opinari ſummæ rationi conſentanea: Audin? fortunam Regum maximi, & Ammone ſe Ioue ſatum gloriantis comparat cum ijs, qui veræ religionis viam aſſectantur, dignus ob id quidem, qui in ea tempora incidiſſet, cùm cœlo fides delapſa eſt omnes omnium philoſophorum demonſtrationes certitudine ſuâ ſupergreſſa. Cuius propagatores qui à Deo optimo maximo leguntur, profectò illi multum in eo munere decôris, plurimum dignitatis ponere deberent, tanquam vbi vbi tandem locorum ſint, præaltâ in ſpeculâ verentur, tantum ſideribus ipſis propiore, quantum illi humana iſta breui, & falsùm nitentia deſpiciunt. Quid, rogo te, refert eius ordinis poſtremus ne, an ſummus ſis, cuius numerum præſtantes quiq; virtute viri explent, primoresque? non ſemper à loco ſumitur dignatio; eſt quando etiam ſupercilium, & faſtus inanis gloriæ ſatelles, qui Dioſcorum, Euticheten, Photium, Ioannem perdidit, ex quo ſalutari maximarum Antiſtites urbium cœperunt. horum quem poſtremò memorauimus tanta demum dementia inuaſerat, vt quaſi parùm foret ſummo eſſe proximum, Vniuerſi ſe ipſe Præſulem indigitaret, miſerando mehercule errore, niſi miſerationem indignatio excuteret. Agmen quoq; claudentibus manet modò nominis ſui interpretem agere meminerint. Non hîc Virgilianum illud locum habet, Irriſam ſine honore ratem Sergeſtus agebat, quòd portum extremus, fractoq; lentus remigio ſubiret. omnes donati ab cœleſti Agonothetà; omnes euincti triumphali lauro tempora abibimus. quin caſus interuenire poteſt, qui primos nouiſſimos reddat, vltimos priores. Equidem Megalopolitanos iſtos hierarchas nihil moror, qui quonam ſub ſidere grex eorum paſcat, ne nouere quidem; niſi Geographicas tabellas conſulent. Se-

dulos æmulor agricolas; ingentia rura laudo, excolo exiguum: si quod tamen planè exiguum vocandum est, viribus meis comparatum tam pusillis, tamq; penè nullis. Cretę Archiepiscopo contigit tam ampla ditio, quàm magnus est insulę centum olim vrbium capacis ambitus: dignitas verò tanta, vt eius ordinis penè soli incedere purpurato liceat; si causam quæris, credibile est Titi, ad quam extat Pauli Apostoli Epistola, id honori datum. Hunc tot nominibus spectandum Præsulem diœcesis suæ, latè patentia inuisere posse loca quęcunq;, nisi & viridi iuuentâ sit, & studio sibi ducat itinerum iterationes? Ego sanè, vt nunc sunt tempora, addubito pluribus contingere, vt huiusmodi circuitionum labores repetendos compendifaciant. Iberię Regibus fas sit potissimę gemini orbis partilatè dominantibus per procuratores Appuliam, Insubres Indiæ remota, Goam, Taprobanam regere; nec se videndos subiectis tam remotis sinere, nisi pictoris penicillo fictos, aut ex ære ductos. Episcopus nisi coràm adsit, nisi assiduus operi incumbens se, & alios vrgeat; neq; suo muneri vnquam satisfaciet, nec nomini.

Quænam sint apud Aristophanem litteræ sinistræ. ad eundem Laurentium Regosiam.

LEgi prætextatus in ludo, apud Aristophanem veteris Comedię autorem ingeniosè nequam, si quis vnquam, cui vni de tam immani Comicorum numero, qui iniuriâ temporum disperiere, fata pepercerunt, vt foret, vnde bona posteritas summo studio edisceret, quæ non minori studio erant dediscenda. Legi inquam, &, vt sumus rudimentorum puerilium apprimè tenaces, & iam commemini † ἀριστερὰ γράμματα σὲ μοῦσαι ἐδίδαξαν. nec indoctum ille hominem alloquitur, sed anormis, & absurdæ indolis; quales ante nos natos quàm plurimos sæcula tulere; nec timor

† Sinistras te litteras Musę docuerunt.

mor eſt, nè quod modo voluitur, fęcunditate ſe vinci ſinat, quaſi eiuſmodi ſegetis ſemen prorſus exaruerit. enitendum potius, vt, quæ nam hæ ſint litterę ſiniſteriores, nobis innoteſcat. Et verò tantundem valere apud Græcos ἀριςερὸν καὶ σκαιὸν, quantum apud nos læuum, & ſiniſtrum addubitat nemo, qui bilinguis abſq; notâ ſit à Virgilio Tyrijs inuſtâ. illud non vndequaq; liquet, in quo nam potiſſimùm conſiſtat iſta ſiniſtrinitas, quam Muſę, ſi Dijs placet, veluti læua numina nos docent. Equidem ſic cenſeo humanę eſſe vitæ condimentum litteras, litterarum verò non tam modum, methodumq́; ipſam, qua traduntur ediſcunturq́;, quàm ingenij vim, atq; facultatem, quâ illas à teneris capeſcimus abſq; ea fuerint, inſuaues, fatuæq́; erudito palato haud ſecus, ac blittum, ſalis omnino expers videbuntur tribus verbis dicam, rudiùs ſimul, ſimul explicatiùs, quem genium victurus habere debet liber, eumdem libri niſi autor habeat, fruſtrà pluteum cædat, fruſtrà vngues rodat. Pedię id Peripati magiſter tribuit in Methaphyſicis; vbi eam à ſcientiâ noto doctis diſcrimine diremit. neq; nos quidem diſſentimus: modò Doctoris eruditioni comitem ſe adiungat diſcentis ex prompta, pręceptionibusq́; reſponſura ingenij docilis habilitas, ſubtilitasq́; quid rectè, quid ſecus tradatur non ignara prorſus. has ſanè ſi tollas, ærumnis ſtudiorum relictis, quæ plurimę in ediſcendis litteris tolerari ſolent, neruos omnes incidis vberis profectûs. caue enim putes olei, & operę minus impendiſſe Bauium, quàm diuinæ Æneidos ſcriptorem, vt pöeta euaderet: ambo ſuarum lucernarum fuligines ebibêre largiter: ambo Helicónis prata peruolitauere, diſpari licet nimiùm euentu: quia non vna fuit amborum indoles, neq; ductor idem, neq; fauor idem numinis cœpta promouentis; quem ego non pöetarum tantùm nationi, diuino ſe furore corripi iactanti tribuo, ſed ad vnum omnibus, qui indagini accinguntur doctrinarum. Venato-

res Aristęo litant, qui primus feris insidias nectere instituit; Herculem, antequam telum in stymphalidas aues intorqueret, Aeschylus inducit Phœbi opem precibus poscentem. Virgilianus Eurytion Pandaro in vota vocato Nigra figit sub nube columbam: & nos sine numine Diûm credimus tantas res ritè animo agitari, moliriq; posse? præsertim cùm sæpe videamus studio, atq; uirium intentensione adeò profici, vt inter causas improsperi successûs locum obtinuerit, manum de tabulâ tollere nescisse. Igitur qui illotis manibus sacra ista tractant; aut Pimpleum montem absq; Musarum commeatu scandere conantur: hos illę aut furcillis (quod Catulliano illi nominis obscęni contigit) eijciunt, aut Picis tradunt sinistras litteras erudiendos. vix enim inducor, vt existimem ipsas per se se id præstare: tametsi autores habeam omni exceptione maiores, qui κακομάθησιν assuescere, iuuentuti vetant haud aliter, ac si Musis Minerual debeatur prauę doctionis. quę vbi nam potissimùm consistat nunc nobis est inuestigandum ex promissi fide. Nusquam lolij id genus prouenit vberiùs, quàm in agro ingenij, feraci illo quidem, sed non qua decet arte, & solertiâ exculto, subactoq; sterilitas laconismo aptior nec sibi ipsa negotium, nec aliorum auribus facessit. ingentes fluuij, & magnis incrementis exundantes fluunt lutulenti: sitim ab omne exiguo tutiùs sedaueris, qui te suo irriget potiùs latice quàm obruat. Colophonius Antimachus non impunè tulit hanc ingenij seu luxuriem, seu exuberantiam, à sui sæculi hominibus irrisus à posteritate verò adeò neglectus; vt (donec pöemata eius à tineis tandem aliquando absumpta extitere, nemo illum absq; tumoris probro memorauerit. nec aliò fuit eruditorum plausu theatri excepta Chęrili insulsitas; nisi quod Alexander Macedo conuitijs colaphos adiecit, veluti stipendij autoramentum. idem de caterua illâ Catullianâ febriculosorum pöetarum, & de Codri Theseide iudicium; neq;

Malę disciplina.

neq; enim intactos eiusmodi calamitas reliquit Romuli nepotes. quorum de gente vnus adhuc extat Statius Papinius siluarum infælix sator; quarum vmbra, si Andreæ Naugerio creditur, limatissimę censurę viro, haud paullo est nocentior amæniores Musas consectanti, quàm viatoribus iuniperi, aut taxi. certè ille quotannis natali suo die plurima earum exemplaria vndique cöempta consueuerat marito Veneris vstulanda tradere, iure ne an iniuriâ in medio relinquens, ad carminis Etrusci conditores oculis nostris inhærentes venio. quos inter quidam non postremus multa ad lyram non inuenustè modulatus, grandiores vt tibias inflare cœpit, suo nobis exemplo declarauit non idem planè esse eburneas quadrigulas affabrè facere, quas expansis alis musca tegat, ac Collossum Rhodijs æreum excudere. Nam in primum libri statim limen, vbi immania famæ templa locat, tantum congessit tryglyphorum, volutarum, peristyliorum, quantum vix in totâ Vitruuij architecturâ continetur, tot voluminibus comprehensa. Quid facias? ὀψιμαθία malę tussis æmula ægrè cohibetur, ne se prodat. serò quod à nobis discitur in ore seruari amat frequens vsq; ad fastidium auditorum. Nec mihi ad se tuendum Hesiodi obijciat scutum Herculanum singularis libri argumentum. nam præterquam quod genuinus ille liber nec ne sit, Grammatici inter se adhuc certant, longè aliud est in re describendâ aliquâ (seu clypeus Aneæ ille sit, seu Nestoris poculum, seu Tethios puluinar) diuerticula sibi quęrere liberiori gradu per amęna locorum diuagandi; aliud artis vocabulis abuti ad pöesim illustrandam non aptissimis. quàm multis partibus cautior Ouidius, qui solis Regiam vno, aut altero carmine absoluit, quam vis esset.

Tardidiscentia. Gellio li. 2, cap. 7.

sublimibus alta columnis.

Clara micante auro, flammasq; imitante pyropo.

Verùm non pöeticas modò tribûs † σκαιότης ista, seu scabies quædam occupauit Grammaticos, Sophistas, Rhetorus,

† morositas.

res, Philosophos pariter infecerat à primis vsq; eorum incunabulis non clam, & per cuniculos grassata, sed aperto Marte, ipsisq; (quod mirere magis) victrici suæ plaudentibus. namq; fuit ex eorum numero, qui sponte opus in lucem ederet ineptiarum titulo inscriptum, in quod nugamenta omne genus titulo non indigna conuaserat; scilicet quod Acestes vini cados in naues Aneæ Siciliâ soluenti miserit; quo nomine Hecubę vocaretur nutrix: vtram nam Veneris manum Diomedes vulnere perstrinxerit in acie suppetias Phrygibus ferentis; & alia eiusdem furfuris. Putasses ne in tantâ argumentorum, scriptorumq; vilitate oriturum aliquem, cui tantum ab re suâ otij suppeteret, vt quot syllabas elementa litterarum inter se copulata redderent, subtiliter subductâ, ratione numero includeret? inuentus est tandem, nec vnus sanè de plebe, aut ad lusus natus, sed erectę vir indolis Xenocrates, qui id seriò tentaret. calculum vis addam? à Plutarcho illum mutuabor, qui retulit myriadum viuis summam haud excessisse. nec multo Xenocrate curarum felicior, Stoæ columen Chrysippus. Is ex decem à se excogitatis axiomatis consurgentes combinationes aggressus numerare, miricam centum myriadum rotundauit epocham, quam: ne sibi miniùm ob id placeret, Hipparchus opere edito erroris arguit non plus continere asserens, quàm quadraginta myriadas, & præterea CIϽXLIX. I nunc, & fidem Horatio Flacco abroga, Architam memorem numero carentis arenę appellanti; cùm, ne hoc quidem intentatum, reliquisse importuni ingenij homines, documento sit Archimedis liber, hodieq; extans, id complexus. Quid, rogo te, iuuat hæc nouisse etiam si gratuitò contingeret, ne dum carò empta? Immensa cœli spatia dioponis, terrarum itineribus metiri, operæ pretium fortasse fuerit; hinc ciuilis solertia, inde prædictiones astronomicæ incrementa sumunt. ab ijs serijs ineptijs nil præter litterati studij odium, aut contemptum hauries.

hauries. nec verò abſimilis in re planè ſimili Sophiſtarum labor, qui mercede conducti Ceraſten; Pſeudomenen, Crocodilitem, non ſani capitis inuenta edocent. Quaſi neceſſariò ſequatur, vt qui cornutum argumentum ſoluere ex Dialecticorum formulâ non poteſt, cornua is in frõte ſuâ ſit perquiſiturus. idem à me dictum de mundis innumerabilibus Democriti; de Anaxagorę homæomerijs, deq; atomis Epicuri puta neminem horum ſecundo fauore Muſarum dixeris, niſi eodem vitio teneris: ſed de ijs quidem hactenus ſit dictum, qui improbo labore bonas horas, quarum eſt irreparabilis iactura, prodigunt in ſuperuacaneis rebus diſquirendis. Nunc aliud genus ſcriptorum leuiter attingam: non vt arguam: cui enim rei nihil profecturus? ſed ne obliuionis ipſe arguar. leuiùs ij peccant laudem datura commentantes, ſi ea diſponerent ſuo quæq; loco; nec Horatianum pictorem æmulari vellent cupreſſum in naufragi tabellâ inter irati maris decumanos fluctus ſimulantem. Horum alios videas Philoſophos † μετεωρολογοῦντας orcheſtram comicam inducere, vt Ariſtophanes Socratem in nebulis. alios in fœminarum ore ponere ſententias, ſapientias, ſapientiæ ſtudium olentes, vt Euripides in Menalippe. alios inter epulas à ſaturis narratas dicere ſubtilitates abditarum rerum, vt Dipnoſophiſtarum Architriclinus Athenæus; cui excidiſſe mente penitùs videtur vetus illud verbum olim apud populares ſuos in Græciâ iactatum μισῶ μνάμονα συμπόταν. vbi enim illi conuiuam memorem vix ferunt: ibi hic theſauros prædiuitis memoriæ exhaurit repoſitarum doctrinarum hiſtorię condendæ. Eloquar? an ſileam veneratione hominis deterritus, famâ ſcilicet celeberrimâ etiam maioris? Platonem ipſum non huius immunem culpæ carpit Dionyſius Alicarnaſſeus, rigidus eminentiſſimorum ſcriptorum cenſor: ægrè ille concoquit Socratis colloquium cum Phędro vix dum quidem pubere, ſed adhuc imberbe; in quo præterquam

† De rebus ſublimibus & cęleſtibus loquentes.

terquam quod dithyrambos loquitur dialogo minùs congruentes, quàm cani balneum, eadē vi, ac naturâ Amoris disputat, quæ subsecutorum Academiæ procorum, Procli, & Damasij in primis commentarijs, quamuis illustrata erectæ, studijsq; exercitę indolis lectore indigent. Sicuti numerus item ille, qui prouerbio ansam olim præbuit, cimmerijs tenebris insessus; cuius exemplo in dialogis de Republica est vsus ad rem ob oculos ciuibus ponendam. aut ego planè fallor, aut res non omnibus obuia, promptaque est, quid quaque in re deceat nouisse, quid dedeceat. quod ante nobis quàm accidat, labor erit impendendus summus sub præceptoris non tam seduli auspicijs, qui vestigia regat, ne labamur, diuersa sequentium abrepti deuio errore, quàm sodalis intimi admonitis, qui subinde Horatianum illud insusurret auribus Dele sodes. Nam cur Phemium ab se edoctum, Alcinoi regis citharędum imitemur, causa non est in tam lubricâ studiorum viâ, tamq; prolapsionibus obnoxiâ · cùm difficilimum sit reperire aliquem, qui Suffęnum non agat aliquâ ex parte, se, suaq; omnia nimiùm amantem. Nostra nos vitia delectant. ab emendatione verò adeò abhorret animus, vt ad mordacis veri tactum frontem corrugemus. Quod si quando carmen, aut aliquid aliud à nobis lucubratum legimus in acroasi, sententiasq; circumstantiùm rogamus, non id facimus profectûs, sed immeritæ laudis cupidine. Sic olim Dionysius Siracusanus Laodicenis tragędias suas recitabat, plausum ab illis nunc latomiarum interminatione, nunc auro eliciens. litteras item illas ire sinistras, vt nemorùm Arabiæ vmbras, arbitramur, quæ non exactissimè perceptæ, † ἀκυρολογίαις, † ἀνισορησίαις, † ἀλογισίαις lectorem obruunt: si quis modò tam fatui palati lector illis obtigit, nec cane peius, & angue deuitantur aures misellas breui confecturæ. Eiusmodi sunt, quantæ, quantæ sunt, infantes glossæ leguleiorum, quę non aliter gemmea dicta Iuris consultorum

† Sermone improprietate.
† Historiarum ignoratione.
† Inconsiderantia rationes penuria.

vete-

veterum exornant, quàm aut lutum permixtum cęno eboris candorem, aut pannus florem Melibęæ purpurę. Exempla flagitas? eâdem operâ ſpinas, quæ in Echino emineāt, quæſieris. nulla earum eſt, nec illas eximo, quas plumbei homines aureas appellant, quæ non (vt Polycleti ſtatua, omnibus abſolutę numeris elegantię) canon abſurditatis ſummæ eſſe poſſit. Quid aliud dicam, quàm nimium in nugis occupatos, quos talia charthis non puduerit illinere? quam ruditatem non feram æquiore animo, quàm iſtorum lucumonum barbaram, plenamq; ruris doctrinam, ſeû veriùs δοξοσοφίαν? litteras neſcire voti loco fuit Claudio Neroni intra primum imperij Quinquennium, dum Magiſtro Senecę morigerus probum ſimulabat, ne neceſſe haberet capitali pœnę noxij ſubſcribere. quanto iſtis æquiùs optandum litteras dediſcere, quorum læua eruditio ludibrium debet doctoribus, riſum prætextatis, quos adhucin ludo Orbilius cöercet, ferulam intentans? Arthaphernem, Perſarum Regis purpuratum Græcię vrbes inuiſentem libido non ſanè digna barbaro inceſſit pergulam Apellis adeundi. acceſſit, aſſeditque honore, quo tanti regis decebat aulicos, exceptus, circumſpectusq; ſed tantiſper dum forma, cultusq; corporis amplificus puerorum oculos tenebat, eiuſmodi ſpectaculo parùm aſſuetos. aſt vbi laxare habenas cœpit ineptis ſermonibus, atq; infacetis; extemplo admiratio in contemptum vertit, comitem Achatæum ſtulti loquij. idem planè accidit iſtis Themidis Deæ antiſtitibus torquatis, gauſapinatis, cauſiatis, poſtquam ſilentium in verba, aut ſcripta ampulloſę inſcitiæ ſoluerunt. Quos Thaletas putaſſes nec dum laceſſitas, † Margitas experieris in arenâ. nihil horum temeritate audentius, nihil ingenio obtuſius. Inaudierat eorum de numero quidam Matheſin pro diuinatrice arte quæ Chaldęorum erat peculiaris à ſcriptoribus non indoctis vſurpari, quorum illa ſunt. Nota Mathematicis geneſis tua:

[† Opinionem ſcientię falsò captatã.]

[† Stolidos. à margite, qui fuit.]

[† inſignis faturas, adeò, vt vltra quĩq; numerare neſci.]

eandem latiùs ſumptam Mathematicarum diſciplinarum orbem comprehendere. igitur vt diſcrimen appareret aliquod inter artes tàm arcta neceſſitudinis copulâ coniunctas viam reperit à nullo ante ſectam, aut initam. Secundam Matheſeos ſyllabam producit, cùm artem diuinandi denotat; eandem vi admotâ corripit, cùm vox illa latiùs ſe pandit. id vt trabali clauo fixum menti prolytarum inhæreret, hexametro deuinctum in hunc modum protulit, pöeta non lauro, ſed vrticâ dignus. Diſcere vult Matheſis, ſed diuinare Matheſis. Sexcenta talia inuenies, quæ † λεκάνην. poſſunt, ſi tam infructuosè volueris curioſus eſſe. Ego tanti non emo ineptijs paginas implere; niſi fortè expedit ſcopulis digitum intendere, quos caueas. abſq; eo eſſet, intacta hæc, indictaq; ſinerem. Cùm ad rectè valendum ſalubris diętę præſcriptio ſat ſit, quæ optimi ſucci alimentis conſtat; non alienum tamen à ſe putant Aſclepiadarum elegantiores ſtudio quoq; pari nocitura proſequi † εὐχυμικὶς † κακόχυμα adijcientes. Non ſat erat, Spartæ ad luxus euitanda incommoda frugalitatem verbis exornare, quorum apud eos reſtrictior annona omni æuo fuit: Ilotas ipſos (ſeruorum id genus) multo mero madidos veluti in theatrum producebant circumfuſæ ſpectandos iuuentuti haud ſanè ignari, quam multò acriùs ſubiecta oculis, quàm demiſſa per aures, animum irrîtent. Idem nobis imitari libet Therſite in medium vocato, vt eſt ab Homero ſummo iconicarum imaginum artifice depictus ſecundo Iliados libro. Huic monſtro hominis tot corporis, animiq; vitijs cooperto ne † σκαιότης. quidem de fuit ingenij, quæ in ijs potiſſimum linguæ, morumq; vitijs conſiſtit ♠ ἀμετροεπία nempe, & † ἀκριτομυθία. quarum illa modum in loquendo neſcit, hæc delectum; veraq; verò ſimul copulata, cui ineſt, illum reddit publico odio digniſſimum, in primisq; optimis in quoq; virtutis genere infeſtum, quales in Græcorum ad Troiam caſtris Achilles, & Vliſſes erant heroicę indolis

† Refertum cibis patinam.

† Boni ſucci, & ſaporis rebus.

† Vitioſa: malos humores gignentia.

† Abſurditas.

♠ Futiles ſermo ſine modo.

† Varius ſermo, abcque verborum delectu.

dolis par nobile. horum vnus in consilio procerum apud Agamemnona Thersitem sceptro cædit, plaustris conuitiorum priùs oneratũ; alter, si Quinto credimus, qui omissa ab Homero carmine est complexus, eundem colapho impacto interemit Dijs, hominibusq; plaudentibus, nisi fortè inglorium facinus est visum, tanti vindicis operâ perijsse hominem Musarum, belliq; studijs tam sinistris initiatum. nam & orator non indisertus haberi volebat (id enim λιγὺς περ ἐὼν ἀγορητὴς significat apud Homerum) & Meleagri fratris patruelis comes aduersùs Aprũ Caledonium arma primùm, dein Helenę repetendæ causâ induerat Iliũ profectus. Habes imaginem oculis obiectam, cui si te perquam dissimilimum effinxeris, non eris studijs dedecori, nec te tanquam sinistris imbutum litteris deridendum emunctę naris criticis præbebis.

FINIS.



ALOYSII LOLLINI EPISTOLARIS DISCIPLINÆ. COMMENTARIVS.



Quidem mirarer non perinde in procliui esse de epistolari charactere, & eius differentijs ex arte præcepta tradere, ac est epistolam qualemcunq; scribere, vt se dat occasio; nisi idem orationi euenire scirem. quam cùm in rem quisq; suam, prout vsus exigit, nemo non vsurpet, paucos tamen ex omni memoria inuenias, qui eâ disertè, & ad præscripta Rhetorum vtuntur. similis enim ambarum ratio, paresq; finales ambitus habentur, quamuis nonnulli cum epistola egerint restrictiùs, nõ amplius proferendi pomerij ius ei permittentes, quàm se porrigat familiare argumentum, amicorum alloquijs tributum. in quorum ego sententiam antequam inquiram, operæ precium me facturum arbitror, si à definitione epistolæ exorsus fuero, ita enim fiet, vt non tam quid ego sentiam de toto hoc scriptionis genere, quàm in quo ab alijs dissentiam, appareat. est ergo epistola, nisi ego potius fallor, collocutio inter absentes litteris expressa, ea exquisitiùs complectens, de quibus tractare coram consueuimus. huiusmodi definitione si quis erit, qui à nobis nimium epistolæ tribui queratur, hunc ego oratum velim, vt ad rationes primùm, deinde ad veterum auctoritatem, atq; exempla animum aduertat. quæ nisi nobiscum stare videbuntur, nullam causam dico,

quin

quin in alia omnia discedat. Artemon, qui Aristotelis epistolas, pulcherrimum operum, quæ vnquam, in vnum veluti corpus ordine digessit, epistolam sub eodem summo genere, quo dialogum reposuit, alteram huius partem illam nominans non secus, ac si dialogum in portiones æquas geminas partitus harum vnam præsentium, alteram loco inter se se dissitorum allocutionibus adiudicasset. quod Demetrio quoq; Phalareo visum fuit, qui in hoc Artemonem secutus, epistolæ minus exilem dicendi characterem quippe elaboratiori tribuit, quàm sermonis est, quem ex tempore in dialogo interlocutores serere videmus. Nunc age, postea quàm epistolam ex altera parte respondere dialogo probauimus: quàm huius latè pateat materia paucis dicamus, principio à Socraticorum dialogis desumpto, quorum princeps Plato nullum in immenso illo orbe doctrinarum theorema adeo abstrusum, à communiq; captu hominum sepositum existimauit, vt tamquam ab instituto alienum à suis dialogis reiiceret. Ethica omitto, quorum omnia plena: de diuinis quidem, & quæ nunc Methaphysica dicuntur, in Parmenide tractauit admirabili methodo, ac subtilitate. cui planeassequendæ impares essemus, nisi nobis facem prætulisset flos ille ingenioru̅ Proclus, cui Marsilius Ficinus comparatus psittacum aliquem, seu picam refert, quæ humana verba conari sub doctoris ferulâ ediscat. Naturæ verò arcana, & quicquid ad eam Medicinæ partem, quæ physiologia nuncupatur in Timęo ita est complexus, vt nihil indictum reliquisse visus fuerit vel istiusmodi rerum curiosis. De mathematicis disciplinarum obscurissimis quid attinet dicere? quibus ita plerosque omnes dialogos refersit, vt Theoni Smyrnæo ansam dederit volumen integrum, quod manuscriptum bibliothecâ nostrâ visitur, edendi de his, quæ apud Platonem Mathematice dicuntur. Psychogonia medius fidius, vbi crucem geometris, arithmeticisq; omnis æui fixit, sa-

tis

tis vna ad probandum fuerit, quod volumus; ne Gorgiā, Protagoram, Cratylum, Iona commemorem, in quibus non tam sophistarum redargutiones, quàm grammaticorum, pöetarumq; artes, & pigmenta Rhetorum edocet quamluculentissime, eosdem locos pertractasse Academiæ, Lycæiq; proceres, qui dialogos scripsere, iniuria tēporum effecit, vt coniectem, eorum operibus penitùs absumptis, vnde exempla trahi potuissent Platonicis fortasse non minora. Aeschinis dialogum, cui index Callias, Athenæus citat, in quo Anaxagoras Philosophus exagitabatur. ex Aristotelis tantùm Eudemo, (hoc nomine dialogum inscripserat) veteres peripatetici nonnulla afferunt, vbi de immortalitate agebat animorum haud promptâ sanè recognitu, & de qua præceptor ante in Phædone perquisiuerat. conuiuium Xenophontis adhuc extat. Plutarchi verò manibus teritur studiosorum, quare oracula defecerint, dialogus, in quo ætatem dæmonum ad numerum reducit ex monade conflatum, & duobus primis planis, totidemq; tetragonis, cubisq; ; quarum rerum (eadem enim ferè sunt cum ijs, quæ Plato in procreatione animæ vsurpat) inuoluta, & vix ingenio humano peruia obscuritas prouerbio quondam illi locum dedit, vt si quid esset Cymerijs tenebris maximè obductum, id diceretur Platonicis numeris abstrusius. Heraclidis Pontici plurimi commemorantur à Laërtio, morales, musici, dialectici, naturales, geometrici, vnicuiq; seorsum titulo apposito, ne lectorem iactura tam præclari laboris lateat. nec multo pauciores Aeschines, & Xenophon Socratici scriptis mandauere: vt Athenæi, Lucianiq; dialogos prætercam, variâ eruditione refertissimos. In recensendis latinorum exemplis breuis erit labor, non tam quod serò nimis istiusmodi studia natio illa attigit, doctiores se armis vincere contenta, quàm quia, si monumenta Tullij exceperis, aliorum scripta pene aboleuit commune fatum rerum humanarum.

is igitur

is igitur quam latè in dialogis vagetur, nemo non aduertit, cui facundia viri haud est ignota; quàm verò haud omniũ vestigijs protrita consectari soleat vel ex vno fragmento videre est, quod è naufragio librorum eius de Republica seruatum Macrobij commentarijs acceptum refert, quod non ob eximiam obscuritatem à lectoribus planè deseratur. Verùm exemplorum iam satis, quandoquidem eiusdem autoris dialogos Academicarum, Tusculanarumq; quæstionum, de natura Deorum, de fato, de diuinatione ex earum rerum genere non esse, quæ lippis, & tonsoribus noscuntur, nemo sanè dubitat. His in hunc modum constitutis consentaneum rationi rerum sibi æquipollentium, ac circa eandem materiam versantium videtur, vt ne eo se porrigat dialogus, quò pertingere nequeat epistola ei perquamsimilis, ac planè antistrophos non secus, ac est Dialecticę Rhetorica Peripateticorum principis decreto. igitur dialogum, epistolamq; immensis, ac penè infinitis finibus circumscribi, etiam si exempla deforent, quorum nobis copia superfluit, ratio probaret, nihil scriptioni ademptum dictioni tribuens, modo illud constet, de quo nullus ambigit, in easdem cogitationes posse, & verò solere sæpenumero inter se dissitos incidere litteris tradendas, quæ præsentium mentibus occurrunt, verbisq; explicantur. Finge animo Archimedem diuinum illum hominem in labrum balneare nudum descendentem (nullum namq; tempus illi à meditatione vacuum, nullus locus fuit) explicationis offendisse rationem, qua furtum aurificis (nota est historia) arguitur, Hierone, in cuius gratiam munus id susceperat supra humani ingenij ausa assurgens, procul inde gentium agente, putásne vel momenti morulam fuisse interpositurum, quin adhuc de balneo calens calamo arrepto inuenti sui demonstrationem ad Regem non ageometricum conscriberet non aliter, ac si ille præsens periculo in coronario auro, & argento facto oculos aduerteret; an po-

tius

tius rem totam in aliud tempus dilaturum, istorum supercilium reueritum, qui aiunt non magis epistolari characteri ista mathematica congruere, quam cani balneum? non te autumo in veterum lectione tam esse hospitem, vt ita sentias; nec potius Eratosthenis epistola tuo animo recurset ab Eutocio Ascalonita, Archimedis interprete allata, qua ille Ptolomæum Aegypti Regem apposita schematographia certiorem fecit se organica Mesolabij ratione quomodo duplicaretur cubus inuenisse, Architæ, cui eadem cupido explicandi problematis incesserat, hemicylindrorum descriptionibus penitus reiectis. Eratosthenis vestigijs insistens Tycho Braha (nam singulos recensere longum esset) præclarum astronomicarum epistolarum volumen edidit non ita sanè pridem tanto sæculi sui plausu, vt non sine numine Diuûm ab vltimis Oceani occidui insulis exortum tantum ingenij lumen videatur, quod plus nimio iactanti sua Græciæ opponeremus. Sed stylus ad vlteriora nobis promouendus. Platonis xij. epistolæ vetustatis procellam euasere: nam xiij. criticis exploditur genuini fermè præ se nihil ferens. his multa scitu digna continentur doctrinæ, quæ in dialogis habetur, consentanea. Dialectica, de modo sciendi, methodiq; gradibus, quibus doctrina nobis comparatur, de differendi facultate, & id genus alijs. Ethica, quibus, quomodo, quando dandum sit consilium; sapientem à Reipublicæ non abhorrere administratione. Theologica, Dei mirabilis descriptio; diuinam naturam affectibus carere; reliqua non persequor ad ea, quæ ad Philosophiam naturalem, attinent, approperans. Extant epistolæ duæ Epicuri apud Laërtium, quarum vna ad Herodotum physica eius dogmata complectitur, altera ad Pytoclem Meteora, sic enim ipse cœlestia appellat; ex quibus, qualis vir ille fuerit, tamquam ex ungue Leo facile dignoscitur, quàmq; graues sententias quandoq; effuderit, quæ sapientes sibi etiam fortesq; viros conciliauere. plures præ-

terca ſcripſit didaſcalicas, quarum de numero fuiſſe reor, quam ſextus Pyrhonicus laudat ad philoſophos Mitylenæos. verùm omiſſo Epicuro, quem pleriq; negant ijs fuiſſe artibus excultum, quas qui tenent, eruditi appellantur, elegantiores ſcriptores percurramus. id genus exemplorum magna profectò copia ſuppeteret, niſi nobis epiſtolas Theophraſti, eiuſq; ſucceſſoris Stratonis Lampſaceni, Phalarei, Cratetis, in quibus præclarè illum, facundeq; philoſophari aiunt ſolitum, Ariſtoteliſq; ante alios fata inuidiſſent. ætatem hę ęgregiè tulerant vſq; ad Simplicij, Phocijq; Præſulis Conſtantinopolitani tempora, quorum hic in epiſtolis ſuis, quæ apud nos calamo exaratæ aſſeruantur, earum meminit, ille, dum prædicamenta eruditis commentarijs exponit, argumenta inde ſumit adſtruendi, in eo ſtyli genere Ariſtotelis elegans ingenium ſic excelluiſſe, vt neminem niſi maximo interuallo proximum haberet. quod Demetrius quoq; acris iudicij auctor animaduertit, demoſtrationibus epiſtolaribus ſępenumero illum vſum aſſerens, quæ familiariter loquenti minùs ſanè congruunt. Ad latinos ergo ſermo deflectendus, Annæumq; Senecam in primis, cuius litterę ſicuti ſententiarum grauitate ſummâ, verborumq; non vulgari elegantiâ ornantur, ita ad id quod volumus probandum mirè faciunt, cum Lucilio non aliter, quàm inter eiuſdem doctrinæ æmulos fieri coram conſueuit de philoſophicis rebus diſſerentes nonmodò quæ mores inſtruunt, ſuntq; Stoicorum præcipuum peculium, verùm etiam de dialecticis, de phyſicis, &, quod magis mirere, de ſophiſtarum argutiolis, quas vnà cum phyſiologicis Demetrius Phalareus ab epiſtolari charactere longè arcet. Pliniùs ſanè iunior non ita parcè per diuerticula ſcientiarum diuagatur, vt relationem in epiſtolis rerum familiarium non egrediatur aliquando. quod lector haud indiligens facile dignoſcet. Varro quæſtiones per epiſtolam multas, vt Gellius tradit, explicauit, quod, & Valgium
Rufum

Rufum præstitisse in eo libro, quem de rebus quæsitis per Epistolam inscripsit, Carisius, eruditus autor testatur. Ciceronis epistola ad Cassium plena est Epicureorum spectris, atq; intellectiuis imaginibus, quas illi phantasiæ tribuunt. erat.n. Cassius de illorum grege, qui illecebris deliniti voluptatis virtuti nuntium remittunt, vt ex eius responsione videre est, quæ in eo occupatur maximè, vt demonstret sodales suos virtutem à voluptate non seiungere, sed † φιλήδονον eundem putare, ac † φιλόκαλον. horum Cicero ipse in dialogis acer aduersator fuit. Igitur de quibus rebus otiosi cùm erant, de eisdem nonnunquam per epistolam loqui consueuerant. quod ex illa quoq; patet ad Varronem, vbi se de possibilibus secundum Diodorum sentire ait aduersùs Chrysippum, cui Varro fuerat addictior. At tico verò scribens de modo visionis, eò se demisit, vt problema Opticum Geometrico ritu explicuerit adhibitis etiã ad schematographiam litterarum elementis hunc in modum, sit aspectus a. quod videtur b.c radij d. e. & quidem, ne quid ad disciplinam scholasticam deesset, quod recentes de ludo solent, sermone Græco, quo pariter vtitur in analogia reddenda nominum gentilium, quæ ab Opunte, Phliunte, Sipunte deriuantur. porrò cui fas eiusmodi minutiloquijs, vt cum Tertulliano dicam, paginas implere, quid stylo epistolari indecens putabit? Non tam mehercule Aristippum illum philosophiæ Protea res omnis, atq; color decuit, quàm epistolam decet: quam Anaxagoræ equidem † πανσπερμίαν potiùs vocauerim, aut pandecten iurisperitorum, si eius vsum multiplicem respiciam, finemq; cuius potissimum causâ instituta fuit. Et verò si nihil est, quod illâ magis naturam scribentis, indolemq; indicet, prodatq;, nempe vera animi nostri effigies; quis erit adeò sui simulator, qui possit tantisper personam alienam proprijs moribus inducere, dum scribit? contrà est, quod ille summâ cum ratione verè non minus, quàm venuste ca-

† Voluptuosum.
† Honesti studiosum.
† Omnifariam seminũ mixtionum.

 nit:

nit: Nautæ de ventis, de tauro narrat arrator: præcipuè in epiſtolis ſcribendis locum habet. epiſtolas Medicinales, Aſclepiadæ legales Sulpitij, ac Scæuolæ; Martias, & minarum plenas, viri bellatores; ſacras Imperatores humano generi præfecti; miſcellaneas philologi; Synodalis accyclicas exarat cœtus in vnum coactus conſcriptorum patrum. cur enim non ego ad exemplum noſtros quoq; euocem, qui cœleſtis doctrinæ per epiſtolam pleraq; tractarunt? Paulumq; in primis non aliâ viâ incedentem ad Euangelium remotiſſimis à Iudæâ gentibus vulgandum? Huius diſciplinæ alumnus (nam reliquos prætereo) Dionyſius Areopagita, quâ vir ſanctitate, quâ facundiâ, Apollophanis memoriæ dum regerit ecclipſim illam, quæ vltra naturæ legem ſeruatoris noſtri mortem ſubſecuta eſt, nonne ita epiſtolam ſuam arcanis rerum cœleſtium infarcit, vt niſi quis benè doctus fuerit rerum aſtricarum, vim argumentorum vix queat aſſequi? Syneſius quoq; Ptolæmaidos præſul græcorum, quos ſerior ætas protulit, eloquentiſſimus plures edidit epiſtolas eximio lepôre præditas. his gaudet, dolet, iocatur, diſputat, profanis ſacra admiſcet, & quidem Eleuſinijs multa ſanctiora; Epiſcopos conſulit de rebus arduis; Alaſtoras homines, ac publico damno natos diris agit; &, ſi quid ad rem facit, quomodo debeat clepsydra conſtrui ex arte præcipit. Nec vltimum Græciæ decus nobis reticendum. Georgius Gemiſtus, Beſſarioq; Cardinalis, quorum epiſtolæ apud nos extant controuerſæ de philoſophiæ platonicæ myſterijs, vna cum Theodori Gazæ epiſtolari diſceptatione, vtrum natura conſultò agat ad G. Trapezuntium, qui contrariam theſin tuebatur. pluribus quid opus? ne agreſtibus profectò caremus exemplis, aut piſcatorijs, ex ingenio fictis illis quidem ſophiſtarum. non inficiamur; ſed quibus ſimile vero inſit aliquid, quod ſuadeat, poſſe genus id rude licet hominum, niſi charta, & graphium defecerit, litterarum ad ſuos tranſ-

mittere

mittere nonnihil, piſcium capturam, & rus merum olens. cùm ergo rationum ſatis ſit ad id, quod principio ſumpſimus probandum; exempla verò præclariſſimorum auctorum, & extra omnem aleam reprehenſionis poſitorum etiã ſuperſint, reſtat, vt eorum argumenta ſoluere tentemus, qui ſecus ſentiunt Demetrij autoritate maximè permoti; is .n. primus, vt videtur, epiſtolam liberè quà rerum latitudo panditur antea vagantem, eiſdem planè finibus coërcuit, quibus amoris, atq; officij expreſſio, atq; id genus blanditiæ, quæ ab amicis mutuò vſurpantur, circumſcribi ſolent, iure, an iniuriâ neminem fore arbitror, qui, modò noſtra legerit, ſit dubitaturus. Vellem equidem grandes illæ epiſtolæ Tiberij Cæſaris extarent, quibus ipſe Capreis manens, quò eum conſcia mens ſcelerum retruſerat, Senatui conuitium frequens faciebat quòd fidiculas, ac cruces otioſas eſſe paterentur, quòdq; rarior vncus in Gemonias damnatos traheret. inde ſanè cuilibet facilè liqueret, lenisue, ac venuſtus epiſtolarum ſemper eſſe debeat character. Sed factum benè quòd reliquas nobis fortuna fecit Phalaridis Agrigentinorum tyranni litteras atrocis elegantiæ pleniſſimas. nam de Philippo quid dicam Macedonis Alexandri patre? quem adeò blandè petijſſe per litteras à Lacedęmonijs par eſt, liceret ne ſibi per illorum fines copias traducere, vt reſponſionem monoſyllabam acciperet, quæ petita erant arroganter, liberè negantem. eiuſmodi pleraſq; Marci Bruti legimus, hominis licèt Romani, græcè tamen ſcriptas. in quibus viri ingenium agnoſcas, acre in primis illud, nec ad delicias faciendas natum. quibus ſi omnes omnium epiſtolarum pagellas implere pergimus, næ ad ſodales ſolos, quibus cum nobis plurimus, iucundusq; intercedit vſus, tabellarij erunt miſſitandi. regibus verò Muſarum vetandum interdicto, ne poſthac niſi ad æquales ſuos, atq; combibones de rebus planè leuiculis, & verbis conſcriptas perquam ſimplicibus dent litteras.

ſed ad eadem, quæ à me dicta ſunt ſuperiùs, relabor haud operæ ob pretium. cùm nulli dubium iam ſit iſtos epiſtolari ſtipiti tribuere, quæ vni ramorum ex eo pullulantium conueniunt, familiari nempe, & quem philicum, hoc eſt amicorum collocutionibus peculiare Proclus vocat, vbi epiſtolarum ſpecies recenſet. niſi fortè inuidiam nobis creat Ariſtotelis, quæ Demetrio pro muro eſt, ſumma autoritas. illum namq; ait in epiſtola quadam hiſce verbis vſum
,, non id tibi ſcribo, non enim eſt epiſtolæ conueniens.
quaſi verò plurima non ſint, quæ litteris tutò minimè creduntur, non quòd eorum pondus ferre minùs queant, ſed quia negotio nullo illæ reſignantur; quamuis ſigillo Sphyngis fuerint munitæ. quod in cauſâ quoq; fuiſſe arbitror, vt Heraclitus ad Hermodorum ſcribens eamdem ferè di-
,, cendi formam vſurparit inquiens. te conuento mihi
,, opus eſt, vt pluribus de rebus tecum agam, quas quòd
,, ego ſummopere arcanas, ſilentioq; ſuppreſſas cupio,
,, litteris non trado, ne cuiuſquam animùm offendant in-
,, terceptæ. nihil enim minùs panditur in vulgus, quàm
quod vnus aliquis vnius fidis auribus committit, maxime Heraclitus Hermodori. hinc factum, vt Cicero quæ palam fieri nolebat, vel coràm, ſed remotis arbitris, Attico ſuo, hoc eſt alteri ſibi vel ſi per epiſtolam non niſi in ſcirpis, &, vt ipſe ait, † διὰ ζημείων neq; nullis litteris committendum eſt, quod ſi prolatum ſit, moleſtè feramus. Cn. certe Plancus plura ſe Furino legato verbo, quàm ſcripturâ mandata dediſſe ſcribit, vt & tutiùs ad Senatum perferrentur, & ipſe eſſet tutior. huiuſmodi interpretationem locus Ariſtotelis cùm capiat, etiam ſi vis ei non adhibeatur, non eo nos adiget opinor, vt mutare nobis ſententiam neceſſe ſit. Et de epiſtolari argumento hactenus. Nunc de orationis genere, quo illud explicari debeat; pauca adiungentes, nec in hoc quidem Demetrio aſſentiri poſſumus dicenti, è venuſto illud, ac tenui conſtitui. quod nemini

† Ex ſignit.

mini

mini ſanè mirum videri debet, qui ſecum reputet non aliter nos conſtare nobis potuiſſe, niſi poſtquam epiſtolę haud paulo latiores, quàm ille, fines attribuimus, non vniformem quoq; ſtylum rei planè multiplici ſtatueremus. rerum imagines, atq; notas explicatrices eſſe verba nemo negat, verborum literas. ſi igitur argumentis per epiſtolam tractandis grauitas accedat, ac ſublimitas, quod non eſſe ex eorum numero, quæ fieri non poſſunt, iam oſtendimus cui nam erit dubium eis non ſolam tenuitatem orationis conuenire, atq; venuſtatem? In dialogo res fiet, niſi fallor, clarior; in quo licèt infra epiſtolarem characterem poſito, quod ad exilitatem ſermonis attinet, nonmodo granditas inuenitur dictionis aliquando haud multum panegyricis inferior, verùm etiam dythyrambis congruens oratio. Hærent adhuc animo verba illa Socratis in Phædro ab Dionyſio Alicarnaſſæo quoq; animaduerſa, quibus ita Amoris laudes fuit proſecutus, vt infantes propè æui ſui Rhetoras præſe oſtenderit. Ciceronis verò qualis encomiaſtica illa repoſitio in Academicis M. Varronis viri amiciſſimi, & quidem præſentis in Cumano data auribus? tu ætatem patriæ, tu deſcriptionem temporum, tu ſacrarum iura, tu Sacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinã, tu ſedem regionum, locorum, tu omnium diuinarum, humanarumq́; rerum nomina, genera officia, cauſas aperuiſti. deductum ne aliquid, & quod ſit familiari conſuetudine attritum ſapere videtur, an ſummâ curâ, ac ſtudio ab ingenio omni elegantiæ genere exculto perpolitum? ſexcenta iſtiuſmodi habentur, quæ proferri poſſent, ſi res exemplis indigeret paſſim apud dialogorum ſcriptores obuijs; nec nos ad epiſtolas, quæ nobis nunc cura eſt fermè præcipua, properaremus. quarum de genere quanuis numero maiorem copiam ſeligere ſibi quisq; poteſt, cui primores Græcorum, atq; latinorum, qui ſcribendis epiſtolis inclaruerunt, haud ſint ignoti, nos tamen ad Platonem

ipſum,

ipsum, Demosthenem, & eius ęmulum acerrimum Æschinem, Synesiùmq; ex Græcis quin digitum intendamus facere non possumus, ægerrimè hercule ferentes, quòd Thucididis, Xenophontisq; cuius fragmentum citatur à Theodoreto ex epistola de Platonica disciplina, & Aristotelis in primis epistolæ temporis iniuria amissa, non sint in manibus, quas à se laudatus vehementer, Demetrius tamen ipse grauiores putat, quàm quæ pro familiaris styli regula ponantur, è latinis verò non tam Ciceronem, quàm ex ipsius epistolis singularem illam ad L. Luceiū numero exemptam ad exemplar damus præfati ipsius autoris testimonio plurimum ei artis, nec minus eloquentiæ luminis inesse, quanuis ipse alibi plebeio sermone cum Peto agere se dicat in epistolis, verbisq; quotidianis. quæ cùm à me scribuntur non à lectoribus accipi perinde velim, ac si in conscribendis quantumuis grauibus epistolis Rhetorum myrothecia consumenda censeam. non ea mens animo. orbes ipsis suos ad detinendas concionis aures anxiè tornatos equidem relinquo, figuras orationibus aptas, pigmentaq;, & id genus † Lecytos Aristophanis scommate derisa non inuideo. tantùm oro, per hos nobis Lycurgeos liceat, saltem dum ad Reges, insigniq; viros præstantes dignitate scribimus, vt ait Pindarus, non iam pusillis ampliùs flare tibijs, epistolamq; tenui auenâ meditari. quòd præcipere Demetrium quantùmuis de studijs pręclare meritum insuper habeo, cùm videam Theophrasti magistri sui præceptorem, vt cæteros omittam, ipsomet quoque referente aliter sensisse. sensisse autem? imo, quod multo est pluris faciendum, scripsisse ad Antipatrum præcipuè, atq; Alexandrum. enimuerò binæ sunt epistolæ, Platonis vna ad Dionis propinquos, Demosthenis altera ad S. P. Q. Atheniensium de Licurgi liberis, quas ego Demetrio oppono non magis quod ad tenuem pertinet dictionis formam, atq; eloquentiæ frugalitatem, verum etiam, vt eius

† Pulmētaria.

sen-

ſententiam refellam (vtraq; enim harum ſatis longa eſt) de epiſtolarum breuitate. cui ille ſententiæ ita pertinaciter eſt addictus, vt litteras paulo prolixiores, syngrammata, hoc eſt, conſcriptiones appellet, quæ nihil aliud præſeferant epiſtolæ, præter vale, ac rem bene gere, quæ boni ominis gratiâ adiungi ſolent. quod ſi verè dici iudicatum fuerit, iam non vſu epiſtolæ magnitudo, vt par erat, ſed cubitis, perinde ac Ægyptij agri annua vbertas Nili incrementa ſubſequens, erit metienda. quæ igitur iuſtos terminos, præſcriptamq; breuitatis menſuram quattuor, aut quinq; ad sũmũ lineis exceſſerit, euadet ſtatim † ὑπέρμετρος, non ampliùs epiſtola dicenda, ſed quod vis aliud? puto Soritis huius maximam abſurditatẽ quemlibet proſpicere, quæ eò demum rem deductura eſt, vt epiſtolam dudum obſignatam, ſi quid ei, occaſione admoniti, vti fit, adijcimus, dum ſerus nos tabellariorum abitus moratur, in longè diuerſum, quàm fuerat, mutemus ſcriptionis genus, & quidem argumento, dictionisq; charactere nihil immutato. quanto ille melius, cui conciſa Homeri poëmata videntur quanuis ea in xlviij. libros cenſura criticorum diſtribuerit, quod illis nihil omnino demi poſſit; contrà verò Antimachi epigrammata prolixa, in quibus reiectanea ſuperſint plurima, & quæ plus habeant putaminis, quàm nuclei? M. certe Tullius, quo ſolo, vel cum paucis ſtant fortunæ latij, hoc Demetrij ſcitum dignum profectò quod Ephori Laconum decreuiſſent, non Athenienſium orator longè facundiſſimus, adeò contempſit, vt cum T. Volumnius, Pomponiusq; ſe illi Atticus purgaſſet, quod in epiſtolis ad ipſum garrulus vltra modum ſibi viſus eſſet, inquit quod de Archilochi Iambis Ariſtophanes grammaticus, idem ſe de illorum litteris exiſtimare longiſſimas quaſq; eſſe optimas. nec ſic quidem ipſe dixit; ſecus autem fecit dum ad ſuos ſcriberet. complures in epiſtolarũ voluminibus comperies, quæ ſub ipſius nomine circumferuntur ſententia-

† Immoditia.

rum, ac verborum copia vberrimas, vnam verò maxime ad Q. Fratrem Cæsaris Anticatones exæquantem; quam tamen adeò eruditi omnes suspexere, præsertimq; maiores nostri Reipublicæ Venetæ optimates, vt narret in epistolis Franciscus Barbarus Hermolai illius auus, qui renascentibus litteris non ingenio magis, quàm industriâ, qua plurimum pollebat, haud parùm contulit, illius exemplar proficiscentibus in prouinciam prętoribus dari in mandatis solitum, vt haberent, vnde præcepta sumerent æquo iure subiectos suæ ditioni populos regendi. hæc fermè fuere, in quibus à Demetrio autore præclarissimo dissentiebamus, quę quoniam in vniuersum characteri cōueniunt epistolari meritò præmisimus. Nunc antequam in singulas quasq; epistolarum species stylo diuertamus, non abs re fore sumus arbitrati, si Gregorij Nazianzeni, quem nos sanè virum Demetrio parem, ac plane æquilibrem statuimus, de totâ hac re sententiam explicauerimus ab eius epistolâ ad Nicobulum desumptam. quę cum ex earum numero sit, quæ in lucem nec dum editæ apud nos in thesauris Musarum asseruantur, non iniucundum hominibus nostris puto fuerit, si à nobis latinę reddita hìc subijciatur.

Gregorius Nicobulo S. D.

Epistolas scribentium, nam id quoq; rogas, nonnulli longiores eas conscribunt, quàm par est, breuiores alij; & vtriq; non aliter aberrant, quàm qui citra scopum, vel extra iaciunt. aberratio enim similis videtur, etiamsi à contrarijs causis emanet. erit ergo mensura epistolarum optima, necessitas. nam neq. prolixior scriptio rem decebit arctam, nec contra vberem restrictior. nisi quis metiri cubito sapere voluerit, atq; ita sanè scribat, ac si ne scriberet: & si non potius meridianas vmbras æmulari studeat materiæ subiectæ magnitudinem adæquatam, ac congruam attribuens.

Et de breuitate hæc sufficiant: si id adiunxero, Laconismum

mum non esse, vt tu reris, syllabas scribere perpaucas, verùm de plurimis perpaucas; sic ego & Homerum breuiloquentissimum existimo, & effusè garrulum Antimachum, qui non syllabis dimetiri scriptionis magnitudinem didicerim, sed rebus. De perspicuitate autem epistolæ sic censeo, oportere eam ab oratione Rhetorum digressam, quoad eius fieri potest, ad familiare alloquium deflectere. & verò ille in eiusmodi characteris genere omne tulit punctum, cuius epistolis & rudes iuxtà, & eruditi capiuntur; hi quidem, quia supra commune ingeniorum fastigium assurgit, illi quod communem non excedit captum. alioquin absurdum, ineptumq; æque puto ęnigma omnium intellectui obuium, ac epistolam, quæ Oedipode enarratore opus habeat. Tertium quod in conscribendis litteris requiritur est Græcorum Charis, tu lepôrem, seu festiuitatèm dixeris, quam tum demum assequi poterimus cum ita temperabimus stylum, vt nec omnino squallens, ac ieiunus ab omni genere sententiarum, prouerbiorum, apophtegmatum, scommatum abhorreat, nec his ad fastidium vsq; abutatur. illud.n. subagrestis fuerit, hoc intemperantis, ac planè immemoris non secus lepidiora ista intertexta literis, quàm vesti fila purpuræ placere. tropis raró admodum, eisq; non inuerecundis est vtendum. antithetis verò, ac paribus membris, & id genus Rhetorum phaleris haud vnquam seriò. nisi forte vbi ludere iuuat, vti fit per iocum. Deniq; qnod non inelegantis ingenij virum de aquila dicentem olim audiui, cùm aues Regis legendi causâ vnaquæq; exculta pro censu, ac opibus simul conuenirent, ipsam pulcherrimam ob id maximè visam, quod minimè sibi pulchra videretur. idem ego de epistola dico, eximij ornatûs illi fore loco natiuam, & omni carentem fuco pulchritudinem.

Hinc facile, nisi me fallit animus perspicitur quid de angustis epistolaris argumenti finibus, & eius breui explica-

tione vir ille senserit, qui præter diuinioris sapientiæ arcana, vnde ei Theologi cognomen summâ omnium consensione olim hæsit, nullius philologiæ partis ignarus, in epistolis conscribendis admirabili fuit facultate. quarum hoc tempore singillatim ideas recensere nobis est necesse, si promissi fidem volumus exoluere. sunt itaq; quæ à Proclo Lyceo Platonicorum procerum πολυγραφώτατα recensentur xl numero plus minus. futuræ multo sanè plures, si volet vsus, nec tempus in se volui desinet, cui reperta huiusmodi maximè debentur. has nos magnâ ex parte græcis nominibus indigitabimus à philicæ epistolæ ideâ ordientes. Philica est, quæ non tam ab amico ad amicum texitur leuidensi filo, quàm declarationem in se continet mutui amoris. patet autem latiùs, quàm se extendat veræ amicitiæ germanitas. cuius exigua admodum paria post natos homines nomine cière possumus. nam, & viri magni, quiq; coli, potiùs personæ, ac dignitatis gratiâ, quàm amari solent, ad homines sæpenumero humiliores, & non sui censûs scribunt peramanter. & quos inter nulla, aut perquam exigua necessitudinis intercedit causa, plerunq; verò etiam offensionis, si casus tulerit, videbis istiusmodi literis vti, vel abuti versùs; vt amicitiæ obtenta id obtineant, quod vi extorquere obuium haud æquè foret. non enim ita crustulis pueri ducuntur, vt maturæ ætatis homines potentiorum blandimentis. Huiusmodi nonullas vel inter Phalaridis literas inuenias. adeò amicitiam loco simulare solertis est, & cui nonnunquam vulpinari expedit. prioris generis exemplorum sunt plena omnia, quæ missa facio, vno, vel altero contentus.

Iouem Philium testor semisse me mei viuere à discessu tuo; nec sanè id mirum potiore animi mei parte tecum hinc profectâ; reliquâ verò, quæ remansit domi, admodum ægrè tolerante tui desiderium. quod me ita conficit, vt Theocrito planè iam assentiar dicenti, amicos vel vnum

diem inter se se dissitos senescere. hoc sustentor modò, quòd de te omnibus horis cogitando, loquendoq; plurimum cum summâ testificatione tuorum in me officiorum, & mei in te amoris te præsentem fingo, sicq; mihi impono, donec tempus abeat annuæ præturæ, quod tam mihi lentè, testudineoq; gradu progredi videtur, vt in mentem veniat vereri, ne quis ei alas præpetes inciderit. ab hac opinione nihil me faciliùs deducet magis quàm tuæ crebriores literę, quæ me propediem te adfuturum reddant certiorem. Vale.

Necessitudinis nostræ veteris memoria ita mihi fixa, immotaq; manet, vt eam præsentis fortunæ indulgentia, munerisq; amplitudo abolere nequeat. alijs equidem quin grauis pro dignitate, verendusq; videas, non renuo; tibi excusâ omni seueritate idem ipse ero, qui quondam fui, dum longos otiosi soles rure condebamus de philologiâ simul colloquentes. huius rei, quantùmq; causâ tua cupimus, vti facias periculum, nisi verbis te exorari sinis, at saltem exemplo suaderi patere in eo nobis obsequendo, de quo familiaris noster Mnaseas, qui tibi hanc epistolam reddet, tecum aget. nobis certè pergratum erit, tuorumq; omnium simillimum, si rem perfeceris, cuius gratia illum ad te mittimus. Vale.

Παραινετικὴ est, quâ quis hortatur aliquem ad virtutis capescendum decus, aut dehortatur à dedecore. hanc nonnulli cum suasoriâ, & dissuasoriâ coniungunt, vel confundunt veriùs, mihi, quod volunt, minùs suadentes, quod hortamentis ad decus nemo ita aduersatur, vti contradicat, nisi priùs pudère dedidicerit. quis enim, modò ne Diagoras, monitorem arguat, quòd sibi præcipiat, vt parentes colat. Deos veneretur? at suadenti bellum solent refragari, pacis studiosi, ea memorantes, quæ Mars amés affert, cædes, incendia, rapinas, vastitates vrbium, & reliquum Erynnium choragium. prioris formula hæc fuerit. Paruum ego te satu meo genitum eduxi domi ad istam vsq; † Exhortatiua.

ætatem

ætatem liberalioris disciplinæ docilem, quam vt capesceres, ipse primùm, quasi parum foret semel genuisse, animùm tuum ad humanitatem adhuc planè rudem politiori cultu efformaui, post ad Euganeas te Athenas, tanquam ad mercatum doctrinarum mittens præcipuo philosophorum, qui istîc stipendia Musarum merent, commendaui, vbi si monitis meis obsecutus, veluti in pulcherrimo virtutis stadio, vt impigrum addecet cursorem, gradum promoues, est quod mihi tibiq; gratuler, breui fore autumans, vt nec te pœniteat laboris, nec me spei, quam de tuâ profectura in dies indole concepi. Sin autem posthabitâ autoritate vrbis, ac doctoris, desidiam studijs prætuleris, tu quidem existimationis propriæ decoctor serò flebis inglorium, & sine honore reditum ad tuos; ego verò veruecem *pro filio non feram, præsertim cùm te non ad Beotum pascua ablegauerim, sed in ea loca, vnde decus sudore partum reportari solet.*

Æstate ne penulam teras, cùm vel interior tunica est oneri, puto te verbo veteri edoctum, vnde nos corrollarium deducimus haud tibi sanè minùs vsui futurum, pecuniam ne prodigas, cùm opus non est, sed necessitatibus seponas, quæ & crebriùs incidunt, quàm reris, & æra acriùs efflagitant, quàm vt vel diem differri solutionem patiantur, harum igitur obiurgationes, si te imparatum inuenient à nummis, simul fœneratorum fraudes, si te ad eorum scopulos tempestas tulerit, reueritus, arcæ *vt parcas, censeo. vnde frustrà tandem hauries, nisi parce hauris. Vale.*

Si apud vos, quod ex animo velim, tempestas illa bellica deseuijt, modò ne ad otium, censeo, vt te ad quietem dedas. tantum enim illud vires, vigoremq; ingenij resoluit, desidiæ, otiiq; ex eâ luxûs puluinar, quantum hæc reficit, ac fouet, sedula studiorum nutrix, ac Musarum comes; quamq; si vitæ pretium vocaueris, nobis à Dijs immortalibus tributum, ne laboribus fracti labaremus, haud multum à veritate aberrabis. mihi quidem non aliter videtur,

tur, modò quies inquies non sit, negotiolis curtis, ac friuolis referta, cuiusmodi nimium quantum curiositas, si habenas illi semel laxaueris, amministrabit, bonas tibi horas ereptura. meliùs porrò ita negliguntur, quorum nobis cura accuratior neglectum affert, potioris frugis. sine clam te fiat, quod ad te parum, aut nihil refert, alioquin frustrà te quietis studio iactabis, minutis plerunq; reculis districtus. Vale. Dissuasoriæ exemplum.

Audio te bibliothecam, maiorum tuorum curâ comparatam, pretij cupidine illectum ad Britannos, si emptorem cupidum inueneris, perferendam ventis commissurum. nec me cohibere possum, quin frontem feriam, tragicumq; in modum exclamem, Dij nefas prohibete, & tale Veneto nomini dedecus auertite. Nam quid aliud nisi Glauci commercium id fuerit, ingentem Sophiæ thesaurum ditaturum posterorum animos vili planè metallo, æruginiq; obnoxio mutare? rapuerit, dummodo inuitis, olim Musarum instrumentum, doctamq; supellectilem barbaries, latium deuastans; posthac ne nos vltro decora nostra prodigamus. dices, canem esse olitorium illiteratum Codicum custodem, vel Draconem vigilem Hesperidum. demus ita fore. quid te vetat quæso olera, seu poma legere scientibus fores reserare? aut quis tibi Deorum ex machina prædixit de tua stirpe oriturum neminem, cui hæc non sordeant? omnia vt te frustra habeant, nonne vides te vrbis pulcherrimæ genio facere iniuriam, cuius ornamenta inter nautarum sarcinas Oceanum vltra auehenda tradis? Pactolus me non inauret, velim hac exutum gaza, qua sine vel opes ipse inopes habentur; domini verò earum nihil aliud quàm Phryxeum pecus. Disuasoria suasoriæ mixta.

Rumor ad nos pertulit, te ad exonerandam laris patrij familiam, numerosâ sobole grauatam, seriò Carthusianismum meditari, sacrum vitæ genus, & planè diuinum, si suo per se pretio expensum, & non alius rei ergò peteretur

multò

multo minùs illo dignioris, cuiusmodi est inempta, & ad victum, cultumq; abundè sufficiens annona. Laudarem itaq; consilium, nisi à necessitate originem traxisset, ventriq; mentem animi subijceret rei planè brutæ, ac inerti. nunc verò aqua mihi hæret, hinc præstantiam finis, quo iam tendis, inde occasionem circumspicienti, quæ tibi ad eius consecutionem ansam dedit. nec priùs sensum meæ sententiæ expediam, quàm tu de semita in viam rediens iter, ad quod accingeris, arduum quidem illud, & astris quàm terræ proprius, aliter quam per decliue institueris omissis omni ex parte diuerticulis, quæ non tam cœlum, quàm præsepe petunt, messemq; alieno labore satam, ac collectam. Vale.

Μεμπτική, quam expostulatricem non ineptè dixeris, iustam de quopiam continet conquestionem. qualis hæc. Erat tuæ fidei, quàm mihi, cum apud vos essem, toties obstrinxeras, mei absentis fortunam, existimationemq; acriter tueri aduersùs maleuolorum audaciam, cui leges, Themimq; adeò ipsam facilè cessisse non tam sanè miror, quàm amici veteris officium. nisi fortè vos parùm differre admodum putatis, aliquis ne conscensâ naui Adriaci sinus æstuaria, an paludem stygiam transnauerit, vtrunq; enim discrimine nullo ex oculis ereptum, quantum ad vos spectat, lethe excipit. quod si ita est; næ tu, cùm hæc nostra leges, apud inferos scripta causabere, vnde negant redire quemquam. omnino sanè aut istîc nobis rupium instar marinarum fuerat hærendum, aut istînc soluentibus spes abijcienda omnis memoriam nostri apud vos mansuram. Vale.

Παρακλητική in deprecando maximè occupatur rei alicuius gratiâ, quam exorare nostra plurimùm intersit. Exemplum eius hoc esto. Bis quidem eodem exemplo proximè ad te scripsi, facilè vt intelligas nimiùm nos velle, imò vehementer etiam tacentibus nobis tempus flagitare, vt maturè quantum fieri poterit, ad nos te conferas. incides in discri-

discrimen ipsum existimationis, ac salutis nostræ, quam æmulis oppugnari acriùs, quàm defendi ab amicis luctuosum mihi sanè fuerit, humanitati verò exitiosissimum, cuius iura non aliter tolluntur. Sed quid ego ista prosequor, qui sciam difficillimis meis casibus edoctus quàm expromptâ sis fide, ac sedulitate? an vt hinc agnoscas periculum non leue esse, quod me in preces, obsecrationesq; ire cogit necessarias illas quidem minimè futuras, vti spero, sed quales arduis in rebus ab his, qui maximis sollicitudinibus iactantur, adhiberi solent. Vale.

Commendatitia Συςατική à Græcis, quibus locos pertractarunt, appellatur, quod alicui quempiam veluti sistat, de manuq; in manum tradat exornandum, tuendumq́; qualis egregia illa Ciceronis est Trebatium de meliori notâ Cæsari commendans. huiusmodi fuere Συνθηματικαὶ epistolæ Episcoporum, quibus solebant inter se scribentes veluti communibus tesseris commendare aliquem de grege, & vnde, & quò proficisceretur, indicare. erant autem, ne à quoquam adulterari possent, nōmodò signatario annulo, sed & compendiarijs notis communitæ. Dimissorias, formatasq; vocat Gratianus dist. 13. nominis ratione sumpta de Synodi chalcedonensis constitutionibus. Has Gregorius, cui à Theologia cognomen est, ait Iulianum Cæsarem plurimum sibi probatas æmulari solitum. nam Pacificæ quæ vulgò dicebantur à Systaticis parùm differebant, quarum Concilium Antiochenum meminit. dum vetat ne quis Pontificum alienum Clericum absq; sui Præsulis pacatis literis suscipere. Exemplum Q. Florentium mel, ac delicium Musarum modestia morum. veluti Æneam olim Venus, ne à quoquam dignosci posset, nube texerat. texissetq; porrò, nisi famæ illum prodidisset carminis eius elegantia, quod diu, multùmq; arctè habitum nescioquo pacto ergastuli tandem claustris effractis, per ora studiosorum summâ cum autoris laude vagatur. hunc tibi, istuc

enim ex itinere cogitat diuertere, plurimùm commendo, non eius quidem rogatu, cui nomenclatores latuisse ambitio est, sed tuæ in spem gratię quam me initurum sanè reor, si tibi omnigenę eruditionis virum indicauero, tuâq; consuetudine dignissimum. fruere igitur quantùm temporis pati poterit angustia, & nobis indicinæ præmia te debere dices. Vale.

Εὐκτικὴ Græcorum nobis optatiua est, ea, quæ votis adprecamur, continens, cui opponitur apeuctica. primi generis species quædam esse potest, qua quippiam auspicati ominamur summatibus viris, quorum in clientela sumus, vel amicis magnis sub nouarum ingressum Iani calendarum polyetiam nempe, & plutoigyam. Exprimi non potest, quàm huius characteris semen fœcundum fuerit in Romana Curia, & plerisq; alijs Europæ regijs, vbi sub anni ineuntis tempus tot fasces eucticarum litterarum videas, vt eas perlegere tædium non leue. conscribere labor sit Herculeus. non aliâs contra Brumę rigentis genium librariorum calamus sic feruet. nunquam Principum virorum magis palatum nauseat, quàm ad conspectum huiusce Crambis toties recoctæ. inuenti origo, cùm exemplum in monumentis veterum non extet, ita ignoratur, vt coniectura haud prorsus improbanda sit Romanos (nam Græcis cum strena ipsa hæc ignota) id genus epistolis vsos boni ominis ergò Saturnalibus, cùm vltro, citro missitari munera mos erat. quorum de numero vt istas etiam salutatrices chartas, quarum sed nondum calamo exaratarum inter Apophoreta fit mentio, fuisse censeam, facit cum Demetrij Phalarei auctoritas, qui tradit epistolam doni cuiusdam instar esse, tum Martialis poëtę locus, vbi carmina sua Marco debita Saturnalitium tributum vocat. parùm enim referre puto vorsâ ne, an prorsâ oratione Patrono officiosus cliens fausta omineris. præsertim cùm per absentiam adesse nequeas, vnusq; de tam multis numerari, qui mutuò sese im-

ſe impellentes per id tempus potentiorum limina obſeruãt. In ſacris huius veſtigium apparet manifeſtius ex veteri conſuetudine piorum pręcipua quæq; feſta per literas ἑορτασικὰς ob id dictas inter ſe mutuò prænunciandi, celebrandiq; meminit huius iam recepti moris grauis autor Theodoretus in Epiſtola ad Hermogenem à Baronio edita Annalis 2. anno 263. Inde licet petat, qui hæc noſse cupit. Ἑορτασικὰς ipſe litteras feſtiuas nominat ſignificatu laxiore, & qui omnes cohibet lepidè conſcriptas, nos ſolennitatibus apptas vertebamus, cuiuſmodi Ioannis Antiocheni pluri. mæ leguntur apud Græcos. vtcunq; ſit nulla, quàm hęc, ſcribendi formula hodie frequentior, cùm, vt eſt ingenioſa adulatione dicam, an ambitio? ad ſolennes Natalitias apprecationes Paſcales etiam acceſſerint; vt iam non magis olim Cæſaris aures pſittaci ſalutatores, quàm nunc iſti amicos magnos ſuis ominoſis literis obtundant. Exemplum Soſpitem te annum climatera euaſiſſe ætati iſti Acroceraunijs ipſis ſcopuloſiorem non tam tibi, mihiq; gratulor, cui incolumitas tua nihilo quàm mea ipſius eſt iucũdior, quam Deum obnixe precor, vt calendas iam aduentantis Iani, optimumq; dierum Saturnalia in omnem hilaritudinem ſolutus peragas carus, optatusq; tuis, cunctis liberalis, deinde alia, atq; alia, donec ſupperant in littore Lucrino niuei lapilli, quibus candidiores vitæ dies more Thracum numeres. Quod dum dico non modò pro te vota facio, ſed pro ſtudijs, literisq; noſtris, in quorum commoda ætatem exigis, eò conducibiliorem Reipublicæ futuram, quò longiorem. Vale.

Ἀπευκτικὴ dici poterit ea, qua triſtes nuncios abominamur, reijcimusq; Rumor inoleuerat hîc pridem à ſubroſtrano neſcioquo ortus te, quod omen Deus auertat, inque caput autoris transferat, inter viuos eſſe deſijſſe. id ego, qui Charonte tabellario non vtor, niſi malignè conſictum crederem, nunquam animum induxiſſem meum,

 vt lit-

vt litteras ad te darem, quas in campis Elysijs perlegeres. Superi ne sirint, vt quicquid inauspicati obtrectatorum liuor domi meditatum in forum attulit, adstruat euentus, præclaris ingenijs tui persimilibus, quorum nominis fama malos angit, esset nobis breui parentandum. nam, vt quisque in foro eminet, statim inuidiæ obijcitur istorum, quibus odisse, quàm imitari multò est procliuius ignauis, lucifugis, voti perinde improbi, ac irriti. tu non aliter vlcisci velis bubones istos confectores tuos, quàm curando, vt bene, diuq; valeas. hoc vindictę genere nihil erit nobis optabilius, nihil illis tristius.

Ὀνειδιστικὴ nobis, qui latinè loquimur, est improperatoria, ac conuiciatrix, quæ ingratitudinem alicui exprobrat. Beneficiorum ego nomina non facio, vt ingratos mihi ducam persequendos velut decoctores. bono igitur per me sis animo, nullus te neruus vinciet etiamsi te mihi liberè in occursum dedas; nec post fori columnas latites, vt facis, dum me procul vides. quòd si conscientiâ sceleris moueris (aiunt enim te mihi pro benefactis quoq; maledicere) æquiùs à Cœli conspectu abstineres, vnde fulmen iacitur, mores istiusmodi vlciscens. Vale, vt es dignus.

Συγχαριστικὴ latinè congratulatoria vocatur, quâ rebus aliorum secundis collætari, quod est summæ coniunctionis animorum signum, consueuimus. Longum istum discessum à nobis tuum, vt solito æquiùs feramus, facit prolixus in te absentem fortunæ fauor. qui te procul à patriâ, dempto omni industriæ labore Baijs otiantem insperato ingentium opum cumulo ditauit. patruus enim tuus Pluti ille condus è viuis excedens commodùm arcę excubare desijt, te hærede instituto fortunarum, quas coaceruarat opinione hominum maiores. hac ego de causâ tibi vehementer, Musisq; gratulor, quorum maximopere dignitati inter esse reor clientes suos domi posthac lautiùs cœnare, ne illis necesse sit vnà cum sodalibus Catullianis quærere in triuijs

vocationes: præsertim cùm te sciam Theophrasti sententiam secutum, opinari felicitatem dignam sapiente, à fortuna commeatum sumere ad sumptus oportere, nisi velit redire ad Cratetis peram, qua te non admodum delectari solitum, cùm apud nos esses, commeminimus cura igitur, vt valeas, quod assequere procul dubio, si lentem longùm valere iusseris, Geniumq; accuraris non indiligenter.

Συμπαθητικὴ est, per quam amicorum incommodis officiosè indolescimus qualis illa Seruij Sulpitij ad Ciceronem: eandem consolatoriam alij dixere, quamuis non leue discrimen sit, doleasne alterius casum, an demitiges. quæ tamen licet inter se diuersa, non raro commisceri solent. Pro veteri nostrâ amicitiâ tuo tali tempore scribere ad te aliquid debueram, quo vel lenírem dolorem tuum, vel dolerem saltem. id tamen adhuc non feci, quia neq; quicquam ad consolandum aptum succurrebat animo, in summo suo angore, alieno leu animę egenti: neq; mihi eorum mos satìs probabatur, qui carorum fletibus suas ipsi lacrimas, quas celare magis oportebat, veluti camino oleũ, infundunt. postea verò, quàm spem habere cæpi fore, vt te ratio, dies, naturaq; adeò ipsa tibi mitiorem redderet, facere non potui, quin has ad te darem voluntatis erga te meæ testes, officij monitrices tui; quod in hoc consistit, ne, dum amissi nati casum lamentaris, querelis nihil profuturis, superstitum te subeat obliuio; quibus sicuti tua est incolumitas vitâ ipsâ carior, ita illum ipsum, quem gemis hoc vnum puto apud beatos, si quis eo rerum nostrarum nuncius affertur, ægrè habet te animo angi rebus suis lætis. recordare igitur pristinę tuę ætatis studia, sapientię impensa, cui te non constantem probare in huiusmodi casibus ferendis, quæ cotidie nulli non incursant, quid ni tuâ grauitate parùm dignum fuerit, quam ex priori vitâ fac, si nos amas, ne desideremus. Vale.

Historica est, quæ aliquid contigisse narrat scitu haud indi-

indignum; de qua hæc Cicero libro ad Atticum secundo. *Si quid in ea erat, quam dedisti historia dignum scribe quàm primùm, ne ignorem. Exemplum.* Cor mihi haud ita pridem perfrigefecerat Andreæ Maurocæni amicorum Coryphæi ægrotatio, iam tum animo, (vt est futuri coniector mirus) sinistri aliquid præsagiente. cùm ecce feralis nuncius affertur vixisse hominem, nisi aliter Deo visum esset, nonmodo longiori vitâ, sed immortalitate etiam dignissimum. hoc ego nuncio veluti fulmine ictus ita concidi, vt complures dies dolorem meum neq; lacrimis, neq; lamentis promere prę mœrore quiuerim, ne dum litteris mandare ad te perferendum. quod nunc primùm facio, cùm via iam ad querelas laxari cœperit, equidem inuitus: quis enim volens amico causa lacrimarum sit, quem lætum, & florentem in primis cupiat? sed tibi diutiùs non erat ignorandum funus, cui flebilibus inferijs pro eo, ac debes, parentares, scito igitur Mauroceni nostri mentem corporis compage exolutam cœlum euolasse, vbi nunc pro Senatu, populoq; Veneto perpetuam legationem habet apud Deum, cuius iam fructum aliquem percipimus, priuatos luctus publicâ lætitiâ deliniturum. dum enim hæc scribo, fama percrebescit, vti spero, verax, pacem inter nostros, Austriosq; Principes coijsse. hæc habui, quæ epistolę committerem, vti Peliæ ritu simul animum sauciaret, simul persanaret. Vale.

Eucharistica gratiarum actionem continens, ad eum scribitur, cui sumus beneficio deuincti. exemplum. Facit beneficiorum tuorum magnitudo, quæ mihi paria tecum faciendi facultatem adimit, vt ingratus videar, non tibi quidem, qui nominum loco benefacta non habes, sed quibus gratitudo non in censu animi reponitur, verùm fortunarum. quorum ego sententia non ita moueor, vt mihi foro cedendum rear, aut post columnas latitandum, qui sciam agendo nonnunquam gratias referri, cùm nec aliter persolui

solui

ſolui queant ob inopiam, & nobis res cum illis eſt, qui ſibi diu deberi minus ægrè ferunt, qualem te eſſe vti credam peruicit animi tui liberalitas, cui cum non tam officijs certare, quàm demereri per quàm plurimos pro mercede ſit, ſicuti nihil amplius hâc contenta quærit, exigitur, ita nos quoq; pro materia ipſi inſeruiſſe, in qua vires exerat, non indecorum putabimus tantiſper, dum occaſio nos, & copia reſpexerit. interea animum à ſuſpicione decoquendi vindicabit grata meritorum tuorum recordatio. Vale.

Μεταμελητικὴ eſt, qua vtimur, cum nos alicuius dicti, factiue commiſſi aduerſus amicum pœnitet, cuius exemplum hoc erit. Vtinam ſero ſapere Phrygum, quibus id prouerbium adiudicat, & non potius mortalium quorumcunq; foret, quos abripi in errorem tam verum, quàm frequens eſt. non me facti modò pœniteret, quod, & lingua memorare horret, & animus meminiſſe præ pudore refugit, qui nunc importunus adſtat, meq; angit plurimùm, cùm eo opus erat, aberat procul fugitiuus verùm velit, nolit, crimen, fatendum eſt, noxaq; ſubeunda, quam tu ipſe iuſſeris, idem â me graui iniuria appetitus iudex idem, nec deprecor ne immitis nouiſſima exẽpla meritus. modo pœna influctu quantùm vis atroci, expiati iam ſceleris obliuiſci velis factisq; experiri ſim ne poſt lapſum futurus tui ſtudioſior. Vale.

Ἀπηλιτικὴν Græcorum minabundam latinè dixeris, quæ irarum minarumq; plena in eos fertur: qui nocendo iniuriæ vlciſcendæ memores alios fecerunt huius tale exemplum hîc adſcribimus. Vnum tu ſanè telum, cætera ignauus, in linguâ perinde geris, ac in cauda ſcorpius. niſi quòd aduersùs illius præſens venenum non alio admorſi ſcorpiacò vtuntur, quàm in canem viatores ſoleant vltro ad latrãtem. nam tibi ne ferro cadas pro Aiacis clypeo contemptus eſt. is ad hanc diem iræ interceſſit noſtræ, quominus vlteriùs progreſſa abs te pœnas viro debitas expeteret,

posthac

posthac idem ne ab ea cbtenturus sit, non sat hercle scio: præsertim si & tu admordere pergas, & ipsa, vt sui moris est, remordere satagat. Vale.

Ἀπαρνητικὴ est, seu inficiatrix, qua nos aliquid dixisse, aut fecisse pernegamus, huius exemplum hoc habes. Oro te, vir optime, ne me ingratitudinis insimules, antequam insaniæ conuincas. nam quî mens mihi sana nisi grata fuerit, cui immortalia tua beneficia, tuq; horum præclarus auctor semper obuersaris? sed benè factum, quòd crimen non alijs testibus adstruitur, quàm incertis famæ rumusculis facta, ac infecta pariter canentis, imò potius calumniæ, Eumenidum Dite genitarum bonis infestissimę, cui vel iuratę fidem adhibere nec amantis est, viri, nec prudentis, nec tui similis. Vale.

Afflictæ res tuæ effecere, vt qui infracto hucusq; animo atroces fortunæ iniurias pertulerim, nunc demum nescio quo pacto relanguescens acri doloris sensu miserè excrucier non posse me immani ipsius scelere tibi opibus lapso ne dũ vltrò, quod mei erat muneris, verùm ne litteris quidem lacessitus vllam opem ferre per summam rerum omniũ egestatem, quæ antehac contubernalis non molesta, ex quo primùm resciui te egere, Ætnâ mihi sanè grauior videtur. præsertim cùm eò me adigat necessitas, vt quam data opera premebã maxime, ne foret amicis oneri, ea iam sit scriptis detegenda tibi amicòrum optimo, ne putes voluntate me tantùm impediri, quominus onere te leuem egestatis; cui ferendę, (si consilium æquus pro ope accipis) nullum maius adiumentum sum expertus, quàm vitæ anteactę amnestiam, tolerantiam præsentis. Vale.

Ἐπαινετικὴ laudatrix est, egregium alicuius facinus decantans. pro exemplo hæc fuerit. Non ego si dicere laudes te dignas nequeo, nullas ob id dicam Vir fortissime. facit eximia tua pietas in patriam, quam vnus difficillimo eius tempore consilio, ope, operâ texisti, ne cui, qui ciuium nu-

mero

mero censetur, illaudatus, ne indictus sis. materiam virtus, qua polles plurimum, verba affectus, studiumq; nobis abunde suggerent, quæ facundos reddunt vel elingues. nec tibi tuorum amor quin multo carior futurus sit, nutibus etiam expressus, dubitabit nemo, quàm Rhetorum fucata artibus oratio; cuius plerunq; fidei haud parùm obfuit. non tamen, vt nos tu gratos magis, quàm disertos velis, & diserti deerunt, qui te, quo decet ore, celebrabunt. ibis in omnium temporum annales, famâ tuâ maior, carmen eris maximorum vatum, illis ediscendum, quorum sanè interest, ne memoria intercidat benefactorum. Vale.

Παροξυντικὴ latinis irritatrix est, qua quis ad aliquid pręclari audendum incitatur. Audiuere Diui tua vota, propitij luculentùm otium dederunt magna, & præclara minanti, si daretur. Sed quæ sanè vereor, ne sub ipsius aduentum longe à te gentium facesserint. quasi verò tu otiũ non ea mente expetiueris, vt negotium posteritatis ageres commodiùs, ea commentando, quæ tibi decori forent, alijs compendio; sed potius quo magis curis omnibus solutus vitam per socordiam transigeres, dum longa obliuia potas doctrinarum, quas te à puero egestas docuit bonę mentis comes. eia ergo, te vrge, nomen expedi vnâ, eâdemq; operâ, nec opinionem de te nostram, nec tuammet ipsius fidem frustra habe. non ita te publicę spei decoxisse inquies, vt immemor plani promissorum sis: sed ingenij victuros diu fœtus tempore indigere antequam edantur. audio nec rationem facti iniquus improbo, modò ne tam longa ista parturitio murem nobis pro catulo elephanti pariat. Vale.

Επισταλτικὴ, quæ à Græcis dicitur ad alterus epistolam, qui nos prior prouocauerit, respondet. Egóne vt tuum carmen à breuitate minùs improbem, cui, vt Aristophani veteri olim Critico Archilochi Iambi, longissimum quodq; optimum videtur? Musæ vestram fidem: vnde tantus lepos, tam profluens facundiæ vena demanauit, nisi de me-

dio Heliconis Fonte? nam illa de rosâ, & aquilâ quàm lepida. sic me Phębus amet, vt gemina illa comparatio in fine carminis posita totum Catulli Epithalamium, pulcherrimum operum, quę vnquam in certamen prouocat, fallor? an ancipitem palmam redditura. Sed me comprimo. Epistolæ meæ in volumine digestæ malo tibi nec dum visæ in optatis sint, quàm lectas per otium fastidias. quas verò ex tempore amicis properanter damus, reddimusue. has tu quidem non aliter elicies, quàm ad nos scribendo. non enim pudere adeò dedidici, vt posthac Lusciniam cantu sim lacessiturus. Vale litterariæ dignitatis columen.

Ἀναμνηστικὴ, memorialis nostris, amico quasi aurem vellit, vt meminisse aliquid meminerit. Vt parum te memoria adiuuet, locus ipse vel aliud agentem admonere poterit mandati. fori enim eam partem habitas populosæ vrbis, vt nuper est ad nos allatum, vbi pulpita ponere sua solent præstigiatores, qui venum oleum exponunt, quo nobis coëmpto opus est ad lucernę lumen periculi faciendi causa, mirifica ne spectra circumstantium oculis obijcias, quod se experiendo didicisse narrat non leuis autor nuper à me lectus. Vale.

Ænigmatica est, quæ non Dauis, verum eis scribitur, qui, vt Hortensius Orator olim, interpretem sphyngem habent domi. cuiusmodi hæc est à nobis verbis breuibus concepta. Audio te fundum alienum longo situ ac vepribus squalentem labore assiduo excolere noualis incuriosum tui, nec periculo damni quicquam permoueri, ne alij, quibus exemplo præis, idem audeant nec agricolationis iura veriti, nec finalem Daum, qui semel ne an ter minus sit, haud satis scio; illud modo iactari memini Ioni in Capitulo concedere eum cellam noluisse. nisi tu fortè Platonicæ disciplinæ æmulus omnia iam omnibus omnino annuis. Vale.

Σχετλιαστικὴ est, qua vanis hominum cæptis insultamus.

Spei

Spei templum Romæ à Collatino extructum in foro olitorio accepimus apto sanè loco; nihilo enim magis blittum, ac lactuca flauent Austro spirante, quàm illa ad fortunæ subitos reflatus. Flauius noster, qui nuper à toga ad pallium transiuerat tantum non pontificale Dibaphum, Cydariumq; somnians, nunc militiam, & sagum meditatur in castra ad Allobrogas iturus, modo arca suppetat, quæ illum iam ære dirutum destituit. I nunc, & vitreis potentiorum pollicitis velifica. breui te pro portu scopuli excipient nequicquam tua vota improba, & deos mutatos Curiæ damnantem. Vale.

Vocatoria est, qua dies, vt in mutitationibus solet, locusq; tempestiuis conuiuijs condicitur. cuiusmodi est sequens. Non ego, te plurimi non tam ioci, quàm cibi hominem iure Laconum nigro, vel Atticis oleribus accipiam, si vadatus geniali vadimonio ad me hodie cœnatum venis. absiste vereri, ne integra tibi fames ad betam, lactucamq; Epicuri fercula deferenda sit. perpetuus in clibano bos tostus tãquam Persarum Regi apponitur, quem equum Troianum iure dicas, cùm inspexeris eum tot saginatas aues aluo continentem, quot ille Argiuos heroas Ilio excidium laturos. ex eo per otium licebit carpas, quicquid voles, minimè sollicitus, ne patina te destituat citò circumlata. qui sciam placentis te mellitis haud oblectari, sanè accurabo, vt earum vices impleant aprugnę glandes, congri, muræną, sumina, omnia, vt Thyn Paphlagonum Regem fecisse legimus, centena. Sitim leuabit Thracia vindemia capacioribus cyathis, quàm Nestoris fuit poculum, exhausta. Locus erit vmbris etiam quàm plurimis, ex earum genere, quæ admoto lucernæ lumine haud sanè fugantur, sed magis, magisq; epulis hærentes edunt, bibuntq; multo obstinatius. Vale, & aduola; nihil enim vrbanum magis tẽporio conuiuia nihil coquo gratius, quẽ male habet obsonia sua Vulcani cœnã fieri, dum plus nimio torrentur

longiori mora.

Recriminatrix eò culpam veluti pilam retorquet, vnde ad nos iacitur, vt in ista fit, quam hîc apponimus. Sermone, & litteris multorum est ad me perlatum te fundi calamitatem tui flebilibus verbis sæpe nos vocare, quasi inde te vi facta, & non potius immani impenso pretio deturbauerimus fidem per amicitiæ iura nostram implorantem, vt apud trapelitam præsentem pecuniam deponeremus, qua nomen expedires creditori, carcerem iam, & neruum intentanti. hoc tu beneficium vt iniuriam nunc voces, non recuso, modò iniuriæ autorem vero nomine expressum cieas, quem fritillum, & aleas fuisse norunt collusores tui, quibus tu præda eras, dum res, quam perderes supererat. has igitur tui patrimonij Symplegadas si dixeris, & me inuidiâ leuabis, & tu veriora ijs retuleris, quæ apud Sagram euenisse ferunt. Vale.

Συμβουλευτικὴ consilium alterius requirit. qualis hæc est. Neptis ætate iam plena nubilis verò est mihi breui elocanda, dote ita sanè non vulgari, vt vndiq; conditiones afferantur plenæ dignitatis. quas ego antequam morosius expendam, earumq; aliquam reliquis anteferam ad te cognoscendas mitto censu, domo, moribus seorsim vnicuiq; adscriptis, vt queam ad præiudicij tui Helicen cursum mei consilij dirigere, spe plenus sic omnia ex voto perinde successura, ac si sors fortuna auspex, connubijq; interpres Iuno foret. Vale. aliud exemplum. Consilium res planè sacra, ideoq; Ioui Deorum parenti, attributa ea religione petractari debet, qua diuina solent procul omni affectu ablegato, quod in nobis cursum animi obliquat à virtutis via. cuius tibi diuerticula vitanda censeo, non secus ac Palladis arte olim Symplegades Vlyssi. eorum vnum est, & maximè quidem abruptum, in præcepsq plerunq; desinens iactantia, suiq; anxium ostentandi studium, quo nihil reor profectibus nostris aduersari magis. Vale.

Ζητηματικὴ ea erit, quâ, veluti ſciſcitatrice formula ſolemus, vti, cùm nodi digni vindice ſolutionem à doctis petimus exemplum. Delphos ad oraculum ſcitatum mitterem, niſi & illud maturè defeciſſet, & tu nobis ſupereſses Pythia quauis ad docendum aptior. cùm nec vera falſis ambagibus inuoluas, & certos de incertis reddas è veſtigio, qui ad tuos trypodes accedunt. problema, ſuper quo ambigitur, pluſquam Archimedeum eſt, & hyemi, quę apud nos larem familiarem habet, conſentaneum. ecquo nam aqua frigore gelaſcat? ſuone? atqui nihil in ſe ipſum agit: alieno? at nullum elementum aqua eſt frigidius, nedum circumfuſus aër, qui, ſi ignem excipis, inter ſimplicia corpora, vnde calor venit, primas occupauit. hic nodus tibi vni fortaſse ſolutu facilis, alijs inter Gordianos [illegible]. reſponſum vt folijs mandes, contra Æneæ Virgiliani apud Sybillam votum, maximè oramus. Vale.

Ἀναθηματικὴ, nobis nuncupatoria vocatur, qua librum, aut tale quidpiam ſtudio euigilatum noſtro alicuius nomini dicamus. Cuius ſub auſpicio liber hic edetur, niſi tuo, qui, quod omninò ſquallet, tuæ limæ debet? ante foràs quàm prodiret, tuus erat cliens; tuus porrò erit, nec lux ei grata futura ſit, niſi te ductore, monſtranteq; viam, qua ad famam itur. quod tu ſanè munus, quæ tua eſt humanitas, haud recuſabis; maiora vix dum nato, atq; in lituris iacenti præſtitiſti. Efficiet, vt ſpero, autoritas, quâ polles plurimùm, vt à te non improbatum & liuor minùs impetat obtrectatorum, & fauor (niſi voti id improbi) doctorum hominum pronior excipiat. Vale.

Λυπητικὴ eſt mœroris, qui nos angit, index. Inuitus facio, vt tibi, quem lætum cupio, mœrorem renudem meum, mæſtitiam animo tuo allaturum; ſed planè querula res eſt aggerata alia ſuper aliam calamitas, poſt quàm moræ breuis interiectu vires à primis doloris ictibus reſumpſit ad lamenta. pater rerum tutela mearum obijt nondum grandis

natu

natu. funus funere suo soror subsecuta, ne quid ad miseriam deesset, prægnans, vt vnius fatum gemina nobis vulnera infligeret, frater difficili cum morbo conflictatur annum iam decubuus. patruorum alter cum naue, merceq; suo ære coëmptâ fluctibus absorptus, dum patria illi ab Indis reduci in conspectu esset. Non vno nos fortuna telo, non vno infortunio arietat. pluribus vndiq; veluti facto agmine vrgemur, quibus vel stoica labasceret constantia, licèt aduersùs eiusmodi ęrumnas loricam indolentiæ opponat, adamantinam illam quidem, & adiumenti nobis multum allaturam, si in Chalybum inueniretur officinis, nec potiùs de cœlo caderet, munus præcipuum Diuorum quos vt opem propitij, boniq; tandem ferant, si iam satis, superque luimus pœnarum, supplices oramus. Vale.

Παραλογιστικὴ captiosa est, fallaci ratione animum decipiens, qualia Sophistarum argumenta quatergemino plerunq; pede incedentia. vnde exempla licebit sumas, ediscasq; (si tanti cum ratione insanire æstimas) Spongiam acino ebriosiorem esse oportere, quia bibax sit; Solem, quòd cotidie in mare immergatur, fieri non posse, quin natator Delius euaserit, & id genus alia deliramenta pueris ridenda. nobis oblinere paginas huiusmodi acinis non vacat, quibus veritatis noscendæ studium est, suadendæ munus. vtinam ne pietatis nostræ homines plus nimio inclaruissent friuolis hisce certaminibus; nunc iustis pro aris, & focis prælijs non desudaremus.

Διαβλητικὴ est, quam & Στηλιτευτικὴν meritò vocaueris, qua quis publici compertus criminis defertur, ne nocens lateat. Lethes ego libentiùs gurgiti immersissem Tatiani nomen, magis sanè meriti, ne memoraretur, quàm qui Dianæ fanum Ephesi cremauit, nisi timor esset, ne ignotus parùm cautos falleret nocentiùs, nemine contagia vitante. vnde hîc apud nos pleriq; exitium traxere, traxissentq; plures, si ei vulgare virus diu licuisset per insomnes huius-

modi morborum curatores, sed quia non satis fuerit ad piorum omnium salutem, periculo partem eorum aliquam defunctam, in commune nobis consulendum est, qui in castris Domini stipendia meremur, Tribunis copiarum suarum imputantis, si vel tyro aliquis fraude hostis perit. illum igitur exemplo, conuictu, affatu maximi non aliter cauebis Antistes, coëxcubitorq; noster optime, ac vigilantissime, quàm olim populorum Alastoras veteres illi Pastores finibus arcebant, quorum maxima curarum gregis salus erat nos officij nostri esse duximus, vt fœnum in cornubos Thesiphones æstro peritus haberet. Vale.

θεραπευτικὴ † officijs alicuius animum permulcet, ac conciliat scriptori. exemplũ. Cui ego potiùs mortalium, quàm tibi cupiam, cuius beneficijs ita sum obstrictus, vt quantus quantus sum, tibi acceptum feram? per te fortunæ primùm, per te famę innotui: quòd grati, memorisq; hominis munere perfungor tuum tuum est, tu mihi vires, animos ministras; vt tecum paria in amore faciam, vnde mihi census, nomen, vita demum venit, si modò vitalis esse vita absq; ijs nequit, quorum autor ipse mihi extitisti, vt cuncta, quæ mihi suppetunt pro te, tuaq; dignitate prodigam nullam aliam laudis partem consecutus fuero, quàm crimen ingratitudinis effugiam. perge porrò, & meis perinde rebus, ac tuis vtere. nihil hoc mihi gratius facere nunc potes. Vale.

† officiosa.

Abrenunciatrix est, qua cuiuspiam amicitiæ nuncius remittitur exẽplũ. Postremùm vt te hac epistola apellem, exactę necessitudini à me tribuitur. eius ego busto breui allocutione parentare volui, & quasi vltimum vale conclamare. posthac nobiscum idem planè fœdus intercedet, quod viuis, æthereamq; auram spirantibus cum illis est, qui letheum gurgitem transnarunt nunquam redituri. indictus tu mihi, inauditus eris, obeas, viuas; &, quid mihi iuris est in memoriæ laterculum, immemorabilis, idem de nobis vt

tu

tu quoq; facias, rogarem, si precibus peremptâ amicitiâ locus superesset.

Μετριαστικὴ est, qua verecundè, ac modestè de nobis loquimur. Prolixè tu quidem mecum agis, ne dicam prodigè, cùm litterati nomen, eamq; tribuis doctrinarum laudem, quam, quia tu nullo labore emptum, diuinâ quadam sorte es adeptus, paratu quoq; facilem alijs existimas. ego verò, qui mei ingenij viribus diffisus pertinaci multorum annorum studio, sedulâq; irritâ licet præceptorum operâ, ad extremum vix sum assecutus, vt mea mihi ignoratio nõ ignota foret, secus de me sentio. nec aliorsum spectare arbitror, quæ scribis ad me, quàm vt calcar addas non, vt aiunt, currenti, (cursum enim ilia ducens iam inhibeo) sed plne in salebris hęrenti, nec amplius vialibus Dijs quicquam debituro. igitur quod facerem si ad me calceos Herculeos misisses, aut Entelli cætus, quibus Gynasticæ prorsus rudis vterer in pugna, idem de laudibus, quibus me magis oneras, quàm ornas, facio; eas tibi remitto libens tamquam meo modulo incongruas non erit tibi à te longè abeundum, si cui magis ad amussim quadrent reperire velis. Vale. aliud. Ego verò affectui obsecutus meo de lacrymis laudem non quæro, culpam magìs deprecor, quod longè impar muneri, ad deflendum tanti viri funus nullam mecum Rhetorum artem, nullam facultatem poëtices detulerim; quod si tibi aliter videtur sententiam tuam ita non refello, vt probare nequeam haud sanè ignarus amãtis fortassis esse, dum amissę rei desiderio afficitur, vbertim flere, diserti non item. cuius nomen mihi vt vsurpem, cùm omnino copia destituar, etiam si me suaseris, non persuadebis. Vale.

Σκωπτικὴ liberiori ioco aliquem lacessit. exemplum. Qui nasi rudimentum, non verò nasum habeas legitimum dorso, columna, sphærio constantem, iniquè facis, cùm non secus, ac nasutus fores, nos subsannas: floresq; ita naribus

nibus adpressos olfacis, vt omnium oculos etiam aliud agentes ad eam conuertas vultus tui partem, quam spectari minimè omnium oportuit. Rinocoluritani erant tibi imitandi, potius, qui quo magis in tenebris laterent, veterem patriam Persicæ solitudini posthabuere Græci licet, & suæ gentis victoriâ animis elati. Sed quid ego Rinocoluritanos hîc commemoro, cum Ceruorum exemplo sapere potueris in auia locorum se proripiētium cornibus amissis? nisi tu excornem esse, quàm turpi viuere naso putas inhonestius. Vale. Aliud. Tu te creasti mi homo, sortis tuæ figulus. tibi ipse gentem, tribum, patriam optasti, imaginis iura, locum in spectaculis, nomini prænomina dedisti. ex te primùm stemmatis tibi per otium efficti linea excurret in nepotes seros. vlterius, ni velis in Erebi caliginem incidere, suadeo ne progrediaris: chaos exinde est vapum, noxq; intempesta omnia inuoluens, ne fabulæ quidem locum præbitura, vbi pedem figat. Vale.

Μικτὴ hæc vocatur græce, eadem latinè mixta ex varijs constans characterum generibus, qualis sequens est, quæ gaudet, dolet, consulit, minatur, petit, nunciat vnica pagella. nam illa Ciceronis ad Basilium Laconicam scytalen breuitate vincit singulis fere verbis argumenta singula innuens, quàm exponens verius. Legem ego saturam, qualiscunq; illa fuerit, varietate vincam harum litterarum, ita multa in mentem veniunt, quæ scribam. pergratum quòd domum ad tuos tandem redijsti, erroribus iactatus sesqui Vlysseis, licèt fortunâ multo lętiore, &, vt Chrysippus vocabat Prænestinam, fortunatiore. nam eboris, argenti, auri tantum aduexisse diceris, vt vix tantum Verres olim simul Siciliæ Prætor, simul prædo. illud molestum est matrem offendisse tui desiderio extinctam. quid facias? Lætis tristia superi veluti tuceti poculum admiscent, ne nos obliuia capiant patriæ cœlestis tamquam in hoc terrarum hospitio perennaturos. eadem via omnibus terenda est. se-

rius, an ocyus quid refert? Interea è re tua fuerit amantissimam tui Deo propiorem degere, qua precum, votorumq; interprete vtaris. seriò te negotium posteritatis meditari tua me admonet epistola, qua de vxore ducendâ nostram sententiam exquiris. egòne vt te id suadeam, quod mihi persuaderi à nemine sum passus vnquam? ad alium diuertas censeo, qui te Iunoni maritæ pronubus commendet. ego illi planè ignotus sum, ne inuisus dicam, qui ipsi nunquam pro me litauerim totus ex asse meus, cœlebs, singulator. problema æconomicum de pecunia locanda ita soluo. Fragilem illam fore, nisi latifundijs constabiliatur. mercator diu fuisti vagus, pelagicola, nunc Laërtis sunt artes tibi perdiscendæ, agricolationi manus admouendæ. sed heus tu meministi ne, qui ad oraculum scitatum mittunt, eis curæ esse, vt Pythiam sibi munere concilient? psittaco nobis opus est, qui fidem faciat te penitissimos Indos adijsse. hunc ad me si mittis, querelam in minas erupturam opportunè comprimes. sin, vltoribus Iambis pœnas dabis, quod epistolam vacuam ipse munerum fortunæ plenus ad nos dederis. apud nos satis saluæ res, nisi quòd nuper Melitæa tuum delicium catella perijt, citius redijsses poteras ab ea tamquam Vlysses alter facile agnosci. Vale.

Ἐλεγκτικὴ epistola est, qua alicuius opinio refellitur, cuius exemplum tale damus. Cometen, qui tristè liuens æthera haud ita pridem occupauit, non impunè Principibus spectandum haud secus nunciás, ac si te fatis fandis cortinæ suæ Phæbus præfecisset. nec vides terricula ista tua, ne † μορμολύκεια dicam, procul ab omni ratione ad vacuas infimæ turbæ aures deferri, illas moratura dum fingunt sydus natura feruidum, flagransq; pectoribus Regum faces admoturum ad iras, quibus sunt maxime mortalium omnium obnoxij ob delicatam non minùs viuendi rationem, quàm propter ingenium vel leui iniuriæ vmbrâ irritabile, temperamentumque corporis bile multâ calens. quasi ve-

rò Regum quoruncunque natales omnes horoſcopi ex compacto inter ſe conſentiant. Caſtoribus quidem gemellis geminis vno ſatu, partuq; editis in lucem, non eędem animorum inclinationes, non eadem planè ſtudia fuere. & tot Regum ſpecie, ętate, corporis, animiq; habitu pluſquàm † δὶς διὰ πασῶν diſſidentium in eo genius conueniet, vt radijs Cometæ tãquam æſtro percitus ad arma continuò proſiliat exitium ſibi, alijs cladem allatura? non ita me Titan facilem effinxit, vt iſta credam Attellanis fabulis ſimilia. pernegamus aëris incurijs Reges perinde affici, ac de plebe homines. illis enim opum, artiumq; operâ fiunt vices temporum morigerę, hyemes tepent, Sol mero meridie friget per æſtatem: cùm aduersùs tenuis cenſus vulgus calor, & frigus ſuas vires exerant potiſſimum. nam quòd ad animi affectus attinet, iracundiores experimur ærumnoſos, malo aſtro genitos, & quibus aſſiduè cum fortuna tamquã cum iniuſtâ nouercâ rixandum eſt, quàm Reges omnibus bonis ad faſtidium vſq; affluentes. niſi tu malas curas exercere iſtos putas lętis ſuis rebus, qui ne aduerſis quidem multùm commouentur vſu à pueris edocti triſtibus fauſta ſuccedere non ſecùs, ac illuni nocti Aurora. vrbes hercule æquiore animo ijs pereunt, quàm ſtrepſiadi alicui plenus vappa cadus. de ſomni quoq; regij defectu ne labores cenſeo, norunt ipſi, ſi quando noctes in ſomnes duxerint inter voluptates, meridiatione peruigilium rependere nullius obærati culcitâ ſibi empta, vt Auguſtus olim indigentes, vt ſoporem tempeſtiue capiant. peruici ne poſthac Regibus à Cometæ exortu timeas, an maiores argumentorum copiæ mihi ſunt ad oppugnationem euocandæ? Vale.

† *Bis per omnes cõcẽtus quidam ceſſit in prouerbiũ de rebus inter ſe multum diſtãtibus. à muſicis ſumptum*

Apologetica, ſeu defenſatrix duplex eſt verbi, aut facti, qua aduersùs alienam cenſuram nos tuemur. prioris exemplum. Quod heri familiari in ſermone dixeram, alabaſtri vaſis vnguentarij nomen, non à materiâ, vt pleriſq; videtur, ſed à forma duci, animaduerti te riſu amariore excepiſſe.

piſſe. iam tum neſcio quas alabaſtridas latomias afferentem, vnde alabaſtrum genus lapidis exciſum eruitur non ſecus, ac è cotarijs cos, aut magnes è ferrifodinis. hanc equidem irriſionem tuam, etſi poſſem ſubſannatione pari vltum ire, reſpondereq; te, quòd minùs capis audacter carpere, tamen magis conſentaneum meis moribus eſt viſum, ſi rationem in medium adduxero, cur ita ſentiam. igitur alabaſtrum græcis vas ſignificare, quòd planè anſis caret, quæ illis λαβαὶ vocantur nemo ſanè ambiget eorum, qui etymologica commentaria triuerunt. hoc primùm exculpi cœptum ex eo lapidis genere par eſt, cui poſtea nomen adhæſerit ex vaſe, vt ex Icari caſu æquori Icario neq; ideo lege vlla vetitum, ne poſthac alabaſtrum quis ex vitro, aut alia quauis materia conflaret, modóne vnguentis ſeruandis male fida. verùm hæc te non vnum latuere. eadem incogitantia pictorum collegium inuaſit, qui rationis nominum ſecuti diotam hinc inde anſatam fingunt pro Magdalenæ alabaſtro, licentia non magis ferenda, quàm ſi quis † ἄρινα, naſutum † ἄπτερον verò pennatam pingeret. Vale, & ſi quid tibi otij à grauioribus ſtudijs contigerit, niſi moleſtum eſt repueraſcere, grammatiſtæ alicui græculo impende. iſte porrò te à comatorum ſuorum cachinno vindicabit. Poſterioris exemplum. Moroſè me nimis, & cunctanter agere incuſas in delectu habendo clericorum, qui veteranis æditicuis ſuccreſcant ad diuinum cultum. & niſi porrò opportunè caueam, defecturas aris operas, Curiones plebi, cui olim apud Hebræos, vnde noſtri ritus primùm defluere, vix tribus integra ſuffecerit. audio, nec obiurgatorem odi, qui officij me moneat immemorem, etſi vereor ne in ea tempora inciderim, quæ me inſtituti pœnitere minus ſint paſſura, adeò qui rogandi forent, pollicitisq;, ac donis ſubigendi ad ſacrorum procurationem perquam rari ſunt. qui id vltro flagitant, & veluti facto agmine alter alterum impellens ſe tondendos prębent numero maiores, muneri indecores,

† Sine nare implumem.

decores, & quos nisi reijcias, templa mera mapalia effeceris. Nam quam in exemplum vocas, imo trahis potius, Leui deuotam Domino progeniem, adyta seruabat, sed intrabat nunquam, vni Pontifici summo ex ea tamen orto, adeunda. nostri ad vnum omnes minora ministeria sic obeūt, vt eis tamquam gradibus vtuntur ad fastigium sacerdotale cursibus petendum. quod cùm satis constet quâ dignitate, quâ virtute homines, quàm diuinâ propè indole prędit os exposcat, patere per fortunas quæso, vt ne oscitanter in conditionibus eorum inquirendis verset: qui semel admissi eò sunt porrò loci euasuri, quò ne cœlestium quidem mentium acies pertingit. Vale.

Ε'γκυκλιος, seu cyclica epistola est, cui res aliqua ad cultum religionis pertinens committitur, quam scire omnium intersit. qualis erat olim quæ quotannis diem cœtibus piorum nunciabat paschę celebrandi. cuius conscribendę munus Nicenæ Synodi patres Alexandrię Antistiti demandauere ob vrbis in studijs disciplinarum Mathematicarum autoritatem. Cum enim Pascha inter stata solennia non sit, sed vernale æquinotium tamquam Marra Vibiam sequatur, rem tum propter syderalium motuum anticipationes obseruatu perdifficilem, prouincia illi fuit demandanda, qui Ægypti regionibus præesse, vnde Aristoteles Astrologiam primùm ortam credidit, cum indigenarum oculis sub dio in tectis ædium cubantium cœlum nullis vnquam nebuli obductum noctu obuersaretur. Paschalis cyclicę exemplum vnde petas habes apud Theophilum Alexandrinum Patriarcham, nos recens hîc haud quaquam cudimus. cui enim rei? ratione iam paschalis calculi putandi nulli non protrita? aliarum cyclicarum formulas cognoscere licebit tibi, si veterū Synodales Codices peruolueris.

+ Circularis.

Inducialis est, qua inter hostes pugnandi ferię indicuntur. exēplum fidem ego, quam ne hosti quidem in acie iniuratus fallerem, tibi inducias mecum rite pacto, vt perfringam?

fringam? qui etiam nunc Pandaro indignor, quod fœdus confundere iussus Iunoni Homericæ paruerit. pone ex animo penitùs hanc curam. ab astu suppetias petere non solent, qui virtuti fidunt. natura nos congeneres fecit, necessitas hostes, quâ remotâ nil vetat, quo minùs officia, quæ nobis humanitas præscribit, inuicem colamus. Vale.

Α᾽ποκριτικὴ est, qua ad litteras alicuius eo fine tantùm respondemus, vt sciat nobis redditas fuisse. exẽplum. Inuesperascebat, cùm tuæ mihi litterę sunt redditæ à tabellario. quæ illi tardioris aduentûs causa fuit, eadem me cogit, vt sim breuior, ne dum longiores paro properanti, reditumq; vrgenti, nullas prorsùs dem tibi perferendas. sic & tu cognosces me tuas accepisse, & ego sumpto ad respondendum spatio ad ea, quæ requiris, pleniùs rescribam. Vale.

† Explanatoria. Ε᾽ξηγητικὴ est, quæ vocis alicuius priscæ, seu sententiæ, seu ritus, morisue continet explicationem, quales quæstiones epistolicę Lipsij, Iuni Parrhasij, Manutij iunioris, aliorum, & hæc nostra de etymo acolyti. Risi nuper virum supercilio tenus non indoctum, cœtera Potitium, qui quouis pignore acolytos dici contendebat, quia cereos pręferrent. neq; ideo secutores esse puto nominandos, cùm vera non aliunde emanet nominis origo, quàm quod interioribus templorum adytis, dum sacrum fit à Sacerdote minime arcentur. id enim κωλύω verbum notat cum negantis particula coniunctum, nisi me potius Onomastici fallunt, quorum tibi sententia nõ ignota est ætatis nostræ Φιλελληνιστῶν. Vale.

Erotica, hoc est amatoria, quæ sit, nemo, credo nescit. eius argumentum sicuti, & affectus ille animi, vnde nomen sumit, varium habetur. timet, sperat, dolet, gaudio effertur, preces minis miscet, in omnes se formas vertit tanquam alter Protheus. exempla in nullo charactere crebriora non apud veteres scriptores magis, quàm nouitios inuenias. nos vnum in præsens damus, atq; vtinam eo contentus

tentus lector; alia quæsitum aliò non eat ipse, quæ nostri est sæculi lasciuia, non cominiscatur.

Amo te nec dum visam Virgo, vel potius efflictim ardeo non Amore illo vulgiuaga Venere prognato, capto oculis, volatili, sed cælesti, casto, & quem publicè profiteri ita me non pudet, vt spes sit etiam laudi futurum apud eos, qui natales eius optimè nouerunt, vt virtute ortus, eductusq; liberaliter ad nos vsq; famæ quadrigis delatus fuerit. hunc tu, meus ignis, quin sis redamatura, nullus dubito, te moribus, ore referentem, tibi planè geminum. nec me cura torquet cupidos amantes miserè excrucians, ne in isto amore meo riuales habeam. ameris, modo vt digna es, ab illis precor, qui torreri facibus non erubescendis sueuere. ego istiusmodi amorum vel interpres fuero. Vale, & pulchritudinem istam tuam etiam inter senectutis rugas mihi placituram illibatam serua.

Epistola properata, quam & vt subitillam voces, per me licet, ea est, quæ calamo ex tempore arrepto spargitur verius, quàm scribitur ad recens aliquod factum per tabellarium cursorem nunciandum. qualis ista. Hostem subitario prælio aggressi vicimus. castris, impedimentisq; omnibus exuimus. vrbem, cui pro munimento erat, expugnatam, ne monumentum inultæ perfidiæ extaret, funditus euertimus. hæc, tantùm vt maturè gaudeatis, nunciamus, cætera accuratiori epistola cras persecuturi. Valete.

Διασυρτικὴ alicuius crimen, aut vitium exagitat. exẽplũ. † Oltrei-tatoria.
Ex quo te primùm nihil tale verentem dignitas ista tua inopinato, & velut ex insidijs oppressit, ita te in penitissimas latebras recondis, vt vota mihi nuncupanda sint Adeonæ antiquorum Deæ, vt facultatem præbeat tui adeundi. id hominumne facias fastidio incertum, anne autoritas vilescat crebro interuentorum affatu delibata. vtcunq; sit, inuidia non cares apud eos, qui propè sibi notum detractis titulorum phaleris pretio te tuo æstimant. mihi certè (fabor enim)

bor enim) tametſi ſtomachum huiuſmodi indignitatibus concoquendis dudum aſſueuerim aulâ innutritus, ferendus minimè videris, qui conſpectum non magis feras amicorum, quàm fortunæ ipſius indulgentiam. cuius te peccare culpâ nemo negat, illa enim tibi hos animos fecit, poſtquam te ornandum honeſtorum ciuium premijs ſuſcepit clam virtute. quod ſi te pudor ne prodeas, aut aliquem admittas, diſtinet, conſcientiæ equidem ignoſco tuæ Reipublicæ vicem verò doleo, cui erubeſcendum decus es futurus. Vale.

+ Frondium, florumq; proiectionis.

Aliud. Lapidationem tibi factam + φυλλοβολίαι dum carmen in forenſi coronâ recitares, audio; mirorq; te, qui plauſum tui ingenij antea cognoſceres nam idem tibi perſæpe accidit, in diſcrimen ipſum vltrò deueniſſe. niſi tibi hac quoq; mercede placet vatis nomen, &c, dum digito prætereuntium monſtreris Camænarum cultor, vel ſaxeo nimbo non recuſas impeti. Vale.

Diaſirtyca cum parænesi coniuncta.

Supra ſpem accidit tuam, vt ab infimæ ſortis hominum contemptibus ad ſummas repentè opes immortali fortunæ beneficio emerſeris. quod tametſi tanto te gaudio perfundat, vt eo ferendo impar videaris, ea tamen eſt viciſſitudo rerum humanarum, ea inconſtantia, vt niſi te ipſum tempeſtiuè comprimas. tibi ſit verendum ne nondum per ardua progredi ſuetus concidas grauiori caſu, fabulaq; fias haud multum Icarię abſimilis. inuidię nunc primùm innoteſcis, quæ tè ne natum quidem antehac cognorat. huiusne oculos, aureſq; paſcas aliquando, ſumma tibi cautiò erit adhibenda. ſcis enim quibus illa ſpectaculis, quibus acroamatis non indelectetur. de Nemeſi quoq; cenſeo, vt nonnihil cogites. acris eſt Dea, veſtroq; iſti ordini admodum infenſa. caue igitur, ne tibi tuo merito ſuccenſeat, copiasq; te aduersùm paret indignans te non ampliùs lente delectari. Non deerant iſtis blandiora, quæ ad te pro gratulatio-

ne

ne ſcriberem; ſalubriora, & quæ è re tua magis forent, non reperiebam. Vale.

Ironica haſtam ſub Tirſo gerit, qua diſſimulanter quempiam, ac occulte pungit priùs confictis laudibus leuiter ornatum. exẽplum. Etſi vereor ne Glauci commercijs tuam aureolam epiſtolam conferre poſſis, ſi ad meas litteras ſequioris metalli reſpicis; quia tamen amore, effuſoq; in te ſtudio non vincor, herbam tibi in hoc elegantiæ certamine haud inuitus porrigo, cui proximum vel immani interuallo numerari quidni mihi fuerit palmarium? nam tu quidem ætatem in ſtudijs omnem contriuiſti eâ ingenij docilitate præditus, vt abſq; ſudoris opera, quem Heſiodus Virtutis foribus admouit, admitti ad eius penetralia potueris. ego non tam ſerò tandem ac vix extorto ab aduersâ fortunâ commeatu ab omnibus rebus imperatus ad hanc palæſtram litterariam acceſſi, quàm inde citò me abripui à familiaribus euocatus curis, quibus otij mei rationem minimè probabam. verum quid attinet hæc in medium afferre quaſi gratuito nobis eſſe inertibus non liceat inter tot millia ineruditorum, quibus vos columina Muſarum comparati quota quæſo pars eſtis? equidem Thebarum Ægyptiarum portas crediderim numeroſiores, aut Nili, quibus ſe in mare effundit, oſtia. Vetus querela omni æuo fuit raras eſſe admodum vos aues; iam verò facilius Phœnix inuenitur licet, Arabibus illis fortunatis popularibus ſuis nunquam viſus. Abſq; te, paucisq; foret tui perſimilibus, philologia omnibus ſuis fortunis lapſa, longè hinc gentium exulatum iret in longinquas oras. quod ne accidat ſummopere vobis erit annitendum, vt adoreis veſtris aliquis ſuccreſcat, qui victricia ſigna cum barbarie aliquando conferat, cuius hodie ditio nimium quàm ampla, immenſaq; eſt. verùm de ijs tecum ipſe ſtatues, meq; amabis, vti facis. Vale.

Tu verò etſi re non vincis, voce vincis. hæc ita contra-

nitentium aures prosternis, conficisq;, vt non minùs cogas insurdescere, quàm Nilus assolet finitimos incolas cataractarum. rixam demum vt in Pęana vertas per me licet manus iam vltro dantem, nec hiscere aduersùs audentem. tum esto, cuiuscunq; gratiâ certamen initum, monumentum victoriæ posteris futurum; præterea ex manubijs quicquid adlibuerit. leges accipio, tributum pendo, dicto audiens, modò absens, ero. iurgari vlterius ne tende, neu minùs moderate victis vtere fortunę immemor, quę triumphatores etiam in triumphum demissis auriculis ducit aliquando. Vale.

Opitulatrix opem amico aut vltrò pollicetur, aut rogata defert. exemplum. Meam ego opem, operamq; tibi, qui fortunę adiumentis minùs abundares, deferre in hanc diem distuli, quòd scirem te non ignorare amicorum communia esse omnia debere. nunc verò cùm te pudore impediri videam, quominus vtare tuo iure, non ampliùs mihi committendum statui, vt meæ cunctationi tacitum conuitium tua faceret modestia mitto igitur quæ elocandę filiæ causâ impendas quinquìes centena millia sextertium, plura etiam missurus, si te indigere pluribus significaueris, nec nobis coniectandum relinquas, quorum opus habes. Vale.

Ex quo me hoc superi fato nasci voluerunt, vt Vlmi munere erga tenuiorum ingenia defungerer, illisq; essem pedamenti loco, vitem ego, quàm hederam, si mei voti, aut arbitrij res sit, fulciendam cò sumpserim libentius, quòd hæc sterilis ipsa malam gratiam alienæ beneficentię rependit circumplexu suo; illa fœlix, lętaq; arbos, & humano generi vna maximè omnium vtibilis, & errectori ipsi ob fœcunditatem decori est. hinc factum, vt libens te, obuijsq; quod aiunt, vlnis in clientelam, fidemq; accipiam iam tum eminus veluti despiciens fore, vt neq; me insumptæ nequicquam operę, neq; te malæ tractationis vllo vnquam tempore pœniteat. Vale.

Epistolæ muneris alicuius ornatricis exemplum. Si quis forte erit palati tam ineruditi, qui addubitet Cyprium aucupium Norico an præstet, hunc ego manu iniecta ad tua subsellia Persice mi sistam, posteaquàm hanc patinam gustaueris, quæ tibi pro sportula veluti iudici honorario defertur. Si coquus tuus sapit nullum verbum addo: sin autem, at tu memineris auiculis id genus condituram pro coctura esse, intestinam pro vnguine pinguedinem. Vale. Liberalibus, cùm hilaritas vel Catonem decet. Aliud. Oua ego Neptunij auitij, si mihi optio daretur, sumerem libentius, quàm ab his incubitu matris editam pullitiem. quod de gallinaceis haud perinde dixerim, quæ vnico haustu ita absorbentur, vt celeritas gustui penè anteuertat Aristoxeni voto aduersatrix. Idem quoq; tibi visum iri nullus ambigo, præsertim si in his feceris periculum, quæ nobis Corcyra mittit Phęacum insula, nos tibi Vale, è statiuis.

Criticos veteres accepimus in duas factiones olim distributos † enstaticorum, atq; † lyticorum. Priores nodum vel in scirpo quęrentes quęstionum laqueos alijs tendebant, in quos se induerent acumine mentis in redarguendo destituti. Lyticis contra (quod & nomen sonat) præcipua cura fuit Oedipi munere defungi, perplexaq; aliorum dubia exsoluere. vnde mihi totidem epistolicorum characterum genera deduci posse commodè videntur, quorum hic exempla ordine adscribo. Audio primum Æneidos Virgilianæ librum te interpretari maximo auditorum concursu iuxta ac profectu. quod me sanè impulit, vt sententiam explorarem tuam super naturâ nubis, qua Venus Aeneam Carthaginis mœnia intrantem satis cautè texerat, ne posset ab obuijs videri, vel interturbari. nam si densa fuit, quales in pluuiam sæpe cogi videas Austro perflante, tegere quidem eâ illum potuit, efficere non item, ne turba nubi incursans per fora, & templa vrbis incedenti nouitate spectaculi perculsa non aueret scire & quid nam illud foret

† Acres, & peruicaces disputatores
† Facile soluentes.

rei, quod sub tam crasso tegmine lateret. sin tenuem. fuisse dicas, ac penè pellucidam, vide, ne, dum ipsam occurrentium eripis aspectui, Æneam, contra ac Venus vellet, manifestâ in luce peruidendum omnibus exponas. quanto fuit satius nubem oculis Tyriorum offudisse, ne quid penitùs aspicerent, quàm talia monstra comminisci, quæ eorum, qui nondum quadrante lauantur, nemo credat? hunc mihi tu scrupulum si eximis vir Palęmoniæ eruditionis, quin Phyllida solus habeas, nullam causam dico. Vale.

Quòd scribis mirum plerisq;, vel potius ridiculum videri Herculem mare transmisisse poculo pro naui ad Geryonis Boues auertendas, non negamus, sed causam distinctionis ope tollimus seu admirationis, siue risus. Cymbium enim, vel Acatium, quo vectus Hercules Iberos adijt, poculi non tam genus, quàm nauigij significat, si qua fides Atheneo, Polluciq; harum rerum minimè ignaris. Vale, & tibi certo persuade non ita corneâ fibrâ veteres fuisse, vt Herculem nauigasse poculo crediderint.

Epistolæ mixtæ ex obiurgatoria, & eucharistica exemplum. Quibusnam ex Ioniæ nemoribus Attagenas in tua retia conuolasse dicam, quas ad me misisti mi Laurenti? ego hîc non pari compendio aucupium exerceo, etsi eius artis haud negligens. Mensam tu quidem nostram isto tuo tam luculento munere beasti; palatum verò ita oblectasti, vt frugalitati faceres iniuriam, dum secum cogitat ne Persarum montes, qui aurei esse perhibentur, impensæ suffecturos, si illud talibus cibis assueuerit. equidem cùm me non fugeret huiusmodi aues non secus, quàm P. Scipionis Acipenser, perpaucorum hominum haberi, consilium in arena ex Apiciana disciplina cępi, vt mihi sanè videtur non inscitum, vt vnus eas non vno tamen prandio conficerem. nam cęna mihi breuior laconum epistola paratur. Sed heus tù, qui valetudinis meæ canon esse soles, ita ne verò epulari me doces saliariter? verùm iocorum iam satis, illud seriò nos

riò nos te plurimum ob id munus etiam amare. Vale è secessu Castalioneo. vi. Kal. Nouemb.

Epistolę mixtæ exemplum. Ne tibi pudori sit, quòd difficulter dictata pręceptorum capias, semel appensa serues perquam tenaciter. gemmeis ingenijs, & quibus cognatio cum adamante intercederet, quantiuis pretij hoc vitium fuit, vt insculpi ægrè paterentur doctrinarum notis; seu quia discere ipsum pati quoddam est, erectæ indoli, & ad actionem natæ parum congruens; siue quod raptim hausta repente effluunt. idem Plutarcho teste Catoni Vticensi accidit, quo nihil habet Romana grauitas memorabilius, quod Gręcię in suorum laudes disertę regerat. idem Cleanthi stoica porticus columini, cuius ingenium præceptor Zeno, si mihi fas ita loqui, duricerio pugillari comparabat. Equidem perdociles istos nihil moror, qui quod libet discunt, dediscunt è vestigio, obliuiosos, hodie omniscios, cras rudes, & gypsatæ recens tabulæ persimiles, quos erudire breuis sanè labor, sed vanus fuerit. serus sapiens vt dicar, malo, quàm litterarum, vt olim Orbilius Grammaticus, obliuio. nisi tu præcoquam maturitatem laudas in pomis, quæ fatuitatis arguitur à conuiuis eruditi gustus. aut ego fallor, aut quantacunq; vis immemor ingenij igniculus est arundine depastus, qui flagrat, deflagratq; simul. scire nostrum reminisci arbitratur Plato, ego meminisse. Vale, & his seu exemplis, siue rationibus mentis impromptitudinem solare, cui labore, ac studio mederi tuæ opis est.

Idem planè animo inanis glorię cupidinem esse, ac corpori interulam, nouissimas vtrasq; exui Platonis est sententia digna memoratu, quam tamen pater tuus, quod in ipso fuit, falsi arguit post cineres, & rogales ignes gloriosus. sic enim efferri ex testamento, condiq; voluit, vt non Mausolus ab vxore Regina sumptuosius. aureus tumulus superstans viatores etiamnum moratur: opes, imagines, titulos pleno ore memorat veritus, credo, ne se insaluta-

tum

tum præteriret turba aliud agens; neu nouo aduenæ ignotus foret eius censfus, dignitas, familia. tu porrò, si sapis, caue imiteris parentis posthumam iactantiam contentus hæreditatem luculentam hoc vno tanquam alieni æris detracto nomine adire. Vale.

Vaticinatrix est, quæ ex politicorum disciplina aliquid prædicit euentum. huius exemplum exhibemus cum charactere historico permixtum. Classem Hispanus parat longe maximam: nec Veneti instruendis nauibus segnius se gerunt. Germania Regem Romanorum parit, Augustum parturit. In Pannonia plus nimio res calent Daco seditionum incendijs faces admouente. Boëmi gens bello aspera iugum excussere. ecquid erit? quem das Europæ miscendæ finem fors fortuna? iuuat Helenum fatis fandis agere, postquam ita iubes, nec Phæbus fauorem Vati suo denegat. Hispanus Adriam non petet omnibus quidem infidum ob naufragi maris iracundiam, sibi etiam dextra, læuaq; importuosum, si Tergestum excipis aditu difficilem, Brundusiumq; admodum longinquum, nec tantis moliēdis rebus satis opportunum Veneto suos non minus, quàm finitimorum Epidauriorum portus propugnante. Sed demus vt occasione illectus veniat; at non & venisse velit, Iapygiæ, Apuliæq; maritimas oras prædæ relicturus Ottomanæ classi, Hispaniæ verò littora Libycis piratis. Ferdinandus nomine tenus Rex Romanus erit tribus Electoribus sacris sat probatus, nec Saxoni exosus Cæsarianis partibus addicto. idem Augustus inaugurabitur post Matthiæ fata, ad occasum vitæ iam vergentis. Pannonum tumultus sedari poterunt haud difficulter tempestiua Regis ad eorum postulata indulgentia. De Boëmis res est euasura ancipitior criminis maiestatis læsæ iam compertis, nec Principi etiam in speciem placato salutem suam credituris. præsertim cùm eis & auxilia fœderatorum, & propriæ vires haud desint, & supersint animi felicioribus cæptis assurgen-

ſurgentes. exemplo ſit Sigiſmundus idem gentis princeps, idem Auguſtus, qui ſemel atq; iterum victus tandem eos vicit, ſed Cadmæa propemodum victoria. nec erant tunc tot populorum, tot Principum ſtudio defenſi, quot ipſis modo communis nouatorum religio conciliat pios noſtrorum ritus auerſata. quod ſi de Rege ſibi creando, vt rumor ait, cogitare ſeriò incæperint, næ telam illi Auſtriacæ domui pertexent haud facile, niſi ego potius fallor, retexendam. verùm ijs viam fata ſanè inuenient; hoc eſt diuinæ prouidentiæ conſilia, ingenio humano inacceſſa. Vale.

Characterum epiſtolicorum, quorum vſus crebrior, recenſum exemplaq; nam omnium quotſunt, aut eſſe poſſunt, ne Architas quidem menſor arenæ, syderumq; habitus rationem calculi ſubduxerit, ſequitur anorme quoddam genus litterarum alijs ſanè indictum, mihi verò non niſi per inficiationem rerum quarumcumq; explicabile. hoc ſeu nihilinũ noua voce, ſiue nullum, ſiue Vtin Homericum indigitaueris, haud ſanè procul me iudice iacies à à ſcopo. nam & ex nihilo inuitiſſimâ naturâ fit, & omni omnino argumento carens opplet meris inanijs pagellam Huius exemplum tale fuerit. Etſi nullum ſcribendi argumentũ habeo. nullo tamen vtor ad ſcribendum amatores illos imitatus, qui quamuis nullus inſit puluis veſtibus adamatarum, nullum tamen ſeduli excutiunt. ſimul vt tua iuſſa non vno, aut altero ſtadio, verùm immenſis ſpatijs prætereuehar. tu litteras a me breues exigebas, nullas ego do, & quas poſtquam legeris litteras ne- litteras merito appelles. Vale.

Qui allatis domo symbolis vna epulantur, hos ego non conuiuas voco, verùm ſportularios, & quo nomine Accipitrum quoddam genus Ariſtoteles in hiſtorijs appellat δειπνοφόρους, nec hominis eſſe puto comis, atq; liberalis. quibus cænaculum commodat ſuum, ijs cænam non apponere de ſuo. Niſi ergo te vocatio prior occupauit, cras ad nos

rectà


rectà venias de foro nihil tecum præter orexin afferens, & iocos nobile dapum embamma etiam non opiparum, & quo nullum suauius Apitianæ artes intriuere. Caput erit cænæ capus, qui cum vir esse cortalium gallinarum potuisset eunuchum se fieri est passus ne macresceret. Parerga cænæ haud deerunt oua, oliuæ, sumina, placentæ, &, qua non indelectatum Ciceronem legimus, tyrotarichi patina, & molluscæ nuces. Acroama nullum adhibebitur præter benè coctos, sapidos sermones. Nam quid opus est Phæmium, aut symphoniacos pueros accersere, vbi conuiuæ accumbunt tui similes, hoc est non elingues? oblectamenta hæc sibi quærant Amyclæi, aut muta agmina Pythagoristarum. Vale, & hoc hilaritudinis, & amoris vadimonium ne desere, quo te apud Consulem Bibulum vadamur non illum Iulij Cæsaris collegam, qui nemini toto sui consulatus tempore ius dixit, sed multò, quàm is fuerit, solertiorem.

FINIS.

BELLVNI, MDCXXXIX.

Typis Francisci Vieceri.

SVPERIORVM PERMISSV.


005644937

